APPARATUS
UNIVERSÆ
THEOLOGIÆ MORALIS

Pro examine ad audiendas Confessiones.

AUCTORE P. D.

THOMA FRANCISCO
ROTARIO.

EDITIO NOVISSIMA,

Cui nunc primum accedit

PARS QUARTA

Continens

HISTORIAM
POENITENTIÆ PUBLICÆ

NOTIS ET ANIMADVERSIONIBUS
illustratam.



VENETIIS, MDCCLXV.

Ex Typographia Balleoniana.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

CANDIDE
LECTOR.

APPARATUS hic Theologicus, ut mei ministerii necessitati consulerem, sedula diligentia ex Auctoribus meæ Congregationis primo collectus, meis Discipulis cœpit esse communis, transiit inde ad Amicos, nunc Amicis impellentibus transit ad omnes. Cura primo non fuit Auctorum citationibus attendere: nunc easdem ex fontibus, unde haustæ sunt, aperire est ferme impossibile. Hinc plurima loca, & quidem ubi communiora trado, nullo invenies Doctorum firmata suffragio. Scias tamen omnia ut plurimum sumpta esse ex Auctoribus meæ Congregationis, Alario, & Homobono, quos sæpius ad manus habui: difficiliora etiam ex Bossio, Moneta, Rossinolio, Gavanto, qui ex mea Congregatione fuso calamo moralia scripsere. Nec velim putes ex aliorum Auctorum contemptu totius Moralis scientiæ meæ Congregationis Doctoribus fidisse. Invenies enim sæpius, & extraneos Auctores adductos, quos apud meos citatos inveni: vel illos in aliquo placito non mihi adeo arridentes apud domesticos, consultos volui. Si aliquid boni, & utilis in hoc opere invenies, Auctori omnium bonorum gratias redde. Plura defectuosa, & obvia in omnibus paginis hinc inde dispersa ubi offendes, parce Auctoris imbecillitati, qui animo Tyronum moralium utilitati consulendi, non docendi peritos, hæc pauca ex probatorum Auctorum libris collegit. Vale.

AD LECTOREM

De nova hac Editione.

Divisio hujus Apparatus in præcedentibus editionibus in tres erat Partes, nunc vero propter novum Additamentum in quatuor Partes invenies. In Prima complector ea generalia, quæ ad Pœnitentiam in genere, ad materiam, formam, auctoritatem Ministri, & debitum sigilli spectant: additur his Caput de Confessario Monialium. In Secunda, quæ pertinent ad peccata contra legem naturæ, & sic decem Præcepta Decalogi comprehendo, & septem peccata capitalia. In Tertia, quæ spectant ad peccata contra legem positivam Christi, & ejus Ecclesiæ; sic Præcepta Ecclesiæ, Sacramenta, Pœnas, & Impedimenta Canonica breviter restringo: omnia vero methodo facillima ad formam Catechismi extendo; hæc enim rudioribus mihi visa est planior. In calce cujuslibet Capitis invenies sententias damnatas, quæ ad illud reduci debent; & in fine Tertiæ Partis Indicem omnium Definitionum moralium, quæ in tribus primis Partibus continentur. Pars Quarta vero, ut videbis, continet Historiam Pœnitentiæ Publicæ quæ a *R. P. Geraldo Zurcher* conscripta fuit, cum dissertatione prævia de eruditionis præstantia ad Neo-Theologos: & quia superaddita hæc fuit ad modum Supplementi, tibi mirandum non erit, benigne Lector, si sejunctam a primis tribus Partibus invenies: quinimmo pergratam tibi futuram esse propter doctrinam & eruditionem, quam in se continet, confido.

INDEX
CAPITUM, ET SECTIONUM,

Quæ in prima hujus Operis parte continentur.

PARTIS SECUNDÆ.

PARTIS TERTIÆ.

Sect. II.

Index Capitum Patris Quartæ requirendus est in fine totius Apparatus.

D. JOANNES CAROLUS FUSCONIUS

Congregat. Cleric. Reg. S. Pauli Vicarius Generalis.

Cum Librum, cui titulus est, Apparatus universæ Theologiæ Moralis pro examine ad audiendas Confessiones a Tyronibus sustinendo; *a P. D. Thoma Francisco Rotario Congregationis nostræ Presbytero Professo compositum, duo ejusdem Congregationis nostræ eruditi Viri, quibus id commissum fuit, accurata lectione, & gravi judicio recognoverint, & posse in lucem edi probaverint; Nos, ut typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, Sigilloque nostro muniri jussimus.*

Datum Romæ in Collegio Nostro SS. Blasii & Caroli hac die 19. Junii 1702.

D. Jo. Carolus Fusconius Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sitonus Cancellarius.

APPA-

APPARATUS THEOLOGIÆ MORALIS.

PARS PRIMA.

Præliminaria ad Primam Partem.

QUOT modis sumi potest Pœnitentia? *Resp.* Duobus modis, ut est Virtus, & ut est Sacramentum. Pœnitentia primo modo accepta, sic definitur: Virtus moralis supernaturalis, qua dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, ex supernaturali motivo, cum proposito non peccandi de cætero. Ut est Sacramentum, definitur: Sacramentum Novæ Legis, reconcilians hominem cum Deo virtute Clavium, seu absolutionis Sacerdotalis a peccatis commissis. Partes essentiales hujus Sacramenti sunt Materia, & Forma. Materia, alia est remota, & sunt peccata post Baptismum, vel in receptione Baptismi commissa; alia est proxima, & sunt actus Pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio: licet autem propositum satisfaciendi sit pars essentialis: actualis satisfactio non est nisi pars integralis: nam ante illam Sacramentum habet suum effectum, scilicet gratiam peccatorum remissivam.

Peccata dicuntur materia hujus Sacramenti, quia subjiciuntur huic Sacramento, tanquam res destruenda & abolenda: dicuntur materia remota, quia non

componunt hoc Sacramentum tamquam pars constitutiva, sed tamquam materia circa quam, & objectum partium constituentium. Actus pœnitentis dicuntur materia proxima, quia proxime subjiciuntur absolutioni, quæ est forma hujus Sacramenti, & requiruntur ita essentialiter, ut sine ipsis Sacramentum foret invalidum. Actualis satisfactio dicitur pars integralis, quia ita perficit Sacramentum, ut sine ea Sacramentum habeat jam suum effectum essentialem, licet non totalem perfectionem.

Materia remota duplex est, alia sufficiens, alia necessaria. Materia necessaria sunt omnia peccata mortalia, post Baptismum, vel in receptione Baptismi commissa, non confessa, neque directe absoluta: sufficiens sunt, peccata venialia, vel etiam mortalia, directe absoluta, & confessa. Prima dicuntur materia necessaria, quia necessarie subdi debent absolutioni ut de ipsis obtineatur remissio: secunda dicuntur materia sufficiens, quia licet remittantur per absolutionem, si clavibus subjiciantur, non obligant tamen peccatorem ad hanc subjectionem, & Confessionem.

CAPUT I.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

1. QUisnam est Minister Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Est Sacerdos habens potestatem Ordinis, & Jurisdictionis. Ejus munera sunt duo, Judicis, & Medici; Judicis scilicet ad solvendum, vel ligandum, juxta pœnitentis dispositionem; Medici, ad curandam animam pœnitentis, juxta exigentiam illius, scilicet qualitatem morborum, dando documenta salubria, & instructionem necessariam ad non peccandum imposterum, & satis faciendum pro peccatis antecedenter commissis.

2. Quot sunt conditiones boni Confessarii? *Resp.* Sunt quinque, Potestas, Scientia, Bonitas, Prudentia, & Sigillum. Nam sine potestate invalide absol-

absolvit, sine scientia nescit quid faciat, sine bonitate, & prudentia pœnitentibus nequit prodesse, & sine sigillo Sacramentum reddit onerosum.

3. Quid est Potestas?

Resp. Est spiritualis facultas ligandi, atque solvendi. Duplex est: alia Ordinis, & est illa, quæ traditur ab Episcopo, cum dicit super Sacerdotem consecratum; *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittentur eis;* alia potestas Jurisdictionis, & est facultas ad certas personas in foro conscientiæ judicandas concessa; Et hæc duplex est; alia ordinaria, & est illa, quæ sequitur Officium habentis Curam Animarum, sic absolvit Pontifex in toto Orbe, Archiepiscopus, & Episcopus in propriis Diœcesibus: insuper Archiepiscopus in Diœcesibus suffraganeorum, dum tamen actu visitat: Parochus in sua Parochia: alia est delegata, & est illa, quæ habetur per concessionem Episcopi.

4. Quot modis acquiritur potestas delegata?

Resp. Per concessionem, cum ab Ordinario facto examine tribuuntur Patentes cum auctoritate suscipiendi Confessiones: & hic est modus ordinarius acquirendi potestatem delegatam. Potest tamen Ordinarius oretenus, & solo verbo eamdem concedere. Approbatus ab uno Episcopo, non potest audire Confessiones, etiam sui antiqui pœnitentis, extra Diœcesim approbantis, puta si illum reperiat in Æde Lauretana, vel alibi.

5. Potestne Sacerdos simplex, nullam habens potestatem delegatam, in aliquo casu absolvere?

Resp. Ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de Pœnitentia*, quilibet Sacerdos potest absolvere etiam a censuris, & quibuscumque casibus reservatis pœnitentem in articulo mortis constitutum. Aliqui Doctores apud Dianam, *l.* 1. *tract.* 5. *de absolutione ab hæresi*, quibus ipse videtur adhærere, censuerunt, ad præsentiam Sacerdotis approbati posse absolvere etiam Sacerdotem non approbatum. Verum contrarium sentio cum Nicolio *Lucubrat. utriusque juris part.* 2. *lib.* 1. *artic.* 39. *num.* 43. qui citat Decretum Congregatio-

nis repertum in lib. annotationum bon. mem. Cardinalis Caraffæ, in quo habentur hæc verba; Congregatio censuit, Sacerdotem alioquin idoneum, non tamen ad audiendas Confessiones approbatum; juxta *cap.* 19. *sess.* 23. non posse valide absolvere pœnitentem in articulo mortis constitutum, ubi citra mortis periculum haberi potest copia Sacerdotis approbati; & longe id minus si ipse Parochus præsens id prohibeat, paratusque sit infirmi Confessionem audire, illumque absolvere, nec ulla subsit causa Parochum ipsum recusandi. Ratio etiam evidens est; talis enim auctoritas conceditur non approbato ratione necessitatis, ne pœnitens inabsolutus ab hac vita decedat; ad præsentiam autem Sacerdotis approbati, hæc necessitas cessat.

6. Sacerdos excommunicatus vitandus, validene, & licite in articulo mortis absolvit, absente alio Sacerdote?

Resp. Affirmative, immo, ut docet Alarius, Silvestrina, & Melchior Cano, hæc facultas extenditur etiam ad Sacerdotem hæreticum; nec peccat Catholicus confitendo Sacerdoti in hæresim lapso, immo ad id tenetur, nisi sit periculum subversionis, vel nisi immineat publicum scandalum, si videatur cum eo in hæresi communicare.

7. Quid venit nomine articuli mortis?

Resp. Venire statum illum infirmitatis, in quo plurimi ordinarie decedunt. Gaudet etiam eodem privilegio, mortis periculum, ut cum quis ingreditur prælium, vel longum iter in mare, vel cum mulier est proxime paritura, vel tempore pestis, & febris acutæ: in quibus circumstantiis, si quis expectet habentem potestatem ordinariam, vel delegatam, propter periculum amittendi repente usum rationis, prudenter metuit decedere inabsolutus.

8. Regulares nequeunt Confessiones Laicorum audire, nisi post Ordinarii approbationem. Circa approbatos, utrum possint suspendi, & denuo examinari, distinguendum est sic; vel illi fuerunt simpliciter, & absolute approbati; & in hoc casu possunt suspendi, & iterum examinari, tantum ex causa, quæ

Con-

Confessiones concernat: ita habetur in Bulla Clementis X. quæ incipit *Superna* §. 5. vel fuerunt approbati solum ad tempus aliquod determinatum, seu ad libitum Episcopi; & in hoc casu, juxta declarationem Alexandri VII. de ann. 1659. die 30. Januarii, quæ affertur a Cabasutio, *in libro praxis Juris Canonici, cap.* 10. *num.* 14. possunt suspendi, & iterum examinari ex quacunque causa rationabili: neque tenetur Episcopus ipsis rationem reddere de causa suspensionis, & novi examinis.

9. Estne invalida Confessio facta Confessario non approbato?

Resp. Affirmative, defectu potestatis jurisdictionis; quæ essentialiter requiritur. Neque bona fides excusat, nisi adsit error publicus, puta quia quis videt eum publice sedere in Confessionario, eo modo quo solent cæteri Confessores approbati; & titulus præsumptus, eo quod ipse sit Parochus expositus ad Confessiones suscipiendas, licet pro eo tunc sit incapax propter impedimentum occultum, quod tunc ignoratum est: ut si Episcopus datam jurisdictionem occulte revocavit, si tempus concessionis expiravit. In his enim casibus Ecclesia supplet jurisdictionem ad evitanda incommoda, quæ ex hoc oriri possent in pœnitentibus. Ita Bertau ex Sanchez, & Navarra. Si autem confiteatur Sacerdoti non approbato, & non sit titulus præsumptus, & habeat pro materia remota tantum venialia, vel mortalia jam confessa, Sacramentum erit validum; & Suarez censet fore etiam validum, si pœnitens cum venialibus admisceat aliqua mortalia; tunc enim absolutio directe tangit venialia, & indirecte mortalia, bona fide Sacerdoti non approbato exposita. Cum vero quis conscius fiet defectus jurisdictionis in absolvente, tenebitur denuo ea peccata indirecte tantum absoluta subdere clavibus. Advertant tamen Sacerdotes, juxta Decretum Congregationis Concilii sub die 12. Februarii 1679. relatum a Cassiano, in lib. cui titulus est, *Arbor omnium opinionum moralium, p.* 28. *n.* 15, eis non licere sine approbatione ad audiendas Confessiones venialium se exponere.

10. Scien-

10. Scientia etiam requiritur in Confessario saltem talis, qua sciat distinguere lepram a lepra, scilicet mortale a veniali, & in difficilioribus prudenter dubitare, & auctores consulere. Excusatur ignarus Confessarius necessitate, ut si audiat pœnitentem in articulo mortis, aut inter infideles, ubi alterius copia esse non potest: item si audiat virum doctum, qui potest de se supplere. Qui dubitat, an sit idoneus ad Confessiones suscipiendas, excusatur præcepto Superioris docti eum cognoscentis, examinantis, & approbantis, modo deponat dubium, quod censeri debet scrupulus: Quod si non deponat, peccat; ex conscientia enim erronea exponit se in periculo errandi in materia gravissima.

11. Peccat ne mortaliter pœnitens, si data opera adeat Confessarium imperitum?

Resp. Affirmative, & quia inducit Confessarium ad peccatum, & quia conscientiæ suæ pessime providet de Medico, infirmitates animæ curare nesciente. Excipe tamen casus mortis, gravis necessitatis, & cum ipse est de se peritus, & sufficiens, & cum in Parochia rurali nullus Confessarius est sufficienter instructus; non enim propterea debet quis Sacramento adeo salubri privari: hinc potest confugere ad Sacerdotes tales, quales sunt.

12. Quid facere debet Confessarius, cum accidit casus difficilis in Confessione, quem ipse nequit statim resolvere?

Resp. Debet tunc Confessarius remittere pœnitentem ad aliud tempus, ut interim, vel ipse consulat authores, vel licentia ipsius doctum Casistam, a quo instruatur; & sic in hoc casu Pœnitentem absolvet a peccato; si tamen ipse promittat, quoad obligationes restituendi, compensandi, & similes, stare judicio subsequenti, & eas implere. Ita Coninch, Sylvester verbo *Confessor*.

13. Si Confessarius in casu difficili peccatum mortale reputet veniale, vel e contra, Confessio eritne invalida?

Resp. Negative: non enim tenetur Confessarius

omnis

omnis culpæ gravitatem adamussim cognoscere ; sed ipsi sufficit scire in genere, quid sit mortale, quid veniale, absque eo, quod in arduis obligetur ad illa distinguenda in Confessione, hoc enim est nimis difficile, vel ratione ignorantiæ, aut scrupulorum in Pœnitente, vel ex natura actus interni peccaminosi, qui non ita clare se ipsum manifestat. Ita Bertaus cum Suarez.

14. Quid debet facere Confessarius cum ad eum accedit pœnitens, qui habet opinionem, quam ipse putat tutam, contra opinionem, quam Confessarius censet esse sequendam?

Resp. Erudiat eum cum charitate & patientia de opinione, quam ipse putat esse sequendam, & si pœnitens sit vir doctus, habens pro sua sententia auctores, & rationes, ac proinde nolit ei acquiescere, illum absolvat; si tamen dignoscat ipsum esse contritum, & dispositum.

15. Bonitas, & prudentia Confessarii requiruntur-ne necessario ad valorem Sacramenti?

Resp. Negative. Licet enim hæc valde conferant ad utilem receptionem Sacramenti, non sunt tamen conditiones necessario requisitæ ad valorem. Hinc valide absolvitur quis a Sacerdote existente in lethali, immo ab excommunicato non vitando, si nihil aliud ei desit, quia per talem excommunicationem non amittit jurisdictionem. Si autem Sacerdos sit excommunicatus vitandus, & non toleratus, & invalide, & illicite absolvit, nisi in extrema necessitate, aut in loco, in quo sit incognitus, & habeat titulum colcratum.

16. Peccatne pœnitens confitendo apud Sacerdotem excommunicatum toleratum, vel quem scit esse in lethali?

Resp. Si Confessarius sit Parochus, vel alius, qui ex officio tenetur Confessiones audire, non peccat; utitur enim jure suo: & in hoc casu Sacerdos etiam licite ministrat, si prius actum Contritionis eliciat. Si autem Sacerdos non tenetur ex officio, pœnitens peccat contra charitatem: inducit enim illum ad peccandum. Excipe tamen casum necessitatis, vel cum putat ipsum esse contritum.

17. Quid tenetur facere Sacerdos existens in lethali, vocatus ad Confessiones audiendas?

Resp. Tenetur prius se ipsum per Confessionem ponere in statu gratiæ. Quod si hoc commode facere non possit, tenetur ad conterendum, vel ad procurandum dolorem, quem probabiliter putet ex contritionis motivo proveniri.

38. Quantum ad conditionem sigilli, examinabitur in Capite VIII. hujus Primæ Partis.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

AB ALEXANDRO VIII. 20. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

Ab eodem 22. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

CAPUT II.

De Casibus reservatis.

SECTIO I.

De reservatione.

QUid est Reservatio?

Resp. Est restrictio jurisdictionis in Confessario; ne certos casus absolvat, quod si audeat absolvere, incurrit excommunicationem Summo Pontifici reservatam, officiis & dignitatibus privatur; & fit ad alia inhabilis, quod etiam dicendum de eo, qui sub dubio absolvit casus reservatos in Bulla Cœnæ, aut in statutis Synodalibus Episcoporum. Si tamen casus, de quo dubitat, revera sit reservatus, non incurrit has pœnas, si absolvat non temere, & per ausum, sed per obli-

oblivionem, & inadvertentiam, vel per ignorantiam: dummodo hæc non sit supina, & affectata.

2. Quid debet facere Confessarius, qui ex inadvertentia absolvit a reservato, vel a censura?

Resp. Debet adire Superiorem, & ab illo petere authoritatem absolvendi; inde si non timet scandalum futurum, vocare denuo pœnitentem, & petita licentia discurrendi cum ipso de præterita Confessione, aperire reservationem, & sui inadvertentiam, hinc eum inducere ad Confessionem casus reservati reiterandam, & postea absolvere. Non est autem necesse, quod ille repetat alia peccata, a quibus jam fuit directe absolutus.

3. Estne necesse ad incurrendam reservationem, ut peccator sciverit, tale peccatum esse reservatum?

Resp. Negative; quia reservatio non habet rationem pœnæ, sed solum restrictionis jurisdictionis in Confessario. Hinc si quis commisit peccatum reservatum in sua Diœcesi, & accedit ad Confessarium in alia Diœcesi, in qua reservatum non est recte absolvitur, nisi forte ad hunc accedat in fraudem servationis; tunc enim ratione malæ dispositionis absolvi nequit; vel etiam si crimen sit notorium, & habeat adjunctam excommunicationem, cui quis satisfacere debeat, tunc juxta Alarium remittendus est ad proprium Pastorem.

4. Potestne delegatus ad absolvendum a reservatis tollere reservationem, & remittere Pœnitentem pro absolutione Sacramentali ad alium Confessarium?

Resp. Negative; hoc enim est proprie subdelegare; quod non convenit delegato; non potest ergo absolvere, nisi sacramentaliter; & solum ille, qui reservavit, potest se sic gerere; qui enim reservat, potest reservationem pro suo libito tollere.

Si quis habet casus reservatos, & ficte, sive sine dolore, confessus sit habenti authoritatem absolvendi a reservatis, teneturne iterum reiterare Confessionem apud Superiorem, vel habentem potestatem delegatam absolvendi a reservatis?

Resp. Negative, quia satisfecit Superiori, & implevit totum id, quod intenditur per reservationem; & sic quasi ordinario jure cessat reservatio. Ita Sylvestrina,

San-

Sanchez, Alarius. In Bulla tamen Cruciatæ contrarium asseritur.

6. Potestne simplex Confessarius absolvere in aliquo casu ab omnibus reservatis, & etiam a censuris, sine licentia reservantis?

Resp. In casu mortis, vel periculi ejusdem, potest inferior absolvere ab omnibus reservatis, & censuris, a peccatis quidem directe, sine onere ea iterum confitendi; a censuris indirecte, & cum onere se præsentandi, cum primum poterit; hoc enim Sacri Canones jubent, ut excommunicatus satisfaciat Ecclesiæ, & congruam medicinam recipiat; quod si non facit, reincidit in eandem censuram, non quidem in illam numero, quia hæc ablata fuit per absolutionem; sed in omnino similem.

7. Inciditne in hanc censuram, si primam occasionem præsentandi se Superiori negligat?

Resp. Nequaquam, nisi hæc negligentia fiat ex contemptu: nam Canon imponens hanc pœnam expresse habet, *Qui contempserit*, ut notat Suar. *de Censuris*.

8. Potestne simplex Confessarius absolvere a reservatis in aliis casibus?

Resp. Affirmative, in casu scilicet extremæ necessitatis, cum quis sine scandalo non potest recedere a Sacramento vivorum, puta Communione, & tunc non patet aditus ad Superiorem; potest absolvere directe a non reservatis, & indirecte a reservatis, cum onere ea subjiciendi Superiori. Alios casus adducunt Summistæ, scilicet cum imminet damnum infamiæ, si quis recedat inabsolutus, ut in tempore amplissimæ indulgentiæ, vel solemnitatis, vel generalis Communionis, quia evitatio scandali, & infamiæ cum sit de jure naturali, debet prævalere.

9. Alium casum adducit Bertau, cum pœnitens bona fide confessus est reservatum, putans se absolvi posse, & si dimittatur inabsolutus, perdetur fortasse occasio conversionis hujus animæ per confessionem, ad quam pro eo tunc est bene dispositus. Videtur enim, quod Ecclesia, tanquam Mater pia, ad facilitandam viam pœnitentiæ, facultatem concedat indirecte absolvendi,

vendi, cum onere se præsentandi; talis enim modus non aufert a Superiore potestatem casuum reservatorum, sed illam solum pro aliquo tempore differt. Ita Bertau citans Navarrum, Toletum, & Layman. Hoc tamen caute, & raro faciendum est, ne quod tribuitur necessitati salvandi animas, usurpetur ad vitæ licentiam.

10. Dubius de casu reservato, potestne absolvere?

Resp. Affirmative, nisi casus sint Pontificii; sic ex Decreto Congregationis. Curet tamen Confessarius, casus reservatos bene legere ne ex ipsius inertia in hujusmodi dubia incidat.

11. Cum Bulla dans facultatem absolvendi a censuris, semper habeat clausulam, *satisfacta parte*; potestne pœnitens, qui de præsenti parti non satisfecit, nec satisfacere valet, absolvi?

Resp. Si habeat animum præparatum, & serio promittat se satisfacturum parti in prima occasione sibi oblata, potest absolvi, per illa enim verba, *satisfacta parte*, satisfactio partis non ponitur tanquam conditio necessario implenda ante absolutionem: sed monetur Confessarius, ut eam a pœnitente exigat, & quam citius implendam procuret. Ita Navarrus, & Henriquez. Quod si in confessione exigatur tanquam conditio præcedens, quod exprimitur per hæc verba, vel æquivalentia, *prius satisfacta parte*, absolvi nequit: bene ergo quis attendat ad tenorem suæ concessionis.

12. Nonnulli sentiunt, pro puellis, quæ sine scandalo nequeunt Superiorem adire, nullam esse reservationem, & directe absolvi posse sine onere se præsentandi cum primum potuerint. Tu vero cum Alario contrarium tene; tum quia sufficienter providetur præsenti animæ necessitati per absolutionem indirectam a reservatis; tum quia si non possunt præsentare se ipsas per se, possunt tamen præsentari per alium.

13. In occasione ergo, qua pœnitens exponat casus reservatos, Confessarius cum charitate eum moneat de reservatione, & hortetur ad superiorem adeundum: si autem casus sit ex gravioribus, a quo nec Episcopus absolvere possit, eum juvet scribendo ad Sacram Pœniten-

nitentiariam, & faciat quantum potest, ut fratrem lucretur.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 12. In numero: Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate: alias vide in cap. de Absolutione.

Casus Summo Pontifici reservati.

1. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.
2. Injicientium violentas manus in Clericos.
3. Simonia realis scienter contracta.
4. Confidentia Beneficialis.
5. Provocantium, & pugnantium in Duello juxta Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorii XIII. cujus tenor habetur infra sectione de Duello.
6. Violatio Immunitatis Ecclesiasticæ circa confugientes ad Ecclesias; de qua hic mox dicetur.

De Immunitate circa confugientes ad Ecclesias.

1. GREGORIUS XIV. in quadam Constitutione, quæ incipit: *Cum aliis nonnullis, &c.* statuit, ut omnes delinquentes, qui confugiunt ad Ecclesias, gaudeant Immunitate, exceptis casibus expressis, §. 3. cujus tenor est hujusmodi.

2. De laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus: si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.

3. Ad depopulatores agrorum.

4. Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cœmeteriis committere non verentur.

5. Aut qui proditorie proximum suum occiderint.

6. Aut assassini.

7. Aut hæresis rei.

8. Aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Si

quis

quis vero contra hanc Constitutionem læserit Immunitatem Ecclesiasticam, erit casus reservatus a Papa.

Casus reservati in Bulla Cœnæ Domini.

1. Hæretici cujuscunque Sectæ, eorumque fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & Schismatici.

2. Appellantes a Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3. Pyratæ, atque eorum receptores, & fautores.

4. Naufragorum Christianorum, cujuscunque generis, bona, etiam in littoribus inventa, subripientes.

5. Imponentes nova Pædagia, & Gabellas, vel eas augentes.

6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falso fabricantes.

7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea, ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & ad Reipublicæ Christianæ statum pertinentia iisdem in damnum Christianorum nuntiantes.

8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua aut aliorum opera lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes.

10. Romipetas, ac peregrinos etiam in Urbe morantes, vel abeuntes, lædentes.

11. Offendentes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios Prælatos.

12. Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes, per se, vel per alios lædentes.

13. Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, ad Laicam potestatem.

14. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16. Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur,

tur, quique illorum, & delegatorum judicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

17. Usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

18. Imponentes Decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

19. Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

SECTIO II.

De Jubilæo.

1. Quid significat Jubilæum?

Resp. Nomen hoc desumptum fuit a verbo Hebraico *Jobel*, quo Hebræi vocabant Annum remissionis: in illo hæreditates venditæ redibant ad suos venditores, sine ulla solutione, & mancipia in pristinam libertatem restituebantur. Plura ergo utilia, & commoda temporalia, quæ in Anno *Jobel* percipiebat populus ille carnalis, præfigurabant spiritualia dona, quæ juxta temporum opportunitatem extraordinarie a Summis Pontificibus quandoque conceduntur Fidelibus per indultum, quod Jubilæum vocatur.

2. Quid est Jubilæum?

Resp. Est Bulla Summi Pontificis concedens Indulgentiam plenariam, & alia privilegia præstantibus certa opera, quæ in Bulla explicantur. Hæc opera, ut plurimum sunt jejunium, elemosyna, Ecclesiarum visitatio cum oratione, Confessio, & Communio. Privilegia ut plurimum sunt, absolutio a reservatis per quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario loci, & item Votorum commutatio. In hoc autem ut prudens Confessarius neque excedat latitudinem auctoritatis a Summo Pontifice concessæ, neque eam in damnum pœnitentium restringat, advertendæ sunt clau-

fulæ, & verba, quæ in Bulla continentur, & juxta eorum tenorem pœnitentibus consulendum.

3. Quinam est finis Jubilæi?

Resp. Est excitare fidelium devotionem, maxime in publicis necessitatibus, ut oratio totius Ecclesiæ unitæ in pœnitentia, & jejunio facilius impetret a Divina Misericordia earum remedium.

4. A quibusnam casibus reservatis potest simplex Confessarius approbatus absolvere, virtute Jubilæi?

Resp. Cum Bossio: Concessio casuum Papalium extenditur ad casus Bullæ Cœnæ, quia cum facultas detur pro omnibus casibus Papalibus, non est, cur aliqui excipiantur, præsertim in re favorabili, in qua concessiones sunt ampliandæ. Diana tamen est contrariæ sententiæ, ex eo quod Summus Pontifex cum vult concedere casus Bullæ Cœnæ, eos explicat.

5. Quando conceduntur casus papales, & Bullæ Cœnæ, intelligiturne concessa facultas absolvendi ab hæresi externa?

Resp. Cum Diana affirmative, illam posse absolvi in foro conscientiæ tantum, quia quamvis generaliter in concessionibus generalibus non intelligatur hæresis, nisi de ea fiat expressa mentio; tamen cum Jubilæum sit privilegium extraordinarium, procedens ex summa benignitate; & liberalitate Pontificum, ob universales necessitates Ecclesiæ, probabile est Pontifices velle etiam hoc peccatum includere, quando illud expresse non excludunt, sicuti justis de causis quandoque excludunt.

6. Si quis non habeat animum adimplendi onera imposita pro lucrando Jubilæo, potestne absolvi a reservatis?

Resp. Negative: qui cum privilegium sit affixum Jubilæo, & veluti conditionatum, non habens animum adimplendi conditiones, neque est capax privilegii.

7. Si quis habens animum adimplendi omnia requisita ad Jubilæum, absolvatur a reservatis, & postea illa non adimpleat, estne bene absolutus?

Resp. Affirmative: Quia absolutio cadit supra dispositionem præsentem, quæ est in pœnitente, non vero supra futuram malam voluntatem, quam postea habe-

habebit. Et licet aliqui velint illum peccare, si absque rationabili causa non adimpleat onera Jubilæi: nihilominus Suarez putat, quod si ab initio bona fide processerit, & postea nullus adsit Jubilæi contemptus, pœnitens tunc non peccet, quia ille non promisit Confessario se facturum opera Jubilæi, nec Confessarius hanc ei pœnitentiam injunxit, neque Pontifex in Bulla ad hoc obligavit. Cum ergo contra nullum præceptum faciat, non est cur onerетur aliquo peccato. Ita Diana.

8. Peccata reservata oblita tempore Jubilæi, eo transacto, possuntne absolvi a simplici Confessario virtute Jubilæi?

Resp. Cum Bossio, Diana, & aliis apud ipsos, affirmative; quia cum illa confessio fuerit valida, absolutio cecidit etiam indirecte supra peccata oblita; & Confessarius absolvendo habuit, & habere debuit intentionem tollendi quamcunque reservationem. Immo aliqui extendunt etiam hoc privilegium ad commutationem voti, cujus quis oblitus sit tempore Jubilæi: hoc tamen non ita universaliter sustinetur. Alarius cum Lugo docet, quod incœpta confessione tempore Jubilæi, si non potuerit perfici intra id tempus, eo transacto poterit quis absolvi ab omnibus reservatis commissis usque ad tempus finiti Jubilæi, & in votis dispensari. Homobonus etiam, quem sequitur Diana, censet, quod si quis in confessione aliquod peccatum reservatum ex justa causa non manifestavit, potest ab eodem, transacto Jubilæo, absolvi a simplici Confessario. Omnia ista procedunt ex eadem ratione; quia scilicet peccata reservata fuerunt indirecte absoluta.

9. Poteстne Confessarius absolutionem peccatorum commissorum in Jubilæo differre extra illud?

Resp. Ex Bossio, quem sequitur Diana, in duobus casibus potest hoc facere. Primo, cum pœnitens judicatur mansurus in occasione peccandi, si absolvatur statim. Secundo, si pœnitens, completis operibus, accedat ad confitendum Sabbato, & quia habet multos, & intricatos casus, non potest illius spiri-

spirituali necessitati intra breve tempus sufficienter provideri; debet tamen vota dispensare, & reservationem tollere intra tempus Jubilæi. Si autem intra hoc tempus, in quo ex obedientia Confessarii differtur absolutio, pœnitens incidat in alios casus reservatos, Bossius putat etiam ab illis posse absolvi, quia is nondum consecutus est Jubilæum, & virtute Jubilæi absolvi potest ab omnibus peccatis commissis ante illius consecutionem. Hanc eandem sententiam amplectitur Diana, alias subdens rationes.

10 Qui committit peccatum reservatum in confidentiam Jubilæi, poteštne virtute ejusdem absolvi?

Resp. Cum Alario, & aliis affirmative, nisi Summus Pontifex casum hunc in Bulla excipiat; concessiones enim limitandæ, & restringendæ non sunt. Dicitur autem peccans in confidentiam Jubilæi, non quicunque habita Jubilæi notitia forte incidit in casum reservatum, in quem incidisset etiam extra hanc Jubilæi occasionem; sed ille, qui ex facilitate consequendi absolutionem a reservato, movetur ad tam grave peccatum perpetrandum, quod alias non commisisset.

11. Qui post confessionem iterum reincidit in casum reservatum, poteštne virtute Jubilæi absolvi?

Resp. Si pro ipso non expiravit tempus Jubilæi; potest absolvi; si autem sumpto Jubilæo in prima hebdomada non possit amplius in secunda sumere, pro ipso expiravit omne Jubilæi privilegium. Hoc autem totum dependet a tenore verborum Jubilæi; sicuti & pro commutatione votorum, & operationum injunctarum, & absolutione a censuris, pro quibus verba Bullæ bene notanda sunt. Unum moneo, quod in auctoritate concessa absolvendi a censuris, non intelligitur inclusa auctoritas dispensandi ab irregularitate, quæ censura non est, sed inhabilitas, neque tollitur per absolutionem, sed per dispensationem.

CAPUT III.

De causa materiali remota Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Quid est peccatum?

Resp. Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. Differt a vitio, quia hoc est inclinatio ad agendum contra legem, illud vero est actio contraria. Hæc definitio proprie convenit tantum peccato lethali, quod est proprie contra legem; veniale vero est tantum præter legem, vel contra, diminute, & imperfecte, scilicet sine gravi legislatoris injuria. Verior tamen differentia inter veniale, & mortale est, quod mortale privat peccatorem gratia sanctificante, & amicitia Dei; veniale vero privat tantum fervore amicitiæ.

2. Quomodo dividitur peccatum?

Resp. Dividitur primo in actuale, & habituale. Actuale est actus contra legem: habituale est macula relicta in Anima ex tali actu, & quidem si sit mortale, talis macula consistet in privatione gratiæ; si sit veniale, consistet in privatione fervoris amicitiæ; quam quis habebat erga Deum, seu in quodam torpore reddente difficilem usum expeditum gratiæ, & charitatis. Dividitur ulterius in peccatum oris, corporis, & operis, vel in seipsum, in Deum, & in proximum; vel in carnale, & spirituale; vel in peccatum per excessum, & per defectum, quæ omnia ex propriis nominibus nota sunt. Porro dividitur in peccatum commissionis, quod opere, sive interno, sive externo completur; & peccatum omissionis, quod est voluntaria omissio operis præcepti. Ad peccatum omissionis, tria requiruntur: quod quis possit non omittere, teneatur non omittere, & vere omittat. Quandoque omissio, & commissio sunt ejusdem speciei; quia una essentialiter aliam comitatur, ut non jejunare, & comedere; non restituere, & reti-

nere

nere rem alienam. Quandoque ſpecie differunt, quia non ſe comitantur eſſentialiter, ſed additur nova malitia, ſine qua omiſſio ſtare poterat; ut non jejunare, & comedere carnes; non amare Deum, & ipſum odio habere.

3. Quomodo diſtinguuntur ſpecie peccata?

Reſp. Non diſtinguuntur ſpecie, quia ſint contra diverſas leges, & præcepta præciſe: quia iſta poſſunt eſſe ex eodem motivo circa idem objectum, cum iiſdem circumſtantiis; ſic furtum prohibetur lege divina, humana, & naturali, & tamen eſt idem ſpecie peccatum: ſed diſtinctio ſpecifica ſumitur ex diverſa ſpecie malitiæ, quæ reperitur in actu peccaminoſo: & diverſitas malitiarum ſumitur, vel per oppoſitionem ad diverſas leges, & præcepta, quæ reſpiciunt diverſas virtutes; ut non reſtituere æs alienum, cum adeſt præceptum Superioris, & extrema neceſſitas in domino, opponitur juſtitiæ, obedientiæ, & charitati; vel per oppoſitionem ad diverſa præcepta reſpicientia eandem virtutem, ſed ſub diverſo motivo, & ratione formali; ſic lex divina prohibet ex motivo juſtitiæ furtum, lex eccleſiaſtica ex motivo Religionis prohibet furtum in Eccleſia: furans ergo in Eccleſia diverſas ſpecie malitias contrahit. Ita Alarius. Brevius, & expeditius, diverſitas ſpecifica peccatorum ſumitur ex diverſo objecto, & diverſo fine: alterutro multiplicato, in eodem actu multiplicantur ſpecie peccata.

4. Præcepta, contra quæ ſunt peccata, ſuntne multiplicis differentiæ?

Reſp. Sunt duplicis, ſcilicet affirmativa, & negativa. Prima ſunt, quibus præcipitur aliquid fieri: ſecunda, quibus præcipitur aliquid non fieri. Prima obligant aliquando, & in aliquibus caſibus: ſecunda vero obligant ad ſemper, & pro ſemper. Contra prima eſt peccatum omiſſionis; contra ſecunda eſt peccatum commiſſionis. Circa eandem materiam poteſt intervenire utrumque præceptum: ſic in ſanctificatione Feſti, eſt præceptum non faciendi opus ſervile, & audiendi Sacrum.

5. Peccatum veniale poteſtne tranſire in mortale?

Reſp. Negative. Materia tamen peccati venialis poteſt, variatis circumſtantiis, fieri materia lethalis; ſic idem mendacium in circumſtantia gravi damni proximi eſt lethale, quod in alia circumſtantia foret tantum veniale.

6. Peccatum lethale cognoſcitur eſſe tale, quando eſt in materia gravi contra aliquam virtutem, & præceptum; verumtamen hoc pendet a perfecta cognitione Legis Chriſtianæ præceptorum.

7. Peccatum dubium eſtne integra materia Confeſſionis?

Reſp. Nequaquam; nec poteſt abſolvi; niſi addatur materia certa, vel peccati venialis, vel peccati mortalis, etiam alias confeſſi.

8. Poteſtne aliquid, quod eſt in ſe bonum, per accidens eſſe peccatum?

Reſp. Affirmative, quia actus bonus poteſt eſſe cauſa omiſſionis peccaminoſæ; ut ſtudere, orare, & ſimilia, bona ſunt: ſi tamen ex his oriatur omiſſio Miſſæ in die feſto, erunt mala, quia cauſant malum.

9. Poteſtne fieri; quod aliquis actus inevitabilis, & neceſſarius ſit peccatum?

Reſp. Si fuit liber in cauſa, adhuc eſt peccatum. Sic omiſſio Miſſæ in die feſto facta ab ebrio, qui amplius ſui compos non eſt, tamen eſt peccatum. Adverte tamen cum Alario, quod quando aliquis dedit cauſam peccato, ſi antequam committatur peccatum, pœniteat cauſæ, actus ſequens non erit peccatum: Sic ſi ex cogitatione libidinoſa, habita in die, proveniat poſtea in ſomno pollutio, hæc non imputabitur ad peccatum, ſi ante ſomnum quis pœniteat cogitationis, & eam retractet; tunc enim pollutio nec in ſe, nec in cauſa eſt voluntaria: cauſa enim retractata, voluntaria eſſe non poteſt. Et addit apud ipſum Sanchez, quod ſi quis præcipitaret ſe, & in præcipitio voluntatem retractaret, non erit apud Deum reus ſuiccidii.

10. Cum ex Concilio Tridentino certum ſit, non ſolum peccatum confitendum eſſe, ſed etiam circum-

cumstantias omnes, quæ mutant speciem peccati sciendum est circumstantias esse accidentia, & modos, cum quibus peccatum committitur, adeoque ex verbo dicuntur circumstare peccato, & continentur in hoc carmine.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

11. Suntne omnes istæ circumstantiæ aperiendæ in Confessione?

Resp. Non, sed quandoque una, quandoque altera; unde aliæ sunt circumstantiæ aggravantes in infinitum, & sunt illæ, quæ transferunt materiam venialem in mortalem, puta furtum notabilis quantitatis: & hæ semper sunt aperiendæ: aliæ vero sunt præcise aggravantes finito modo, & sistunt intra latitudinem materiæ venialis, ut furtum unius, vel alterius oboli: & hæ necessario aperiendæ non sunt: aliæ sunt immutantes speciem, & sunt quæ transferunt materiam unius peccati ad materiam contra aliam virtutem, & sic addunt malitiam novam specie diversam: sic copula illicita cum conjugata addit malitiam contra castitatem, aliam malitiam contra justitiam; & istæ circumstantiæ speciem immutantes, in Confessione aperiendæ sunt. Aliæ sunt, præcise aggravantes: & sunt illæ, quæ sistunt in eadem specie, ut intensio, qua fit actio peccaminosa, puta major delectatio in copula fornicaria; & istæ non sunt necessario aperiendæ, cum ex Concilio peccata confitenda sint quoad speciem, & numerum. Confitendæ tamen sunt circumstantiæ pure aggravantes, quæ faciunt casum reservatum, vel habent annexam censuram. Item Catechismus Romanus extendit obligationem confitendi circumstantias, quæ peccatum intra eandem speciem valde aggravant, vel minuunt, scilicet, ut Medicus animarum cognoscat qualitatem morbi, quem curare debet. Brevius ergo interrogationi responde: Sunt explicandæ in Confessione circumstantiæ aggravantes in infinitum, immutantes speciem, & etiam non immutantes, si habeant annexum casum reservatum, vel cen-

 suram:

furam; item valde aggravantes intra eandem speciem.

12. Quomodo multiplicantur numero peccata?

Resp. Peccata cordis numero multiplicantur, cum semel cessavit cogitatio, & postea de novo reassumitur; vel cum quis tetractavit priorem cogitationem, & desiderium, dolendo de illis, & postea denuo reassumpsit; sic tot sunt peccata interna, quot fuerunt diversi actus interrupti, & reassumpti. Si autem una, & eadem cogitatio, vel desiderium, sine ulla interruptione, vel cum aliqua parvula morula duret per totam diem, erit unum peccatum numero, sed quidem gravius ratione extensionis ad tantum tempus. Alio modo etiam multiplicantur numerice peccata cordis, cum est multiplex numero objectum ejusdem cogitationis, vel desiderii pravi; sic si quis eodem desiderio concupisceret decem solutas, essent decem peccata mortalia; licet enim actus physice unus sit, moraliter tamen est multiplex: Brevius ergo responde. Multiplicantur numero ex multiplicatione actuum distinctorum, vel ex multiplicatione objecti ejusdem speciei.

13. Hoc eodem modo cum proportione multiplicantur peccata oris, & operis; si quis eodem sermone dicat decem homines esse fures, vel eodem actu decem homines occidat, erunt decem lethalia: si quis sæpius interrumpat sermonem, & post notabile tempus denuo murmuret, & detrahat; interrumpat percussiones, & denuo percutiat, tot erunt peccata, quot sunt actus distincti interrupti, & reassumpti.

Propositiones damnatæ, ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Ab ALEXANDRO VIII. 2. Peccatum Philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ

Legis.

Legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Ab ALEXANDRO VIII. 3. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, qua voluntarium & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

Ab ALEXANDRO VIII. 8. Tametsi datur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

Ab ALEXANDRO VIII. 9. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi. Si Dei, charitas Patris est: si Mundi, concupiscentia carnis est, mala est.

Ab ALEXANDRO VIII. 10. Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

Ab ALEXANDRO VIII. 11. Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo respectu ad Deum.

Ab ALEXANDRO VIII. 12. Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat Gloriam, non est recta, nec Deo placens.

Ab ALEXANDRO VIII. 13. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

Ab ALEXANDRO VIII. 14. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.

CAPUT IV.

De materia Pœnitentiæ, & primo de contritione.

1. QUid, & quotuplex est contritio? *Resp.* Duplex est, alia est perfecta, & est dolor & detestatio peccatorum, ut sunt offensa Dei summe & super omnia dilecti. Contritio imperfecta, seu attritio, est dolor, & detestatio peccatorum, ut sunt offensa Dei propter timorem gehennæ, aut turpitudinem peccati, aut aliud motivum honestum supernaturale, involvens propositum saltem implicitum non peccandi. Dolor de peccatis propter pœnas temporales, ut a Deo infligendas, si supernaturalis sit, est sufficiens ad attritionem pro Sacramento Pœnitentiæ recipiendo; attritio putata excusat a sacrilegio, non tamen disponit ad absolutionem recipiendam. Si quis vellet eadem peccata confessa & absoluta de novo subdere clavibus, debet iterum novam attritionem elicere, tamquam materiam novam novi Sacramenti, & hoc nisi eadem attritio virtualiter perseveret. Ad hoc Sacramentum requiritur attritio ante absolutionem; non tamen est necesse, quod sit immediate ante; sed sufficit, quod duret virtualiter; cum enim fuit antecedenter elicita, & ordinata ad Sacramentum, & non retractata, intelligitur moraliter perseverans. Attritio de mortalibus debet esse de omnibus, & de singulis, cum proposito vitandi omnia, singula; de venialibus sufficit, quod sit saltem de uno, cum proposito illud vitandi: nam unum veniale sine alio remittitur; non tamen unum mortale sine alio. Contritio, aut Charitas perfecta extra Sacramentum producit gratiam in voto Sacramenti; unde quis suo tempore tenetur confiteri sub lethali, & quidem si sit necessitas sumendi, vel ministrandi aliud Sacramentum, antequam ministret, & sumat, dummodo tamen habeat copiam Confessarii: si non urget talis necessitas, saltem intra annum.

2. Ad

2. Ad veram contritionem vel attritionem, requiriturne dolor sensibilis de peccato commisso?

Resp. Negative, quia dolor & detestatio peccati sunt actus partis superioris, qui non semper commovent partem inferiorem: dolor enim sensibilis est passio appetitus sensitivi, in quo recipitur dolor formalis; hinc autem recipi potest sine ulla alteratione, & commotione, ut patet in Beatis, qui summe detestantur peccatum, neque tamen de eo habent dolorem sensibilem.

3. Estne rejiciendus pœnitens, qui nullum actum doloris de suis peccatis elicuit?

Resp. Si pœnitens ex scrupulo dicat se non sentire dolorem, quem tamen procuravit de peccato, quod vere detestatur cum proposito non committendi, absolvendus est, quia vere dolet, licet cognitionem doloris non habet ex sensibus. Si autem nullum procuravit dolorem, & nullum detestationis actum elicuit, adjuvandus est, ut eliciat ante absolutionem, & si hoc non faciat, remittendus est ad meliorem occasionem, in qua sit bene dispositus.

4. Estne necessaria singularis attritio de singulis lethalibus?

Resp. Negative; sed sufficit post cognitionem omnium peccatorum lethalium generalem contritionis actum de omnibus elicere cum proposito non peccandi in posterum. Cæterum ita contritiones multiplicare, est valde onerosum: ita Commacus *de contritione*, apud Bertau. Est tamen laudabile, de gravioribus, ad quæ quis est magis pronus, contritionem in particulari habere.

5. Requiriturne ad veram contritionem, ut pœnitens credat se deinceps non peccaturum?

Resp. Pœnitens debet habere propositum non peccandi, & spem in divina misericordia, quod amplius peccaturus non sit; ceterum hoc credere non tenetur, cum experientia constet, plures vere contritos iterum lapsos esse: & in venialibus res est manifestissima.

6. Estne necesse, quod propositum non peccandi in posterum sit explicitum, & expressum?

Resp. Negative; sed sufficienter includitur in detestatione sincera peccatorum, & dolore de illis. Nullus enim habet voluntatem faciendi actum, quem ita detestatur, ut nollet fecisse, & si memoriæ occurreret vita in posterum instituenda, utique vi hujus doloris, expresse proponeret non peccare deinceps: quod sufficit ad demonstrandum, dolorem virtualiter continere propositum non peccandi.

7. In quonam differunt, & in quonam conveniunt attritio, & contritio?

Resp. Conveniunt in odio & detestatione peccati; & in proposito illud non committendi; differunt in motivo, quia contritio procedit ex amore Dei super omnia, attritio vero procedit quidem ex amore Dei, sed imperfecto; immiscet enim semper aliquid proprii commodi, & utilitatis, scilicet timorem pœnæ, vel privationis beatitudinis, vel punitionis a Deo infligendæ.

8. Attritus debetne ita detestari peccatum, ut si nullus esset Infernus, adhuc illud detestaretur?

Resp. Affirmative; nam timor pœnæ non est ultimus finis attritionis, sed satisfactio Deo danda; timor vero Gehennæ est finis proximus, quo quis excitatur ad detestandam offensam, & ad Deo satisfaciendum. Secus, si quis ita doleret de peccato, ut peccatum vitare nollet, si nullus esset Infernus, talis actus ex Divo Thoma malus est, eo quod est conjunctus cum affectu ad peccatum. Valde tamen periculosum existimo peccatoribus attritis talem suppositionem objicere.

9. Unde ergo habetur, quod dolor propter timorem Gehennæ a Deo infligendæ sit actus bonus?

Resp. Habetur ex hoc, quod omnis timor mali recipit suam bonitatem a bono illi opposito: Gehenna autem est opposita Beatitudini; cum ergo laudabile sit Beatitudinem appetere, laudabile etiam est timere. & dolere de ejus amissione.

10. Ad attritionem veram sufficitne dolor ille, quo quis dolet se non posse dolere, & attritionem elicere?

Resp.

Resp. Negative; dolere enim de carentia doloris, est dolere de defectu suæ voluntatis non detestantis peccata; non vero dolere de peccatis. Ut plurimum autem sic reflexe dolens de negatione doloris, jam dolet de peccato; sed dubitat scrupulose de eo non dolere, quia non habet dolorem sensibilem, quem habere vellet.

Propositiones damnatæ reducendæ ad hoc caput.

Ab INNOCENTIO XI. 57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem modo honestam.

Ab ALEXANDRO VIII. 16. Timor Gehennæ non est supernaturalis.

Ab ALEXANDRO VIII. 17. Attritio, quæ Gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

CAPUT V.

De Confessione.

1. QUid est Confessio?

Resp. Est legitima & Sacramentalis accusatio peccatorum coram Sacerdote Christi Vicario, ad veniam illorum, virtute clavium, obtinendam. Ejus conditiones sunt sexdecim, ab auctoribus in his quatuor carminibus collectæ:

Sit simplex, humilis, confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ex his conditionibus, quatuor tantum sunt essentiales, scilicet integritas quoad lethalia, fidelitas dicens dubia pro dubiis, & certa pro certis sine æquivocatione, & cum circumstantiis aggravantibus ad infinitum, vel aggravantibus, & imminuentibus do-

lorem, & propositum satisfaciendi. Confessio, quæ facta fuit sine aliqua ex istis conditionibus, est iteranda, adendo insuper se fecisse confessionem nullam ex defectu doloris, vel propositi, vel integritatis; neque sufficit confiteri peccatum relictum, vel de quo non doluit; sed omnia insuper repetenda sunt: nullum enim peccatum fuit remissum, eo quod unum lethale sine alio non remittatur.

2. Debetne semper Confessio esse integra?

Resp. Regulariter loquendo debet esse integra materialiter, & formaliter, hoc est de omnibus peccatis commissis ab ultima confessione: potest tamen esse valida, si sit solum de peccatis, quæ pro eo tunc post diligens examen memoriæ occurrunt; vel si relinquatur aliquod peccatum, eo quod ex ejus confessione timeatur grave damnum pœnitenti, vel alteri; vel in casu mortis, in quo pœnitens non potest omnia exprimere: tunc enim confessio est integra tantum formaliter, hoc est in præparatione animi ad confitendum cuncta: non vero materialiter, quia omnis materia peccaminosa expressa non fuit. Verum cessantibus hisce circumstantiis, tenetur pœnitens denuo subdere clavibus peccata relicta, quia ista fuerunt solum absoluta indirecte.

3. Si quis dicat mendacium in confessione, facitne Confessionem invalidam?

Resp. Si tale mendacium est circa materiam necessariam, & varians speciem peccati lethalis, vel minuens ejus numerum, est invalida, & sacrilega. Si autem quis mentiatur in materia levi, vel ad confessionem non pertinente, nequaquam. Item etiam si mentiatur ex ignorantia, eo quod pro eo tunc post diligens examen menti non occurrant delicta, circumstantiæ, & numerus, tunc confessio invalida non est, sed tale peccatum est denuo clavibus subjiciendum: quia indirecte tantum fuit absolutum.

4. Si quis ex inadvertentia dicat peccatum tamquam certum, quod postea advertens cognoscit esse dubium, teneturne denuo subdere clavibus.

Resp. Negative, quia judicium absolutivum crimi-

nis certi, a fortiori est absolutivum criminis dubii, quod continetur in certo. Res e contra decidenda est de eo, qui confitetur peccatum dubium, quod post deprehendit esse certum. Majus enim est crimen certum præ dubio; sic nequit in eo contineri. Idem dic de eo, qui dixit ex ignorantia numerum excedentem, qui utique continet numerum minorem: repetenda autem est confessio, si dixit numerum minorem, quem deprehendit postea esse majorem.

5. Si quis dicat in materia necessaria, peccavi decies circumcirca, & postea deprehendat se peccasse undecies, vel duodecies, teneturne denuo subdere clavibus,

Resp. Cum Tamburino; si non sit magnus excessus in numero, ly circumcirca, vel plus minusve, extenditur etiam ad numerum parum distantem; quapropter non tenetur ad denuo confitendum. Si autem excessus sit in magna quantitate, tenebitur denuo confiteri.

6. Quantum ad peccata dubia, adverte cum Tamburino, quod rustici, mulierculæ, & pueri, qui bona fide suas confessiones coram Parocho, etiam indocto, grossiore modo exhibuerunt, licet peritiores, & grandiores effecti videant in multis se defecisse, unde & multa dubia pro certis, & e contra, unumque numerum pro alio se dixisse animadvertant, non sunt cogendi repetere confessionem. Ratio est; quia satis superque saltem in confuso Confessarius eorum peccata percipit, & directe absolvit; & ex alio capite praxis fidelium est has confessiones non repetere: ad quod si fideles obligarentur, omnia scrupulis forent obnoxia. Hæc sunt verba Tamburini, qui citat pro se Fagundez, & Lugo.

7. Quomodo peccator habitualis, puta meretrix, quæ ad bonam vitam reducatur, dicere debet speciem, & numerum peccatorum?

Resp. Duplex est opinio, alia nimis severa, & in praxi fere impossibilis, quod debet dicere speciem, & numerum suorum peccatorum. Alia nimis laxa,

quod

quod sufficiat dicere, tanto tempore fui omnibus publice exposita. Placet ergo hic cum Tamburino media via procedere; hinc meretrix tenebitur dicere non solum tempus mali status, sed etiam principales species peccatorum, quas memoria retinet, puta, peccavi cum solutis, conjugatis, cum propinquis, &c. & saltem in confuso, toties, plus minusve per menses, vel per hebdomadas; & sic de omnibus peccatis operis.

8. Circa numerum actuum internorum, addit Tamburinus cum Vasquezio, non esse cogendos hos peccatores habituales ad explicandum frequentiam, & numerum per hebdomadas, & dies, quia hoc est moraliter impossibile sine magno periculo erroris per excessum, vel per defectum. Sufficeret ergo, quod dicat, per annum obvias fœminas concupivi: & dicat species principales, an frequenter cognatas, an conjugatas, &c. Idem dic de eo, qui domi habuit concubinam, satis esse si dicat, per tot annos retinui apud me puellam tamquam uxorem: & addat, semel in die plus minusve eam cognovi, & animum semper habui paratum ad cognoscendam, prout libuerit.

9. Adverte hic cum Tamburino, & Vasquezio, quod ille, qui propter inveteratam consuetudinem non potest numerum peccatorum distincte explicare, & ideo dicit tempus, ut de meretrice, non tenetur iterum postea confiteri peccata particularia, quæ memoriæ occurrunt, si tamen non sint specie diversa, licet ea posset magis distincte aperire, quia in illa confusa narratione comprehensa, & directe absolua fuere.

10. Ut confessio sit integra, debetne quis explicare media, quibus usus est ad peccandum?

Resp. Si media sunt indifferentia, ut ambulare, ire ad talem locum ad occidendum, ad fornicandum, non sunt declaranda; si sunt mala, & diversæ speciei a peccato, quod intenditur, ut furari, ad adulterandum inducere alium, ut ipsum adjuvet ad occidendum; sunt utique exponenda: quia in primo casu, est peccatum furti diversum ab adulterio; in se-

in secundo, peccatum scandali. Si media sunt mala, & ejusdem speciei, & sunt veluti actus initiativi in ordine ad actum consummatum, puta turpiloquium, tactus, & similia assumpta ad fornicandum, immediate ante, vel post, actu secuto; non sunt exprimenda, quia faciunt unum cum actu; & solum aggravant intra eandem speciem: actu vero non secuto, necessario exprimenda sunt, quia de se sunt mala.

11. Cum pœnitens aliter non potest explicare speciem sui peccati, quam revelando complicem delicti, puta qui incestum habuit cum sorore utique Confessario nota, teneturne complicem revelare?

Resp. Affirmative; quia illa peccando cum fratre, quem scit aperiturum suum delictum Confessario, cessit juri suo quoad bonam famam, quam apud Confessarium habebat. Deinde ordo charitatis postulat, ut prius quis sibi consulat, & postea bonæ aliorum famæ, quæ non tantum læditur apud Confessarium, ut præponenda sit securitati propriæ conscientiæ. Si autem quis possit integre fateri suum peccatum, etiam quoad speciem, absque complicis revelatione, tenetur hoc facere.

12. Si quis in sua adolescentia peccatum lethale tacuerit in confessione, deinde post multos annos recordetur illius, teneturne omnes confessiones repetere?

Resp. Negative: sed solum tenetur repetere illas, quas ficto animo propter erubescentiam sacrilege fecit: secus necesse non est, quod omnes repetat: cum in aliis confessionibus, in quibus conscientiam peccati relicti non habuit, hoc fuerit indirecte absolutum, cetera autem directe.

Sententiæ damnatæ, reducendæ ad hoc caput.

Ab ALEXANDRO VII. 11. peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Ab INNOCENTIO XI. 36. Frequens confessio & commu-

communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt; est nota prædestinationis.

CAPUT VI.

De Satisfactione.

1. QUid est satisfactio.

Resp. Est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus & sanctis a Confessario injunctis. Cum non sit pars essentialis Sacramenti ut actu a pœnitente exercita, & consummata: si quis ante illam peractam decederet, adhuc salvaretur. Ut est tamen propositum satisfaciendi Deo offenso, & reparandi meliori modo quo potest Jus divinum læsum, est pars essentialis; & ut notat Camacchius, continetur in proposito servandi mandata Dei, inter quæ utique est pœnitentiæ præceptum.

2. Si pœnitens nullam in hoc mundo vellet pœnitentiam facere, sed omnem sibi reservaret in purgatorio faciendam, essetne absolvendus?

Resp. Cum Camacchio, & Bertau, non foret absolvendus: non enim præsumitur contritus, & paratus ad servanda præcepta, cum nolit pœnitentiam facere tantopere a Scripturis commendatam, & a tota Ecclesia in praxi positam. Temerarius insuper, & præsumptuosus censendus est; & sapit manifestam tentationem Dei, cum periculo suæ æternæ salutis reservare sibi in alio mundo, cum nemo certus sit, quid sibi in alia vita sit reservatum.

3. Poteſtne pœnitens mitiorem pœnitentiam petere, antequam absolvatur?

Resp. Affirmative: licet hoc enim indicet animum imbecillem, & mollem ad satisfaciendum Deo, non tamen totaliter aversum a satisfactione, cum paratus sit mitiorem adimplere. Quod si Confessarius nolit eam moderare, potest a confessione desistere, & sibi quærere Confessarium minus rigidum: nam pœni-

pœnitens non tenetur obedire Confessario, nisi titulo absolutionis judiciariæ, quam reportat; si ergo absolutionem ab eo non accipiat, nullam injuriam ei facit, pœnitentiam non acceptando. Quod si acceptet, tenetur sub lethali pœnitentiam læthalium facere, & sub veniali venialium, nisi tamen pœnitentiam aliquam dederit Confessor sub consilio, aliam sub præcepto; quæ enim data est sub consilio, sub nullo peccato urget conscientias. Potest, ut vult de Lugo, Confessor aliquando nullam pœnitentiam imponere, ut si pœnitens sit impotens, & ita morti propinquus, ut nihil exequi possit. Extra hunc casum, non video alium, in quo Judex sine ulla pœna possit prudenter absolvere a culpa.

4. Quantanam imponi debet pœnitentia?

Resp. Confessarius attenta qualitate personæ & delictorum debet cum proportione pœnitentiam injungere, observando quæ vult *Trid. sess.* 14. *c.* 8. dicens fieri peccatorum participes, qui sine justa causa pro gravibus peccatis leves pœnitentias injungunt. Adverte tamen cum Tamburino, spectandam esse utilitatem, & necessitatem spiritualem pœnitentis; adeoque persæpe moderandam esse pœnitentiam, lenioremque, quam pœnitens mereatur, imponendam; ut si timetur pusillanimitas, vel horror Confessionis in pœnitente. Item cum prudenter timetur, quod pœnitens non exequatur majorem pœnitentiam, quam meretur, minor potest injungi, reliquum Deo commendando. Ita Præpositus *in tertiam partem ad Pœnitentiam dub.* 7. Cui adde illud operis imperfecti in Matthæum: *Et si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere Deo, quam propter crudelitatem?*

5. Observa etiam, quod addit Polancus in *Directorio Confessionis*: Confessor quædam etiam pœnitentis relinquat arbitrio, ut si dicat: hoc facies, vel si malis, illud. Demum potius unum *Pater & Ave* imponat, quam recedere sinat afflictum, vel desperatum pœnitentem, ob pœnitentiæ gravitatem. Quando autem exigua injungitur pœnitentia, indicari potest,

test, quam majorem mereatur: siquidem septennis pro quolibet peccato lethali in usu erat primis Ecclesiæ temporibus. Si tamen timeretur nimia dejectio, vel diffidentia, neque expedit hoc dicere.

7. Quia tamen in hoc scrupulose nimis, quam par est, aliqui se gerunt Confessarii, attendant ad illud, quod habet de Lugo: Pœnitentia debet esse salutaris, & conveniens: hoc est, primo loco attendi debet ad utilitatem spiritualem pœnitentis, ne scilicet laquei ei injiciantur, & nova peccata committat. Ex hoc potissimum capite excusari potest hodierna praxis, qua leves pœnitentiæ injunguntur pro gravissimis peccatis: idem enim sæpe fit propter spiritualem infirmitatem pœnitentium, qui gravioribus pœnitentiis scandalizabuntur, & vel confessionem fugient, vel certe ineptos Confessarios adibunt, qui eos curare nesciunt. Denique in dubio inclinandum est ad partem benigniorem, in qua minus est periculi. Monendi tamen sunt pœnitentes de sufficientia satisfactionis injunctæ, & consulendus est ipsis usus Indulgentiarum, ut sic suppleatur defectus propriæ satisfactionis. Hæc omnia de Lugo.

7. Quænam sunt opera pro pœnitentia injungenda?

Resp. Hæc sunt triplicis differentiæ. Primo, Oratio, ad quam reducuntur visitationes Ecclesiarum, auditiones plurium Sacrorum, & similia devotionum genera. Secundo, Jejunium, ad quod reducuntur quælibet carnis mortificationes, ut usus Ciliciorum, & Disciplinæ. Tertio, Eleemosynæ, ad quas reducuntur omnia opera misericordiæ in proximos. Opus tamen, quod injungitur pro pœnitentia, non debet esse alio titulo debitum; ut si injungatur auditio Sacri, non intelligitur illa, ad quam quis tenetur ratione festi. Possunt etiam omnia opera bona unius diei, vel hebdomadæ, quæ facturus est pœnitens, injungi pro parte pœnitentiæ. Sic enim elevantur ad satisfactionem Sacramentalem ex opere operato. Hæc tamen confusa pœnitentiæ impositio facienda non est, nisi simul cum alia particulari prius imposita.

8. Si Confessarius injungat pœnitentiam levem pro

morta-

mortalibus, alias jam absolutis, teneturne eam pœnitens facere sub lethali?

Resp. Negative: quia licet causa de se gravis sit, tamen materia præcepti non est ad tam gravem obligationem sufficiens. Ita Tambur.

9. Quo tempore pœnitens tenetur pœnitentiam adimplere, si nihil a Confessario determinatum sit?

Resp. Quamprimum commode potest, sicuti obligant votum, & alia præcepta positiva. Dilatio ad longum tempus, si minuat pœnitentiæ rigorem, erit utique lethalis; si non minuat pœnitentiæ rigorem, sed sit diuturna, & notabilis, Bonacina putat eam esse censendam mortalem. Unde autem sumenda sit hæc dilatio notabilis, hoc pendet a prudentia Confessarii, qui judicare debet juxta qualitatem temporis, & accidiæ impedientis satisfactionem, & de ejus gravitate, quæ utique tanta censenda non est, si procedat ab aliqua gravi necessitate, vel negotio. Dixi, si Confessarius non determinet; casu enim quo tempus præscribat, & determinet, & omissio sit gravis, utique lethalis erit in casu Confessionis lethalium.

10. Poteſtne pœnitens pœnitentiam facere, dum est in peccato lethali?

Resp. Affirmative: quia quamvis non sit in statu meriti, est tamen in statu tali, in quo potest satisfacere præcepto Confessarii, sicut etiam in eodem satisfacit aliis præceptis Ecclesiæ. Ad summum erit peccatum veniale propter levem irreverentiam Sacramenti, ejus partem integralem ponendo in lethali.

11. Poteſtne quis satisfacere per alium?

Resp. Regulariter loquendo; Satisfactio debet præstari ab offendente per se, non per alium, nisi forte sit eleemosyna, quæ ex genere suo sive per se, sive per alium præstari potest. Non tenetur impotens, puta ad jejunium, quærere alium, qui pro se jejunet, quia posita impotentia cessat obligatio præcepti.

12. Ad quid tenetur pœnitens, qui oblitus fuit pœnitentiæ?

Resp. Non tenetur ad repetendam pristinam confessionem, sed confiteri solum de sua oblivione, &

tunc

tunc judicio Confessarii imponenda est nova pœnitentia juxta præsentem statum pœnitentis.

13. Obligaturne pœnitens non solum ad substantiam operis, sed etiam ad circumstantias, puta ad recitandas præces ante tale Altare flexis genibus, & similia?

Resp. Quando substantia operis est levis, & circumstantia gravis, tunc pœnitentia, si est pro lethalibus, obligat sub lethali, quando e contra substantia est gravis, & circumstantia levis, tenetur ad eam sub veniali.

14. Poteſtne pœnitentia injuncta ab uno Confessario, immutari ab alio?

Resp. Novus Confessarius directe pœnitentiam immutare non potest; cum hæc non spectet ad suum judicium; poterit tamen indirecte immutare, si status præsens pœnitentis fuerit immutatus; ut si qui antecedenter erat liber, evadat nuptus. Vel directe, si denuo repetantur peccata, & fiant novi judicii materia. Vel etiam si fuerit nimia, & irrationabilis. Confessor non habens casus reservatos, etiamsi audiat reiteratam pœnitentis Confessionem reservatorum, non potest immisceri in judicio facto ab habente auctoritatem, nisi forte sit adeo magnus excessus in pœnitentia, ut evadat onus intollerabile.

Sententiæ damnatæ, reducendæ ad hoc caput.

Ab ALEXANDRO VII. 15. Pœnitens propria Auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Ab ALEXANDRO VIII. 18. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

Ab ALEXANDRO VIII. 21. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

Ab ALEXANDRO VIII. 23. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua

grua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

CAPUT VII.

De Absolutione.

1. QUænam est forma absolutionis?

Resp. De necessitate Sacramenti est: Absolvo te a peccatis tuis; neq ultima verba omitti possunt absque lethali ob periculum invaliditatis, & ob praxim communem Ecclesiæ. Reliqua præcedentia, scilicet: Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus, Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges. Deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Passio D. N. Jesu Christi, & merita B. M. semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen. Nota, quod si pœnitens non fuerit Clericus, omittitur verbum *suspensionis*. Hæc omnia in ordinariis Confessionibus omitti nequeunt sine causa absque peccato veniali. Tamen in articulo mortis, cum timetur ne pœnitens inabsolutus decedat, sufficit dicere: Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. In magno Populi concursu sufficit incipere a verbis: Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & desinere ad illa verba; Passio Domini nostri.

2. Si auditis peccatis Confessor suspendat absolutionem ad aliquos dies, puta, ut prius pœnitens restituat,

ftituat, vel ut ipse obtineat auctoritatem super reservatis, quæ audivit: teneturne pœnitens Confessionem integram repetere?

Resp. Pro primo casu, si Confessor jam pœnitentiam imposuit, non est necesse, quod recordetur status pœnitentis, vel quod pœnitens repetat peccata, quia judicium jam terminatum fuit, & solum sententia suspensa est usque ad purificationem conditionis, qua posita, si nova peccata commisit, debet illa dicere, & absolvi. Si autem pœnitentia imposita non est, debet pœnitens in confuso denuo peccata dicere, ut Confessarius, cognito statu pœnitentis, congruam pœnitentiam imponat. Ita Suarez. Melius tamen mihi videtur, quod in omni eventu, saltem in confuso repetantur peccata, ut status pœnitentis denuo rememoretur Confessario, judicium terminanti per absolutionem.

Resp. Pro secundo casu; reservata debentur denuo exponi, quia prima vice non fuerunt subdita Judici, cum Confessarius defectu auctoritatis, Judex pro eo tunc non fuerit.

3. Absolutio a censuris debet semper præcedere absolutionem a peccatis: effectus enim censuræ est privare participatione passiva Sacramentorum. Debet ergo pœnitens prius per absolutionem a censuris fieri habilis ad Sacramenta suscipienda, deinde ei absolutio sacramentalis impertiri.

4. Si Confessarius obliviscatur absolvere a censura, qua irretitus est pœnitens, eritne hic bene absolutus a peccatis?

Resp. Si censuræ non excedunt potestatem absolventis, pœnitens erit ab illis absolutus, quia earum absolutio virtualiter continetur in illis verbis, Absolvo te a peccatis; nam ab habente auctoritatem, peccata absolvi possunt, tum quoad reatum culpæ, tum quod pœnas Ecclesiasticas: hinc cum Confessarius dicit, Absolvo te a peccatis, si non præmittat absolutionem a censuris, implicite intelligitur absolvens quoad omnia, quæ potest; secus non fungeretur recte suo munere. Si autem censuræ excedunt

pote-

potestatem absolventis, & pœnitens bona fide omisit confiteri censuras, erit per accidens absolutus a peccatis, remanentibus censuris. Gratia enim sanctificans est compossibilis cum censuris, quæ privant hominem passiva Sacramentorum receptione. Si tamen Confessarius absolveret a peccatis, qui non potest a censura absolvere, peccaret mortaliter, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi.

5. Potestne dari absolutio sub conditione?

Resp. Si conditio est de præsenti, puta, Absolvo te, si es dispositus; vel de præterito, si restituisti, potest dari. Si autem de futuro, puta, Absolvo te, si restitues: non potest dari. Non enim potest suspendi effectus gratiæ, casu quo quis de præsenti sit dispositus.

6. Potestne Confessarius, auditis peccatis, denegare absolutionem?

Resp. Sine causa justa non potest, & si deneget, peccat mortaliter; cum causa justa, non solum potest, sed debet; & maxime in tribus casibus. Primo, propter occasiones proximas non amotas, vel rem alienam non restitutam, quæ omnia in aliis confessionibus serio promisit. Secundo, propter frequentem relapsum in eodem peccato, sine ulla emendatione. In his enim duobus casibus, moraliter censeri debet pœnitens indispositus defectu propositi emendationis. Tertio, propter spirituale emolumentum pœnitentis; quia Confessarius advertat, quod ex dilatione absolutionis, ferventius pœnitens se disponat ad eam habendam. In hoc tamen casu, caute quis se gerat.

7. Quomodo absolvi debet Moribundus, qui loqui non potest?

Resp. Si Moribundus dedit signa doloris, puta percutiendo pectus, restringendo manum præsente Sacerdote, vel aliquo fide digno, qui hoc testetur, Sacerdos potest eum absolvere rite, sine ulla restrictione mentali, aut vocali. Si autem signa veniæ a Deo petendæ sint dubia, debet absolvi sub conditione, scilicet, si es dispositus, ego te absolvo, &c.

Si nul-

Si nulla potuerit dare signa, eo quia subito sensibus fuerit destitutus: dico cum Patre Homobono, Molfesiò, & aliis ab eodem citatis, quod Moribundus sufficienter dedit signa suæ ultimæ voluntatis confitendi, per mores Christianos toto tempore vitæ suæ peractos, neque censendum est, quod qui sanus laudabiliter usus est Sacramentis, in periculo mortis ea non petat. Hinc propter talia signa interpretativa voluntatis, poterit absolvere sub conditione de præsenti, scil. si es dispositus, ego te absolvo, &c. Si autem quis, dum actu lethaliter peccat, subito destituatur sensibus, tunc attritus præsumendus non est, nec absolvendus. Tamburinus docet, quod neque huic absolutionem sub conditione denegaret, quia potest esse, quod non ita destituatur sensibus, ut vicinus morti non reflectat ad suam salutem, ad quam per attritionem se disponat; quia ex una parte in extrema necessitate consulitur de medio ad salutem necessario, ex alia per conditionem de præsenti providetur reverentiæ Sacramenti.

Propositiones damnatæ, ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Trident. in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacr. Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est.

Ab eodem 4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

Ab INNOCENTIO XI. 56. Licet sacramentaliter absolvere, dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis potest v. g. contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

Ab INNOCENTIO XI. 60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ,

aut

aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec est differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

Ab INNOCENTIO XI. 61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

Ab INNOCENTIO XI. 64. Absolutionis capax est homo, quamvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.

Ab ALEXANDRO VIII. 19. Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

CAPUT VIII.

De Sigillo.

1. QUid est Sigillum?

Resp. Est obligatio tacendi ea, quæ audita sunt in Confessione Sacramentali: & obligat ad silentium de Lege Divina, Ecclesiastica, & naturali. Differt a secreto naturali, quia in hoc se offerunt plures casus, ut boni publici in rebellione, & similibus; in quibus secretum negligi potest, & debet; at sigillum Confessionis in nullo casu sine licentia pœnitentis violari potest; secus odiosa nimis redderetur confessio. Non licet Confessario revelare peccata, neque directe, neque indirecte, neque in vita, neque post mortem pœnitentis.

2. Cadunt sub sigillo non solum peccata in specie, sed etiam in genere, si loquamur de mortalibus, non vero si de venialibus, unde dicere: Hic mihi confessus est venialia, non est fractio sigilli. Bene autem si dicatur: Confessus est multa venialia, vel venialia gravia: Cadunt etiam sub Sigillo defectus naturales in Confessione comperti, de quibus

quis valde erubesceret, complices delicti, & pœnitentia gravis-injuncta, dilatio absolutionis, negatio ob casus reservatos, & quidquid, si reveletur, minuere potest bonam famam pœnitentis, & reddere confessionem odiosam. Hinc Tamburinus vult, quod si quis secreto confessus est, neque hoc possit revelari, quia pœnitens esset invitus, cum ob talem Confessionem factam secreto detur ansa suspicandi malum statum pœnitentis, qui ad hanc faciendam obligavit: maxime si quis habeat Confessarium proprium, & ad alium secreto accessit. Bonacina vult, quod nec generaliter liceat loqui de vitiis alicujus parvæ Parochiæ, dicendo verbi gratia: In ista parva Parochia vitium luxuriæ multum dominatur: hoc enim esset offendere graviter pœnitentes, qui ad istum Confessarium accedunt; & forte facile erit, facta inductione pœnitentium, devenire in cognitionem eorum, qui tali vitio sunt irretiti.

3. Ex quanam Confessione oritur obligatio sigilli?

Resp. Ex Sacramentali, sive valide, sive invalide facta, dummodo peccata dicta sint in ordine ad claves, seu ad absolutionem sacramentalem habendam. Hinc si quis consulat aliquem in ordine ad modum explicandi peccatum in Confessione, hic tenetur ad sigillum. Insuper si quærat, num hoc confitendum sit, vel reticendum. Si autem pœnitens sua occulta negotia sub sigillo Confessionis protestatur narrare; & si quis adeat Sacerdotem animo narrandi aliquod, vel proprium, vel alterius crimen, vel provocandi ipsum ad peccatum, vel aliud quid simile agendi, sine animo obtinendi absolutionem, tenebitur quis audita reticere sub secreto naturali, non sub sigillo sacramentali, quia hæc in Confessione accepta non sunt, neque cum ordine ad claves.

4. Si quis cum juramento obligetur a Judice Supremo ad aperiendum crimen auditum in Confessione, quid tenebitur facere?

Resp. Potest absolute dicere se nescire illum esse reum talis criminis. Ita Tambur. Verum mihi videtur cautius nolle jurare, & dicere Judici se non posse

posse loqui de auditis in Confessione; & hoc tenetur facere Sacerdos, etiamsi ipsi immineat grave damnum; hoc enim est pati propter justitiam.

5. Licetne duobus Confessoribus, qui pœnitentem de iisdem peccatis se accusantem audiverunt, adinvicem colloqui de auditis?

Resp. Negative, quia uterque sigillo obstrictus est?

6. Si quis in Confessione deprehendat aliquem esse uxoratum, nobilem, Religiosum, & quid simile, spectans ad qualitatem personæ, poteſtne hoc revelare?

Resp. Si de revelatione pœnitens non sit invitus, potest revelare. Si autem invitus sit, eo quod forte notitia qualitatis personalis sit ipsi gravis, vel damnosa, reticeri omnino debet.

7. Poteſtne quis colloqui cum pœnitente de auditis in Confessione?

Resp. Sine licentia non potest, hoc enim est ipsum confundere: si autem pœnitens prius ipse loquatur ad petendum consilium, potest de iis loqui; censetur enim, quod loquens cum obligatione ad respondendum, det facultatem. Si autem Confessarius petat licentiam loquendi de auditis in Confessione propter gravem errorem, quem commisit in administratione Sacramenti, & pœnitens nolit licentiam dare, Suarez vult non frangi sigillum, quia tunc pœnitens est irrationabiliter invitus.

8. Monere super generalia Matronam, ut melius consulat domui suæ, & invigilet super filias, & famulos: item Dominum, ut caveat se a domesticis: Gubernatorem, ut præmuniat melius se, ne a proditoribus subripiatur, est semper fractio sigilli, reddens Confessionem odiosam. Immo si ex Confessione præterita complicis sciat pœnitentem esse ream adulterii, vel incestus, vel alterius peccati, quod reticet, poterit quidem eam interrogare; si autem hæc semper neget, nullum potest dare indicium suæ notitiæ, sed tuto absolvere, committendo rem Deo. Neque ad cavendum grave damnum licet dicere: In isto loco, designando scilicet partem Civitatis, vel

Monasterii, perpetratur grave crimen. Neque: ad hunc locum deberent bene advertere judices, vel Civitatis excubiæ.

9. Si Confessarius ex Confessione sciat vinum pro suo Sacrificio esse veneno infectum, vel aliunde sibi mortem imminere, potestne uti scientia Confessionis ad mortem vitandam?

Resp. Suarez vult nullo modo posse uti prætextu aliquo, si ex hoc conjurati suspicari possint complicem delicti revelasse in Confessione mortem Sacerdoti dandam, & hinc immineat grave damnum pœnitenti. De Lugo vult prætextum aliquem, quo vitæ suæ provideat, non esse illicitum, etsi ex hoc immineat damnum pœnitenti. Ratio est, quia aliud est facto ipso patefacere peccatum; aliud est simulato prætextu facere aliquid, vel omittere, ex quo aliunde scientes possint suspicari peccatum fuisse confessum. Primum est fractio sigilli, secundum non; cum non sit aliqua aperitio secreti, nec verbo, nec facto exhibita; ex aliorum enim malitia provenit, quod culpa innotescat.

10. Quinam tenentur ad sigillum?

Resp. Confessarius, interpres, alii fortuito audientes Confessionem, invenientes chartam cum descriptione peccatorum in ordine ad Confessionem, is a quo petitur consilium peccati in Confessione exprimendi, Prælatus ad quem acceditur pro licentia a reservatis, omnes isti tenentur ex fidelitate, ex Religione, ex præcepto divino, naturali, & ecclesiastico.

CAPUT IX.

De Conscientia.

SECTIO I.

De Conscientia in genere, recta, & erronea.

1. QUid est Conscientia?

Resp. Conscientia, quæ est prima regula proxima morum, definitur judicium practicum particu-

ticulare ordinatum ad operandum, quo quis judicat hanc, vel illam rem esse malam vel bonam. Quintuplex est, scilicet recta, erronea, dubia, probabilis, & scrupulosa. Conscientia recta est, qua quis prudenter judicat operationem, quæ est bona, esse bonam, & quæ est mala, esse malam. Erronea est, qua quis imprudenter determinate judicat bonum malum, & malum bonum. Dubia est, qua quis determinate nescit, an aliquod sit bonum, vel malum, sive suspendendo judicium ad utrumque, sive positive dubitando. Probabilis est, qua quis ex aliquibus rationibus non levibus, vel ex Doctorum auctoritate, assentitur uni parti cum formidine oppositi. Scrupulosa est; qua quis ex aliquibus rationibus levibus judicat rem bonam esse malam. Hinc frequenter dubitans in omnibus de contrahendo peccato, dicitur scrupulosus.

2. Operans contra conscientiam rectam, peccatne?

Resp. Affirmative; Quia conscientia recta est proxima regula voluntatis creatæ in ordine ad bene operandum, participata a prima regula omnium actionum humanarum, scilicet lege æterna Dei; & de illa dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*.

3. Cujusnam speciei est peccatum?

Resp. Est illius speciei, contra cujus virtutem judicium practicum judicat aliquem peccare; si qui osculatur puellam contra conscientiam rectam dictantem puellam non esse osculandam, ut servetur castitas, & vitæ puritas, peccat contra castitatem;

4. Operans contra conscientiam erroneam peccatne?

Resp. Si conscientia sit inculpabiliter erronea, operans contra illam peccat, quia habet affectum ad malum, & voluntatem determinatam ad illud faciendum: judicat ex ignorantia, & errore, puta, non mentiri cum damno proximi esse malum, & Dei offensam, & nihilominus mentiri non vult: in quo casu jam patet, quod voluntas est male affecta erga legem, & Deum, quem vult offendere potius, quam mentiri: sicque peccat. Et hinc Sancti Patres explicant illud dictum S. Pauli *ad Rom.* 14. *Omne*

quod non est ex fide peccatum est: hoc est, omne quod non est ex conscientia.

5. Si conscientia erronea judicet aliquod esse præceptum sub lethali, quod revera præceptum non est, illud transgrediens peccatne?

Resp. Affirmative; sic qui putat se ante vigesimum primum annum, vel post sexagesimum teneri ad jejunium, & non jejunat, peccat, quia habet voluntatem malam ad legem transgrediendam, & quantum est ex se, vult legem transgredi casu quo sit. Si vis rationem subtiliorem, est in promptu illa, quam ex D. Thoma tradunt Scholastici: quia objectum cognitum specificat actum voluntatis, non ut est tale in se, sed ut proponitur ab intellectu. Cum ergo conscientia erronea proponat in casu supra assignato fractionem jejunii tamquam malam, & oppositam legi Ecclesiasticæ, fractio jejunii erit actio mala.

6. Quid est conscientia inculpabiliter erronea?

Resp. Est judicium practicum imprudenter dictans bonum malum, & e contra, post factam sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem de bonitate & malitia rei, qua non obstante quis errat. Conscientia culpabiliter erronea est judicium practicum dictans bonum malum, post nullam, vel saltem modicam & insufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem de bonitate & malitia rei.

7. Qui operatur ex conscientia culpabiliter erronea, peccatne si operetur juxta conscientiam, vel si operetur contra conscientiam?

Resp. Peccat in utraque parte, & si operetur juxta, & si operetur contra. Sic qui v. gr. putat ex conscientia erronea culpabili & vincibili mentiri in judicio ad evitandum grave damnum in proximo esse præceptum sub lethali a lege charitatis, peccat si mentiatur, & peccat si non mentiatur. Ratio primi est, quia ignorantia vincibilis non excusat a culpa; cum enim sit in nostra potestate ignorantiam vincere, & errorem deponere, peccatum ex tali ignorantia est voluntarium indirecte, scilicet in eo actu; quo possumus, & nolumus erudiri in necessariis ad

salu-

salutem. Ratio secundi est, quia qui facit contra conscientiam erroneam, facit contra dictamen rationis ostendentis non mentiri esse malum: igitur si mentitur, vult malum facere, Deum offendere, & hinc peccat. Debet ergo secundum Layman, & Becanum, homo sic constitutus errorem deponere, quod facere potest, cum conscientia erronea culpabilis est, postea operari secundum conscientiam rectam. Si hoc non facit, libere in causa peccat, vertendo se ad alterutram partem.

8. Agere contra conscientiam erroneam; estne mortale, vel veniale?

Resp. Ex Homobono, tale peccatum est, quale dictat conscientia; unde si dictet expuere in Ecclesia esse mortale, expuens peccat mortaliter; si veniale, venialiter. Ex D. Thoma enim, voluntate & proposito maleficia distinguuntur.

9. Quomodo quis eruditior factus, explicare debet peccatum commissum contra dictamen conscientiæ erroneæ?

Resp. Ex Homobono *tract.* 5. *cap.* 10. *q.* 63. Regulariter non tenetur exprimere circumstantiam conscientiæ erroneæ, sed sufficit, quod qui in die, quem putat festum, vel jejunii, omisit sacrum, vel jejunium, dicat: omisi sacrum in die festo: fregi jejunium cum tenebar jejunare: dico regulariter; si enim aliquam circumstantiam mutantem speciem secum afferat, tenetur illam exprimere; sic qui peccavit cum ea, quam credebat consanguineam, vel voto castitatis alligatam, tenetur dicere: peccavi cum fœmina, quam falso credebam consanguineam, vel voto castitatis alligatam. Iste enim duplicem habet annexam malitiam, peccati fornicationis scilicet, & incestus, vel sacrilegii. Eodem modo se habet committens peccatum, cui falso putat annexam excommunicationem; habet enim superadditam malitiam inobedientiæ, & spretum Ecclesiæ. Immo quamdiu est in hoc errore, licet excommunicationem non incurrat, tenetur tamen se gerere ut excommunicatus: & si in divinis communicet cum fi-

delibus peccat mortaliter. Item qui putat teneri ad restitutionem per accidens, ratione conscientiæ erroneæ ita urgentis, restituere debet, licet æs alienum non habeat.

SECTIO II.

De Conscientia dubia.

1. Quid est Dubium?

Resp. Est suspensio assensus circa objectum apprehensum, per quam fit, ut neque judicet rem esse bonam, neque malam; sed circa utrumque est perplexus. Dubium duplex est, aliud universale, seu speculativum, quo quis in genere dubitat de bonitate, vel malitia objecti, puta an liceat piscari, & venari in die festo. Aliud practicum, seu particulare, quo quis dubitat, an hic & nunc, puta in festo Paschatis, venari, & piscari liceat. Hinc conscientia speculative dubia est, quæ in genere dubitat: practice dubia, quæ in hoc particulari hic & nunc agendo perplexa est.

2. Qui operatur cum conscientia practice dubia, peccatne?

Resp. Affirmative, & quidem peccato ejusdem rationis, & speciei, de qua dubitat. Sic dubitans de mortali, si operatur, peccat mortaliter; de veniali, venialiter. Dubitans, an sit furtum; committit peccatum furti; & quidem, etiamsi speculative quis certus sit de bonitate rei, & practice tantum dubius: puta, quis certus licitum esse venari in die festo, & dubius an in hac magna solemnitate hoc ei liceat, si venetur, peccat: ratio est, tum quia se exponit periculo offendendi Deum, & facit, ut dicit Homobonus, injuriam amico, dubitans, an hoc cedat in gravem amici offensam, & nihilominus illud vult facere: tum quia, ut diximus de conscientia erronea, omne quod non est ex fide, hoc est ex conscientia dictante hoc posse fieri, peccatum est.

3. Du-

3. Dubitans, an sit mortale, vel veniale hoc facere, quodnam peccatum committit?

Resp. Ille, qui est certus opus esse malum, & incertus, num sit mortale, vel veniale, & tamen operatur, ex Bonacina & Navarro, & aliis, probabilius, peccat tantum venialiter, nisi forte esset paratus ad tale opus faciendum, etiamsi sciret esse mortale; in hoc enim casu propter affectum ad lethale, utique lethaliter peccat. Ratio primi est, quia velle malum in genere, est velle malum, quod transcendit, & commune est mortali, & veniali, si autem hoc malum excederet veniale, non esset malum in genere, & in communi, sed malum tale, quod utique volitum non est ab eo, qui vult malum in confuso. Nihilominus Vasquez putat illum peccare mortaliter quia se exponit periculo mortaliter peccandi. Verum, ut notat Tamburinus, sic operans cum conscientia dubia in confuso, non advertit ad hoc periculum, adeoque ratione illius non potest fieri peccatum lethale culpabile.

4. Instante necessitate alicujus operis faciendi, de quo quis dubitat, an licitum sit necne: quid debet facere, ut vitet peccatum? puta, in tali festo quis dubitat, an debeat relinquere infirmum domi solum, ut sacro intersit; an relinquere sacrum, ut maneat apud infirmum?

Resp. Debet hic se determinare ad alterutram partem, adhibendo diligentiam in perscrutandis rationibus, quæ ei tunc menti occurrunt; quo facto persuadere sibi debet licitum esse hoc facere, & expedire præ alio, v. g. adstare infirmo, relicto sacro, vel e contra: quod si perpensis rationibus maneat adhuc anceps, & dubius, neque possit se resolvere, hoc sibi licere præ alio, debet facere id, quod existimat melius. Si neque discernat de meliori, faciat quod velit. Tunc enim perinde se habet, ac si quis haberet sententiam ex utraque parte æqualiter probabilem.

5. Quomodo intelligitur axioma illud: *In dubiis tutior pars est eligenda?*

Resp. Secundum aliquos, hoc axioma procedit;

cum ex una parte res est certa, & ex alia res est dubia. Tunc utique tutior pars est eligenda juxta illam regulam juris; *Tene certum, & dimitte incertum*. Beccanus existimat, illud procedere, cum dubium est practicum: non vero quando dubium est speculativum. Navarrus, Sanchez, & Bonacina putant hoc axioma, saltem in universum acceptum, esse consilium, non præceptum.

6. Qui in dubio constitutus, post diligens examen nescit se resolvere, teneturne sequi partem faventem præcepto, an illam, quæ favet libertati?

Resp. Si sit æquale dubium, & ille sit in possessione libertatis, potest eligere partem, quæ favet libertati. Si vero præceptum sit in possessione, tenetur eligere partem, quæ favet præcepto, juxta illud: *Melior est conditio possidentis*.

7. Undenam dignoscitur, pro quo stet possessio?

Resp. Est nimis difficile, regulam generalem assignare, & hoc dependet a notitia particulari singularum materiarum. Nihilominus in genere ille censetur possessor, pro quo stat præsumptio in foro externo. Pro illo autem stat præsumptio, qui transfert in alium onus probandi in contrarium. Sic dominus vineæ est possessor illius, quia pertinet ad alterum probare, quod non habeat legitimum dominium.

8. In quibusnam casibus stat possessio pro libertate?

Resp. In his, & similibus; cum quis post adhibitam sufficientem diligentiam dubitat, an lex, & præceptum fuerint imposita, puta jejunii: an votum emiserit, an juramento ad aliquid se obligaverit. In his casibus possessio stat pro libertate, quæ transfert onus probandi legem, præceptum, juramentum, & votum adesse; non enim obligant, nisi sufficienter proponantur; cum autem proponuntur sub dubio, tunc non sunt sufficienter proposita. Item, qui dubitat, an vigesimum primum annum attigerit, non tenetur jejunare, & cum cras est dies jejunii, & quis dubitat, an media nox pulsaverit, potest cœnare, & carnibus vesci. Qui post contractum matrimonium bona fide, dubitat de ejus valore; quod dubium,

post

post adhibitam sufficientem diligentiam, deponere non valet, potest petere, & reddere, quia possessio stat pro matrimonio. Item qui certus est de voto, dubius de eo, ad quod se extendit votum, ut si sciat se vovisse Religionem, dubitet tamen, utrum voverit certam aliquam, puta Cartusianam, an vero Religionem in communi; non tenetur voto quoad illam partem, de qua dubitat. In istis ergo, & similibus possessio stat pro libertate, cui cum non proponatur sufficienter ejus obligatio, potest pro libito ad alterutram partem se convertere.

9. Quinam sunt casus usitatiores, in quibus possessio stat pro lege?

Resp. Esse istos: qui certus est de lege, voto, vel juramento, vel debito, & dubitat, an satisfecerit, vel restituerit, tenetur satisfacere, vel restituere. Item qui dubitat, an recitaverit Officium, qui etiam certus de lege dubitat, an sit abrogata. Qui in die jejunii dubitat, an transacta sit media nox, tenetur abstinere a carnibus: quia in his omnibus præceptum, & obligatio sunt in possessione, proinde transferunt onus probandi contrarium in volentem licite contravenire. Similiter, si quis dubitet de ætate necessaria ad Ordines Sacros, vel ad Beneficium, non potest assumere, quia præceptum est in possessione; si dubites, an post mediam noctem aliquid gustaveris, non potes Communionem sumere, quia lex jejune sumendi est in possessione. Hæc autem omnia procedunt, cum, facta sufficienti diligentia, menti non occurrit motivum sufficiens, nec ratio ad dubium prudenter tollendum. Cæterum cum pro una parte major ratio habetur, quam pro alia; tunc illius rationis dictamen sequendum est.

10. Quantum autem ad modum agendi, cum conscientia speculative dubia, eo quod ex Theologia habeatur tanta sententiarum diversitas, ut difficile iis possit formari conscientia practice ita certa, ut pro alterutra parte aliquantisper non nutet: sequentes propositiones damnatæ satis erudiunt, in quibus casibus non liceat uti sententia probabili, relicta proba-

babiliori; in aliis autem in istis non comprehensis; habetur ex Bonacina referente plures, quod absque peccato licet sequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minus tutam (hoc est, quæ minus remota videatur ab omni specie peccati, quam altera) relicta probabiliori, & tutiori propria; seclusa tamen omni injuria, & periculo proximi, & dummodo opinio, quæ eligitur, adhuc sit probabilis.

11. Quid est scrupulus?

Resp. Est motio judicii ex levibus indiciis, & conjecturis ad dubitandum quasi de qualibet re, quod sit peccatum. Hinc quandoque ita angit, & perturbat mentem operantis, ut apprehendat culpam tam in actione, quam in omissione actionis.

12. Potestne scrupulosus agere contra dictamen conscientiæ scrupulosæ?

Resp. Scrupulosus juxta judicium prudentis Confessarii non solum potest, sed etiam debet operari contra dictamen conscientiæ scrupulosæ, quæ cum moveatur ex levibus, & insufficientibus fundamentis, non potest esse regula prudenter operandi. Hinc juxta Homobonum, hac laborantes infirmitate, a prudenti Confessario dirigendi sunt: animi dubia semper in mitiorem partem interpretando, sentiendo de Deo in bonitate, nec illum, ut captiosum Judicem existimando: sed leges, ac Sacras Scripturas secundum æquitatem, & epichejam sapienter interpretando.

13. Scrupulosus, qui valde dubitat Confessiones præteritas invalidas fecisse defectu doloris, vel integritatis, debetne illas reiterare?

Resp. Cum Vasquesio, Layman, Sanchez, & aliis, scrupulosus non tenetur repetere aliquid de Confessionibus præteritis, nisi certo sciat, illud, quod oblitum fuit, esse peccatum mortale, ita ut, ait Sanchez, habeat certitudinem talem, qua jurare possit, se hoc peccatum mortale fecisse, & nunquam confessum esse; quod si hac certitudine careat, abstineat a reiteratione Confessionis, quæ, ut compertum est, scrupulos non amovet, sed eis potius antiam subministrat. Unde esto forte scrupulosus ali-

qua confessus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno & periculo perpetuæ anxietatis procurare integritatem materialem Confessionis, cum ab ista minores sæpe difficultates excusent, ut notat Bonacina.

14. Privilegia scrupulosorum ex pluribus auctoribus hæc tria potissimum colliguntur. Primo, non tenetur facile scrupulosus ex dubio nullitatis præteritas Confessiones repetere, maxime si quandoque generalem fecit. Secundo, non tenetur in agendo adhibere tam exactam diligentiam, sicuti cæteri, ne in aliquo offendat: sed sufficit pro ipso, examen, & diligentia ordinaria. Tertio dum angitur scrupulis, & nescit ad quamnam partem actionis, vel omissionis se convertere debeat, nec est in promptu prudentis viri consilium, posse agere quidquid vult, nisi certo ei constet aliquod esse peccatum. Ultimo assuefacere se ad sequendas sententias mitiores. Ratio horum est, quia ex nimio timore peccandi perturbatur ratio, ita ut non possit recte rem examinare.

Propositiones damnatæ, ad hanc sectionem reducendæ

Ab ALEXANDRO VII. 29. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

Ab INNOCENTIO XI. 2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Ab eodem 3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Ab eodem 35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

Ab

Ab ALEXANDRO VIII. 5. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.

CAPUT X.

De Confessariis Monialium.

1. QUænam sunt munera Confessarii Monialium? *Resp.* Duo, Judicis, & Medici specialiter deputati ad curam illarum animarum, quæ degunt in clausura Monasterii, ipsi ab Ordinario assignati; hinc ejus conditiones quinque sunt, potestas, scientia, bonitas, prudentia, & sigillum, & licet istæ etiam communes sint Confessariis Laicorum, unaquæque tamen ex illis specialis est respectu Confessarii Monialium, sequens naturam sui ministerii, cujus judicium non versatur tantum circa præcepta legis divinæ, naturalis, & Ecclesiasticæ, sed etiam circa consilia Evangelica, vota solemnia, & obligationes Regularum sui Monasterii; & ejus cura spiritualis non est tantum ad sanandos morbos omnibus Fidelibus communes, sed etiam ad curandos languores spirituales animarum ad majorem perfectionem tendentium.

SECTIO I.

De Conditionibus Confessarii Monialium.

2. QUalis potestas requiritur in Confessario Monialium?

Resp. Requiritur potestas specialis jurisdictionis, tradi-

tradita ab Ordinario, audiendi Confessiones Monialium degentium in tali Monasterio; hinc non sufficit; ut quis sit approbatus ad audiendas Confessiones in genere, vel etiam ex Gavanto, ut sit approbatus ad audiendas Confessiones unius Monasterii, ut inde Moniales alterius Monasterii in eadem Diœcesi degentes valide absolvat; sed debet specialem deputationem ad hoc numero Monasterium habere. Post Constit. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabilis*, etiam Confessarii Monialium, Regularibus subjectarum, debent ab Ordinario approbari, & idonei judicari, approbatione gratis concedenda: & ex eadem Constitutione; si post approbationem in eodem ministerio minus idonei inveniantur, debita facta monitione suis Superioribus, potest illos amovere: neque tenetur causam significare superioribus, cur illos amoveat, sed quoad hoc Episcopi tantum oneratur conscientia. Hæc omnia Gavantus sub titulo *Monialium cura spiritualis*.

2. Qualis scientia requiritur in Confessario Monialium?

Resp. Requiritur, ut habeat scientiam obligationum specialium, & generalium sui Monasterii, hinc debet scire, num Constitutiones, & Regulæ suarum Monialium obligent sub lethali, vel sub veniali quoad aliqua, an vero sint solum directivæ ad majorem perfectionem in vinculo dulcissimo charitatis sine onere conscientiæ: insuper tenetur scire obligationes ortas ex votis solemnibus, & earum extensionem, & restrictionem, ut recte discernere possit, quandonam contra istas peccatum sit lethale, quandonam veniale: præterea Decreta Pontificia, & Congregationum, & etiam Constitutiones Synodales suæ Diœcesis super statum Monialium.

3. Qualis bonitas requiritur in Confessario Monialium?

Resp. Talis, qualis decet eum, qui Custos, & Rector est Sponsarum Christi tendentium ad perfectissimam unionem cum ipso; hinc debet habere notitiam, & exercitium orationis mentalis, jaculato-

riæ, & vocalis, insuper omnium virtutum; præcipue humilitatis, abnegationis suæ voluntatis, mortificationis suarum passionum, quæ si non exercet in se ipso, male utique poterit suis pœnitentibus insinuare, & instruere de mediis ad cavenda vitia opposita. Habeat ergo præ manibus sæpe libros spirituales, quales esse possunt opera omnia S. Francisci Salesii, & præcipue ejus Philoteam, & epistolas plenas monitis Sanctis Monialibus utilibus; Thomam a Kempis; librum Confessionum Sancti Augustini, ejus Soliloquia, & Meditationes Christi amore plenissimas. Utile quoque erit, unum, vel alterum habere ex istis libris, Rodriquez Esercizio di perfezione: Jo. Baptista Sangiurè, Erario della Vita Cristiana e Religiosa; opera Ludovici Granatæ, le Vite di S. Teresa, S. Maria Maddalena de' Pazzi, della B. Chiara di Montefalco, della B. Catterina di Genova. Si enim Medicus corporum, & jurista implent Bibliothecas, ut bene proprio fungantur officio; multo magis id præstare debet Medicus, & Judex animarum. Valde enim deplorabile est, aliquibus Monialium directoribus non solum in praxi exercitium perfectionis esse ignotum, sed etiam speculative, ita ut etiam vocabula abnegationis sui ipsius, obedientiæ cæcæ, orationis jaculatoriæ, & similia, quæ claustralibus familiaria sunt, ipsis totaliter nova, & incognita videantur.

4. Qualis prudentia requiritur in Confessario Monialium?

Resp. Requiritur maxima, quæ omnibus se accommodet, ut omnes Christo lucrifaciat; omnibus itaque debet confidentiam dare pandendi morbos animæ, tentationes, quibus propulsantur, & occasiones peccandi quando Dæmon proponit: quod utique alio modo obtinere non poterit, nisi summa prudentia se gerat, ut vel ipsam suspicionem acceptionis personarum auferat: ne uni videatur præ alia addictus, ita ut uni cedat omnia, & alteri nihil in controversiis, quæ in communitatibus quotidie occurrunt; non dure eas increpet, sed alloquatur eas modeste

& sua-

& suaviter, damnando quod est damnabile; verbis quæ peccatis quidem horrorem ingenerent, nulla tamen injuria afficiant pœnitentem; caveat a multiloquio, in quo non deerit peccatum: caveat ab hoc verbo, filia cara, & similibus, quibus licet usus sit in suis Epistolis Sanctus Franciscus Salesius, non tamen id quod decebat virum sanctitate, morum candore, & miraculis clarum, ab omnibus usurpari potest; & experientia compertum est, verba hæc non levem suspicionem sollicitationis ingenerasse, melius ergo dicere poterit, Anima Dei Sponsa, Anima Christi sanguine redempta; quæ satis suavia sunt; & aliena ab omni culpæ, vel pravi affectus umbra: Multa etiam patientia opus est in audiendis tot nugis, quæ a fœminis solent in Confessione admisceri; & mille aliis ad rem non pertinentibus, longas scrupulosarum Confessiones audire non recuset, nec tædium demonstret, secus ansam daret timidis fœminis non aperiendi omnia, quæ nonnisi cum circumlocutione explicare sciunt.

5. Quale debet esse sigillum Confessarii Monialium?

Resp. Debet Confessarius Monialium, ne reddat Confessionem odiosam, & ne frangat debitum sigilli, valde cauto procedere, cum opus est, ut de statu Monasterii alloquatur Episcopum, Vicarium Generalem, Abbatissam; immo cum suscipit Confessiones unius Monialis, ne incaute revelet id quod est dictum illi ab alia; breviter ergo aliqua ponam; ex quibus poterit alia colligere.

6. Interrogatus ab Abbatissa, num aliqua Monialis apta sit pro tali officio, aut Novitia pro professione, aut Educanda pro admissione ad habitum, non potest uti scientia & notitia habita in Confessione, & dicere sic generaliter non esse aptam, forte enim hæc responsio magis gravat pœnitentem; quam si detegeret unum peccatum tantum; datur enim ansa suspicandi de omnibus; deinde si non licet ex scientia habita in Confessione negare alteri secretum suffragium, ne promoveatur, a fortiori non licet suade-

suadere alteri, ne promoveat ad officium; aut ne acceptet ad professionem: sanius ergo poterit respondere, ipsam melius agnoscere, quæ cum iis quæ degunt in Monasterio conversatur, præ Confessario, qui audit tantum eas in Confessione.

7. Interrogatus ab Abbatissa, num audierit Confessionem unius, vel alterius Monialis, frangitne sigillum, si dicat se non audivisse, cum revera audierit, sed negaverit absolutionem?

Resp. Affirmative: hoc enim idem est, ac asserere se negasse absolutionem pœnitenti: quod utique est violare sigillum, quando ex occurrentibus circumstantiis negatio absolutionis probabiliter præsumitur provenisse ex indispositione pœnitentis; ita Jo: de Lugo cum Navarro, Soto, Suarez.

8. Violatne sigillum Confessarius, si ex scientia habita in Confessione moneat Prælatum, vel Abbatissam, ut mutent claves portarum Monasterii, attollant magis ex tali parte parietes, invigilent ad crates, curent aliquam fenestram claudi, vel similia, non nominando peccatum; pro quo impediendo suggerit Superioribus remedium?

Resp. Affirmative, quia similia remedia proposita a Confessario indicant de se malum ab eo cognitum: si autem aliunde a fide dignis sciat imminere aliquod periculum honestati Sanctarum Mulierum nisi attollatur murus, &c. potest hoc remedium proponere; non enim tunc utitur scientia Confessionis, sed notitia aliunde habita. In simili casu hæc duo caveat: primo, quod audierit a fide digno, cui credidisset etiam nulla præcedente Confessionis notitia; secundo, ne Moniales sciant hoc remedium ab ipso propositum fuisse, ne sanctæ illæ Virgines ex fragilitate sexus ad suspicandum facillime hinc diffidentiam acquirant erga ipsum, & peccata vel non confiteantur, vel saltem non ita sincere, sicuti exigit veritatis Tribunal.

9. Potestne Confessarius suggerere Concionatori, ut hoc, vel illud vitium in particulari reprehendat?

Resp. Negative, si talis suggestio oriatur ex vi noti-

notitiæ habitæ in Confessione ; & multo magis si ipse concionetur, debet valde præcavere ; ne descendat ad particulares circumstantias alicujus vitii : agit enim cum fœminis natura sua suspicacibus : proinde cum advertentia removeri debent omnes occasiones dubitandi de violatione secreti sacramentalis.

10. Poteftne, ut provideat propriæ ignorantiæ consilii causa manifestare amico docto peccatum Monialis, non manifestato nomine?

Resp. Si delictum non sit gravissimum, & infamatorium loci, seu Religionis, potest hoc facere ; providet enim ex una parte suæ ignorantiæ, & eruditur in modo exercendi bene suum munus ; ex alia, cum nec manifestetur persona, nec manifestatio delicti infamet Religionem, nulli fit injuria. Melius tamen erit proponere casum in genere simul admiscendo plures alios casus in Confessione non auditos, ita ut docens amicus suspicari non possit illud delictum in Confessione audivisse ; & consultius, si tantum ab ipso quærat libros, unde haurire possit cognitionem necessariam, quam ignorat.

11. Poteftne Confessarius colloquendo cum amico recreationis gratia, non nominata persona, aliquos defectus aperire auditos de monialibus in Confessione?

Resp. Licet ex tali aperitione sic in genere facta colligi nequeat, quænam fuerit persona delinquens, nihilominus si delictum sit grave, ex quo oriatur infamia Monasterii, cujus membrum est persona delinquens, peccare peccato violationis sigilli, docet Jo. de Lugo d. 23. de pœn. n. 63. non tamen peccaret peccato revelationis Confessionis, qui diceret se nolle vacare Confessionibus talium Sororum, quia magno tædio afficitur in solvendis dubiis scrupulosis de rebus nullius momenti : quia longissimas Confessiones faciunt, quæ ei caput continuo frangunt ; hæc enim, & levia, & de se nota sunt, & si alias notorium sit in illo Monasterio esse aliquas scandalosas, non est lethalis culpæ statim damnandus, qui diceret nolle amplius fungi tali officio, ne se exponat periculo æternæ damnationis : ab istis tamen locutio-

cutionibus omnino abstineat, ne odiosa reddatur Confessio.

12. Quomodo imminere potest periculum revelandi peccata unius Monialis, suscipiendo Confessionem alterius?

Resp. Multipliciter; primo, cum occasione audiendi aliquod factum inter plures, puta contentionem, vel quid simile, incaute aperitur uni circumstantia, quam audivit ab alia: abstineat ergo Confessarius ab inutili indagatione circumstantiarum, nec revelet jam ab ipso audita. Secundo, cum peccatum commissum est inter duas Moniales, quarum una jam confessa est, & alia delicti complex recitet culpam: in hoc ergo casu non demonstret se conscium sui criminis, sed solum interroget super generalia puta, si nihil aliud habeat, animum addendo, ut confiteatur peccata sua; & si hæc nihil aliud addere velit, eam absolvat, rem Deo committendo. Tertio, cum una se fingit aliam, puta Jacob pro Esau: hic si occurrat petita debita licentia discurrere de statu animæ suæ, juxta cognitionem quam habes ab aliis Confessionibus, curet bene dignoscere personam, quam alloquitur. Quarto, cum deprehendit ex Confessione familiaritatem, quæ ex parte unius Sororis innocens est, ex parte alterius vitiosam esse: cum maxima ergo dexteritate curet amputare familiaritatem, tanquam indecentem Sponsæ Christi, quæ charitatis & benevolentiæ signa debet omnibus facere communia, fugiendo particularis amoris notam, quæ cor soli Deo debitum dividit cum creaturis. Quinto, cum occasione reconciliandi aliquam rixam se immiscet in tractatu reconciliationis, in quo, ut fugiat periculum revelationis, nihil tangat de dictis, aut factis, quæ occasionem dederunt fractioni pacis; sed charitatem tantum promoveat ex motivis generalibus sanctæ unionis inter Sorores. Sexto, occasione alicujus furti, vel actionis injuriosæ occulte factæ in Monasterio, vix potest in hoc casu demonstrare se suspicari de una potius, quam de alia, quin utatur scientia Confessionis, dependenter a qua compertum

illi

illi est, quænam sit ad tale vitium proclivis: excuset ergo innocentem, si hæc injuste gravatur, absque eo quod demonstret se dubitare de alia. Septimo, si occasione audiendi Confessiones aliarum Monialium comperiat aliquam de ipso murmurasse, ne demonstret propter hoc se contra illam iratum, & multo minus eam reprehendat. Si autem illa eadem, quæ murmuravit, subjiciat clavibus peccatum murmurationis factæ de directore suæ conscientiæ, poterit illam in spiritu lenitatis reprehendere. Ex istis casibus poteris ad plures alios consimiles proprio judicio pervenire.

13. Quomodo se gerere debet Confessarius Monialium in petendo dispensationem a Prælato, ut absolvat ab aliquo casu reservato Monialem?

Resp. Cautissime gerere se debet: cum enim sigillum Sacramentale obliget de jure naturæ, Ecclesiastico, & Divino, & reservatio fit de jure Ecclesiastico, non debet pro tuenda minori obligatione frangere majorem; hinc non est manifestanda circumstantia peccati, ex qua Prælatus deveniri possit in cognitionem Personæ, quæ reservatum casum per Confessarium ipsi præsentat. Advertat insuper Prælatum non debere esse curiosum indagatorem casus reservati, neque posse uti hac notitia pro foro externo, committendo v. g. janitricibus, ut melius invigilent ad januas Monasterii, vel ut mutent seras; potest tamen absolutionem suspendere, donec illa, quæ habet clavem, qua utitur pro nocturno egressu, eam tradat Confessario; hoc enim pertinet ad forum internum; nam clavis apud ipsam retenta, est occasio proxima egrediendi, item ex eadem ratione, quod remittat vestes, quibus induitur in egressu nocturno, & similia, quæ media sunt ad peccandum. Postquam ergo Monialis confessa fuit omnia tam non reservata, quam reservata, si immineat Communio, quam pœnitens non possit differre sine scandalo, illam absolvat directe a non reservatis, & indirecte a reservatis, cum onere ea omnia confitendi habenti potestatem absolvendi etiam a reservatis.

Data

Data hoc modo absolutione, si casus reservati habeant annexam excommunicationem, ut plerumque contingit in Monialibus, quamprimum petat facultatem a Prælato eam directe absolvendi: si non habeant annexam excommunicationem, poterit expectare tempus opportunum, quo, sine suspicione complicis detegendæ petat casus reservati absolvendi auctoritatem, puta solemnitatem aliquam, cujus occasione poterit petere majorem auctoritatem, ut Moniales, si casu opus sit, absolvat a reservatis, non manifestando de præsenti hac indigere; si hoc non juvet, & Prælatus neget, dicat se illa indigere in generali; & si hoc neque juvet, dicat casum in particulari sine circumstantiis, quæ possint manifestare personam: si hoc neque juvet, & circumstantia necessario manifestanda sit, disponat pœnitentem, ut det ei licentiam pro salute animæ suæ alloquendi Prælatum. Si autem Prælatus esset adeo indiscretus, ut nollet concedere facultatem, & pœnitens nollet se manifestare Prælato; remedium esset recursus ad Sacram Pœnitentiariam.

14. Potestne Confessarius denegare Communionem Moniali, cui denegavit absolutionem, eo quod sit in occasione proxima peccandi, quam potest, & non vult abjicere?

Resp. Si accedat, non potest illam denegare; si enim denegatio sit publica, indirecte manifestatur peccatum; quo redditur pœnitens indisposita ad Sacramentum: si autem sit secreta, hoc redderet odiosam Confessionem, dum in aliqua actione extra Confessionem exprobratur ei delictum, quo redditur indigna ad suscipiendam Eucharistiam.

SECTIO II.

De administratione Sacramentorum facienda Monialibus.

1. QUænam Sacramenta Confessarius Monialium debet ipsis ministrare?

Resp. Tria, Pœnitentiam nempe, Eucharistiam; seu

seu Viaticum, & Extremam Unctionem, de his ergo ea dicam, quæ specialiter ad Moniales pertinent, communia enim suis locis disposita sunt.

2. In quonam loco debet Monialibus administrari Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Ex Gavanto verbo *Monialium cura spiritualis n.* 31. qui affert Decretum Congregationis Episc. *sub ann.* 1603. confessionalia ne sint in Sacristiis, seu locis occultis, & remotis, sed in Ecclesiis exterioribus: debet ergo in istis Pœnitentiam administrare ordinarie. Si autem aliqua infirma ad hæc descendere non potest, administret in loco decenti, & quidem solitis velis ita præparato, ut mutuus vitetur aspectus: idem dic in aliis necessitatibus. Si ingredi debet ad ministrandum infirmæ Sacramentum Pœnitentiæ, si non sit adeo imminens mortis periculum, & petere commode possit licentiam ingrediendi, eam petat; in casu necessitatis statim ingrediatur, etiam post signum vespertinæ Angelicæ salutationis, Superpelliceo, & Stola indutus: comitetur ad Cellam infirmæ a duabus comitatricibus maturæ ætatis, quæ ad Cellæ januam morentur, ita ut Confessarius ab iisdem commode cerni possit; ita statuit Sacra Congreg. 13. Septembris 1583. apud Barbosam, addentem, ex Decreto ejusdem Congregationis, Confessarium Monialium clausuram ingressum ad ministranda Sanctissima Sacramenta Sorori indigenti, debere recta via ac sine diverticulo ire & redire, nec in alia Monasterii parte divagari. Crederem tamen, quod si alia Monialis infirma instanter peteret Confessionem, etiamsi Confessio non esset necessaria ob mortis periculum, vel ob Communionem, expediret, quod Confessarius ad illam accederet pro audienda ejus Confessione.

3. Quænam Confessarius Monialium observare debet in administratione Pœnitentiæ, ut digne impleat suum ministerium?

Resp. Primo, vitet personarum acceptionem, & citra necessitatem ne diutius immoretur cum una, quam cum alia: vitet loqui de monialibus, & ne curio-

curiosus sit indagator tricarum, quæ inter Moniales fiunt, & suscipiat solum ea, quæ materia sunt Sacramenti, ut quæ observari debent ad promovendum spiritualem pœnitentis progressum. Secundo, ne auferat confidentiam Moniali, properando, vel quid simile faciendo, ex quo pœnitens cognoscere possit illius tædium: sit cautus in interrogationibus circa votum castitatis, ne sibi, aut pœnitenti injiciat laqueum perditionis. Tertio, ne interrumpat pœnitentem inter confitendum, nisi circumstantia aliqua quærenda sit, & dubitet in fine confessionis posse oblivisci: neve reprehendat inter confitendum, ne pœnitens deterrita hinc animum amittat confitendi reliqua: & si advertat pœnitentem ex erubescentia non audere exponere peccatum turpe; illam benignius solito excipiat, viscera paternæ compassionis exhibens, & omni studio alliciat ad confitendum. Ultimo det pœnitentiam accommodatam viribus, & statui pœnitentis; arguat, obsecret, increpet in omni bonitate, & patientia.

4. Qualem potestatem habet Confessarius absolvendi pœnitentem Monialem?

Resp. Habet super illos casus, quos ei concedit Episcopus absolvendos, non autem supra reservatos Episcopo, ad quem debet accedere pro ulteriori facultate, & si casus sit Papæ reservatus, juxta Homobonum *tract.* 25. *c.* 6. *resp.* 3. Episcopus potest facultatem tradere, ut eam absolvat, etiamsi casus habeat annexam censuram in Bulla Cœnæ: quinimmo, etiam si casus esset manifestus, & publicus, absolutionis beneficium ei impendere liceret, cum justum impedimentum adeundi Pontificem subsit; nam nec Romam mittere, nec scribere tenetur. Verba sunt laudati auctoris. Quantum ad Confessarium Regularem Monialium proprio Generali subditarum, habet eandem facultatem, qua gaudent Confessarii sui Ordinis in Religiosos masculos: & si eveniat, quod aliqua ex ipsis incidat in casum Papæ reservatum, putat Homobonus, Episcopum posse pro hoc absolvendo auctoritatem tradere, his verbis Moniales,

etiam

etiam ob enormem excessum ab Episcopo absolvi debent, quia extra Clausuram exire non possunt. Alii tenent, quod Prælati Regulares habeant facultatem absolvendi Moniales sibi subditas in illis casibus. Sed cum Bonacina *de Censuris in communi disput. 1. quæst. 3. punct. 2. num. 3.* ego existimo teneri mittere saltem epistolam, si commode potest, pro absolutionem obtinendo, ut patet a simili in impedimentis matrimonii: non enim credibile est, Papam velle ab Episcopo absolutionem impendi, quando patet recursus ad Sedem Apostolicam per Procuratorem, vel per Epistolam.

5. Qualiter debet procedere Confessarius cum Moniali existente in occasione proxima peccandi, sive interna, sive externa, quam potest, & non vult dimittere?

Resp. Regulariter loquendo, absolvenda non est; quia volens occasionem proximam, virtualiter vult peccatum, quod cum ea conjungitur, adeoque caret vero & sincero proposito non peccandi, quod ore tantum dicit se habere; adeoque ei credendum non est, cum protestatio sit contra factum. Limitat tamen Joannes de Lugo *disp. 14. de pæn. 151.* nisi ex tali dimissione pœnitenti immineat grave damnum infamiæ, aut periculum scandali; vel cum demonstrat extraordinarium dolorem, ratione cujus fortior evadit ad resistendum, adeoque occasio antecedenter proxima jam talis non est; vel cum pœnitens serio proponit adhibere media ad cavendum peccatum, ut si occasio sit ex fœmina, statuat nunquam cum sola manere, & colloqui.

6. Si Monialis, cui tolerata est occasio proxima propter grave damnum, una cum dolore extraordinario demonstrato, iterum relabatur in eandem actuum frequentiam, estne absolvenda?

Resp. Negative, quia illa peccatorum frequentia sine ulla emendatione demonstrat sufficienter propositum fuisse fictitium: si autem esset aliqua emendatio, licet non totalis, adjuvanda est salubribus pœnitentiis, ut Deo adjuvante perficiat opus, quod

jam incœpit. Contrariam sententiam, durante eodem periculo damni, infamiæ & scandali, tuetur idem Joann. de Lugo una cum Vivaldo, & Sancio: hoc tamen mihi videtur in praxi satis periculosum. Caret ergo Confessarius Moniali insinuare, nullum damnum æquiparari posse damno animæ, & nihil magis infame esse, quam esse turpem coram Deo, ut hinc animetur postposito quocunque humano respectu occasionem rescindere, & abjicere.

7. Potestne Confessarius differre absolutionem Moniali, quæ sæpe promisit occasionem dimittere, & nunquam dimisit?

Resp. Affirmative; dilatio enim absolutionis, quæ est in utilitatem pœnitentis, non est injuriosa.

8. Debetne Confessarius erudire Monialem, quæ bona fide persistit in occasione proxima peccandi, putans non esse novum peccatum in illa permanere?

Resp. Affirmative; quoad hoc enim puto falli Doctores contrariæ sententiæ in applicatione doctrinæ generalis alioquin bonæ, quam & ego de impedimentis Matrimonii trado, scilicet, cum Confessarius deprehendit pœnitentem laborare ignorantia invincibili juris, aut facti, & alioquin prævidet ignorantiam ablatam redundare in detrimentum pœnitentis, qui prosequetur facere cum peccato id, quod antea licite faciebat; proinde debet dissimulare, & non erudire. Hoc non currit in aliis casibus, & vix cum maxima limitatione in impedimentis Matrimonii, quæ nonnisi cum maxima difficultate auferri possint: & multo magis non currit in nostro casu: licet enim Monialis nesciat occasionem proximam non abjicere esse peccatum, scit tamen se peccare peccato ad occasionem consequente, & illud aperit Confessario; cum igitur nihil illi proficiat sua ignorantia, neque illi nocet ablatio illius, & eruditio.

9. Quando non debet Confessarius Monialium auferre ignorantiam circa peccata, quæ pœnitens bona fide, & sine scrupulo committit?

Resp. Cum Confessarius videt remedium esse difficilius, & hinc prudenter judicat sua correctione, & erudi-

eruditione nihil profuturum, tunc melius est, ut relinquat pœnitentem in bona fide: cum speret emendationem; tunc tenetur admonere, tum ex charitate, tum ex officio Pastoris, & Magistri: si ignorantia pœnitentis sit vincibilis, & culpabilis, tunc cum talis ignorantia non excuset a peccato, erudiri debet: si ignorantia etiam sit contra Monialem pœnitentem, quæ ex conscientia erronea putet esse peccatum, quod revera peccatum non est, erudiri debet.

10. Quid debet facere Confessarius, qui reperit Monialem in præteritis Confessionibus minus integre fuisse confessam?

Resp. Si instet Communio Monialibus, quam sine nota infamiæ, & periculo scandali omittere non potest, tunc eam absolvat cum onere se præsentandi tempore opportuniori, & quam primum reiterando omnes Confessiones sacrilege factas. Si autem non instet, eam remittat pro diligenti examine faciendo, ut integre, & materialiter, & formaliter confiteatur, antequam ad Sacram Communionem accedat. Si autem Monialis sit rudis, & hebetioris ingenii, quales solent esse nonnullæ simplices Conversæ, ita ut & si pluries dimittatur ad novum examen, non ideo sit exactius confessura, quam si statim a Confessario cum patientia interrogetur; tunc de præsenti, si fieri potest, adjuvanda est ad repetenda peccata omissa, & commissa; hanc enim regulam pro rusticis, & idiotis communiter tradunt Doctores; ea ducti ratione, quod dimissio ex una parte pœnitentibus est molesta, ex alia non est utilis, quod & si millies se examinent, non sunt magis apti, quam si breviter a Confessario interrogentur.

11. Poteftne Confessarius cogere Monialem surdam, ut scripto confiteatur?

Resp. Negative, quia peccata scribere, & Confessario scripta præbere, est modus confitendi insolitus, & de se publicus, ad quem non obligat Ecclesia, maxime cum huic occurri possit præcipiendo, ut Moniales recedant, & longe distent a loco; cum

confitetur surda, vel surdastra. Sentit tamen Layman *lib. 1. tract. 6. c. 6.* posse surdam scripto confiteri, si velit; item ægrotam, quæ ex angore gutturis aliter nequeat confiteri. Item quæ magno pudore afficitur ex peccatis turpibus commissis, quia hæc consuetudo oretenus confitendi, cum adest causa rationabilis recedendi ab illa, non obligat sub lethali. Si autem Confessarius angatur scrupulo in suscipienda Confessione hoc modo extraordinario, maxime illius, quæ non audet turpia a se patrata confiteri, provideri huic poterit sic; legat ipse chartam, & interroget de quolibet peccato ibi scripto, puta: polluistine te ipsam? & ita respondebit, utique; quot vicibus? tot: &c. Non video, quomodo hic modus providens integritati Confessionis, quæ res, agendo de Monialibus est maxime consideranda, vitiosus dici potest? Caveat tamen hanc consuetudinem introducere, & sit tantum ultimum remedium extremæ necessitatis pro Confessione integra tandem obtinenda, de qua aliter ob erubescentiam desperetur necessaria integritas.

12. Confessarius Monialium poteftne absolvere Monialem ex repentino morbo sensibus destitutam, quæ nec petit Confessionem, nec ullum dedit contritionis signum?

Resp. Ex Honobono *tract. 13. cap. 6. q. 18.* absolvi potest, si alias erat Monialis bona, nec notoria peccatrix; nam talis censenda est moraliter petens, & testimonium hujus petitionis est vita religiose transacta. Immo Diana vult in hoc casu adesse etiam materiam sensibilem Sacramenti, quæ per testificationem, & famam publicam efficiatur præsens, quatenus fœmina proba, maxime Religiosa, & Christiano more vivens, supponitur quotidie conteri, & dolere de peccatis. Adde censendum esse, Religiosam ex consuetudine promptam ad actum pietatis, morbo correptam velle confiteri, licet hoc signis exprimere nequeat. Hinc cum absolutione ei tradita sub conditione, scilicet, si es disposita, & providetur necessitati spirituali, & consulitur reverentiæ;

rentiæ; & decentiæ Sacramenti; & in hoc utique crediderim nihil mali immisceri.

13. Quas interrogationes debet facere Confessarius Monialium, maxime in fine vitæ, ut detestentur omnia peccata commissa?

Resp. Infirma utique adjuvanda est ad generalem, & particularem, quantum fieri potest, omnium peccatorum detestationem: omissis ergo materiis, quæ Laicis etiam communes sunt, brevi eam interroget super delicta Religiosarum propria; pro quibus notum hic facio: Contra Deum ergo interrogetur: An divinum Officium post professionem sine causa omiserit: An cum debita reverentia Sacramenta receperit: An orationi mentali aliisque spiritualibus exercitiis juxta præscriptionem sui Ordinis vacaverit: An a vigiliis, & jejuniis propriis sui instituti cum affectata necessitate se liberaverit: An doluerit de vocatione ad Religionem, Deumque sibi nimis duram sortem dedisse aliquando dixerit: An diffiderit de Divina misericordia, vel nimis de ea præsumpserit: An superstitionibus, vel vanis observantiis vacaverit: An verba Sacræ Scripturæ ad vanos usus, & indecentes transtulerit. Contra Religionem interrogari poterit: An Statuta Religionis scienter violaverit: Quomodo in capitulis de Regimine Monasterii cum Justitia se gesserit: An in præjudicium Religionis, in gratiam alicujus aliquid faciendum curaverit: An in electionibus Abbatissæ respexerit ad amicam potius, quam ad meritum eligendæ; & hujus occasione, an violaverit aliquod juramentum: An ambiverit per media illicita promoveri ad dignitatem: An in ea posita permiserit introductionem novorum abusuum, vel toleraverit inobservantias Regularum, vel inordinate correxerit, vel ex vindicta, & odio contra aliquam processerit in pœnitentiis dandis, & assignandis officiis onerosis, vel præeminentibus in Monasterio, injuste deprimendo unam, & attollendo aliam. Contra votum Obedientiæ: An aliquid fecerit: An ex spretu aliquam observantiam noluerit facere, vel recusaverit ex odio genuflexionem, & solita obsequia

deferre suis Superioribus: An vi, vel prætextu falso, vel favore externo emendicato, a subjectione suæ Abbatissæ debita se injuste subtraxerit. Contra votum castitatis, si necessitas non postulet, sobrie se geret: interroget de diligentia in expellendis cogitationibus impuris, de aliquo pravo affectu erga aliquam personam in vel extra Monasterium, de epistolis cum verbis æquivocis, vel amatoriis: an pœnituerit corpus suum Deo dicasse. Contra paupertatem, interroget: An munuscula sine licentia dederit, vel receperit: An vanum aliquid, aut pretiosum supra necessitatem licentia extorta sibi comparaverit: An aliquid de Monasterio dissipaverit: An aliquid notabile, sive in pecunia, sive in re, supellectili pretiosa, sine licentia detinuerit; & si adhuc detineat, curet, ut statim consignet Superiori, vel ab ea licentiam detinendi, ad usum habeat, ne proprietaria discedat ab hac vita: An videns se proximam morti, de rebus ad suum usum concessis disposuerit pro aliqua amica, vel quæ illi inservit; quod si comperiat, curet, ut petita facultate ab Abbatissa illud donet, vel quod melius est, ut omnia in manu Abbatissæ dimittat, deprecans illam, ut gratam se exhibeat illis, quæ ei inserviunt. Contra se interroget: An nimis sibi indulserit in commoditatibus procurandis: An superbierit jactando nobilitatem, & sæcularem gloriam præ aliis: An sibi gravia mala sit imprecata: An sibi complacuerit de peccatis alias commissis: An doluerit non arripuisse occasionem ea committendi: An ea jactaverit: & qualiter excesserit in edendo, dormiendo, & bibendo: An se exposuerit scienter periculo peccandi: An impatiens, iracunda, otiosa fuerit. Contra proximum, interroget: An illum oderit, an calumniata sit, an invidia alterius honoris procuraverit impedire alterius electionem ad dignitatem sui Ordinis, & quibus artibus: An curaverit dissolvere alterius amicitiam, ut illam sibi conciliaret; an disseminaverit discordias: An servaverit ea, quæ secreto sibi commissa sunt: An murmuraverit, rapuerit, vel aliquid detri-

detrimenti alteri fecerit: An negaverit resalutare salutantem, & signa externæ charitatis: An alicui molestiam tulerit: An nimis imperiose gravaverit servas, vel etiam verbis offensivis, aut turpibus: An aliquando ex ira percusserit: An aliquam ex Officio deponi injuste curaverit. Ille autem qui habet suæ pœnitentis notitiam, & cognoscit figmentum ejus, poterit cum majori diligentia immorari in iis, in quibus novit eam frequentius incidisse. Absoluta Confessione, ante delationem Sacri Viatici, adjuvet illam, ut eliciat actus fidei, spei, & charitatis, quos sub lethali unusquisque tenetur instante morte elicere: confortet eam ad sperandum in Divina Misericordia, maxime si scrupulis angatur: si e contra Religiosa fuerit bene semper vivens, & timeat elationem, & superbiam, & jactantiam, illi demonstret, quam terribile sit judicium Dei, qui scrutabitur Jerusalem in lucernis. Det ei salutarem pœnitentiam, quæ infirmam valde non gravet, & eam confortet ad pignus salutis devote recipiendum, & prius curet, ut humiliter petat veniam ab omnibus Sororibus de molestia illis data; & si cum aliqua in particulari rixam habuerit, eas simul reconciliet, & uniat: & curet tam ex parte infirmæ, quam sanæ, ut honore se invicem præveniant; & ut alteri veniam petat, & oblivionem de præteritis, ut Deus etiam ejus obliviscatur peccatorum. Confessarius vero in se ipso reflectet, non esse necessariam generalem Confessionem ante mortem: si pœnitens moraliter certa sit se rite confessam fuisse de suis peccatis. Hinc si nolit generaliter confiteri, non est ad hoc adstringenda, sed tantum hortanda, ut in genere se accuset de commissis contra Deum, contra proximum, contra Religionem, & vota, &c. Inservire etiam poterunt istæ interrogationes aliis Confessionibus generalibus, cum expedientes, vel necessariæ sunt.

14. Expeditne Confessario, ut permittat Moniali frequentem usum Confessionis generalis?

Resp. Negative; hoc enim est scrupulos fovere, cum experientia constet, animas timoratæ conscien-

tiæ, quibus permissum est repetere ter, vel quater totius vitæ Confessionem, innumeris scrupulis fuisse subjectas. Cum ergo unam permisit pro dubietate, quam habebat de male factis Confessionibus in juventute, alias prohibeat; & solum singulis annis generalem annuam Confessionem peccatorum ejusdem anni facere permittat. Hoc enim valde commendatur a Directoribus conscientiarum. Cæterum quod attinet ad regulas conscientiæ scrupulosæ, hoc dictum est in capite de conscientia, ad quod recurrat.

15. Quamnam frequentiam Sacræ Communionis debet Monialibus præscribere, aut permittere?

Resp. Quantum ad præscribere: Ultra generale præceptum, quod extat confitendi, & communicandi semel in anno; Concilium Tridentinum, *sess.* 25. *c.* 10. *de Regularib.* hæc habet: Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant: Miranda *q.* 10. *de mon. art.* 1. Fagund. *præc.* 5. *Eccl. l.* 1. *c.* 6. *n.* 8. Tambur. & alii, reflectentes supra ly *admoneantur*, putant talia verba non esse præceptiva, & obligativa sub mortali. Contrariæ sententiæ est Navarrus. Cajetanus putat, Moniales teneri sub lethali confiteri semel in mense, etiamsi habeant tantum venialia, propter Clementinam, *Sane*, in qua dicitur: Singulis mensibus tam in Monasteriis, quam extra, sublata occasione quacunque, ad Confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi, & in prima Dominica mensis cujuslibet in Monasteriis semper communicent: quæ verba utique præceptiva sunt, & non tantum consultiva. Sotus rejicit hanc opinionem tamquam nimis rigidam. *in* 4. *d.* 116. *q.* 1. *art.* 3. & alii putant Constitutionem hanc moderatam fuisse a Concilio Tridentino, & præceptum transiisse in consilium expressum per illud verbum, *Admoneantur*. Certum mihi videtur, Monialem renuentem singulis mensibus ad Sacramentum accedere, versari in pessimo statu

salu-

salutis; aliunde enim provenire nequit hæc panis cœlestis nausea, nisi ex eo quod cor divertat ad alia extra Deum; eam ergo moneat, & si nihil proficiat, dicat Ecclesiæ, scilicet Superioribus, ut provideant. Ultra hoc generale, sive præceptum, sive consilium, debet cavere, ut sumat Sacram Communionem juxta præceptum suarum particularium Constitutionum; hoc quantum ad præscribere. Quod attinet ad permittere, non debet permittere, ut communicet feria sexta in Parasceve, neque in Sabbato Sancto, neque in nocte Nativitatis statim post Missam mediæ noctis. Frequentiam Communionis regulariter permittere poterit octava quaque die, item aliquando intra hebdomadam, si mediet solemnitas, vel dies devotionis, ut sunt feriæ sextæ occurrentes mense Martii. D. Bonaventura *de profectu Relig. cap.* 77. habet, vix inveniri Religiosum non Sacerdotem adeo sanctum, cui non sufficit semel in hebdomada communicare, nihilominus si advertat aliquam Monialem valde deditam silentio, & orationi, multum proficere frequenti usu Sacramentorum, poterit ei etiam impartiri Communionem quotidianam: id utique damnare non auderem, cum in nonnullis locis Moniales Capuccinæ strictissimæ observantiæ ea utantur; nihilominus regulariter alii permittenda non est, nisi forte approbata earum constitutio aliter præciperet.

16. Poteſtne Confessarius Moniali asserenti se vivere ex sola sumptione Eucharistiæ, ad noscendam veritatem hujus facti hostiam non consecratam pro consecrata ei tradere?

Resp. Cum S. Th. *p.* 3 *q.* 80. *art.* 1. *ad p.* non licere porrigere hostiam non consecratam pro consecrata, cum hoc sit præbere adstantibus occasionem proximam idololatriæ: & eo magis hoc firmum esse debet, quia supersunt alia signa ad probandum, num spiritus illius Monialis ex Deo sit, an vero decipiatur a Dæmone se transformante in Angelum lucis; & quamvis difficile sit discernere, an Monialis, quæ censet se pati divina, puta revelationes, extases, aliosque divini amoris favores extraordinarios,

vero ſpiritu ducatur, nihilominus ex Card. Turrecrem. *in libris revelationum S. Birgittæ ante Bull. Canonizationis ejuſdem*, ponuntur quinque ſigna. Primum ſcilicet, quando graves & experti ſapientes ſpirituales viri id judicant. Secundum ex parte effectus: nam revelatio divina efficit hominem humilem, flexibilem, & diſciplinatum; ſpiritus vero diabolicus reddit animum tumidum, præſumptuoſum, & pertinacem. Tertium eſt puritas, & integritas veritatis eorum, quæ revelantur; quando enim revelationes per totum continent veritatem ſine admixtione alicujus falſitatis, non eſt dubium, quin ſint a Spiritu Sancto, qui doctor, & inſpirator eſt veritatis; quando vero habent falſitatem, aut errores permixtos, non a ſpiritu Dei, ſed diabolico procedere dignoſcuntur. Quartum eſt conformitas ad S. Scripturam, & Sanctorum PP. doctrinam; cum enim revelatio conformis reperitur Divinis Scripturis, & Sanctorum ſententiis & exemplis, arguitur eſſe revelatio Spiritus Dei; ſi autem diſſonat, & diſcordat ab eis, ſuſpecta merito talis habenda eſt: unde Ricar. *Suſpecta eſt mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas*. Quintum, quod Perſona, cui revelationes factæ leguntur, approbatæ ſanctitatis eſt in Eccleſia Dei: reflectat ergo ad ſecundum ſignum; & bene videat, num præ cæteris humilior, ſilentio dedita, facilis ad propriæ voluntatis abnegationem, prompta ad obediendum etiam in minimis ſit. Quandoque etiam neget ei Sacram Communionem, ſi hoc ſine ſcandalo fieri poteſt: & obſervet, qua animi promptitudine acceptet impoſita. Si enim eam reperiat duram, obſtinatam, loquacem, & pluribus ſine neceſſitate aperientem ſecreta ſui cordis, hujus profecto revelationes habendæ ſunt tanquam fabulæ & deliria, vel certe tanquam mali ſpiritus deceptiones.

17. Quænam obſervare debet Confeſſarius in adminiſtratione Euchariſtiæ?

Reſp. Primo, eam propriis manibus miniſtret, & non per Capellanos, aut alios Religioſos. Secundo, clavem

clavem Tabernaculi apud se retineat; Tertio, clavem ostioli, seu fenestræ, ad quam accedunt pro Communione Moniales, apud se habeat, & nullo modo consignet Abbatissæ. Hæc omnia declarata esse a Sac. Congr. refert Jacobus Massi, *lib. l'Abbadessa istruita*. Si casu inter communicandum particula decidat intra clausuram, non ideo potest ingredi clausuram, ut eam sumat; sed curet, ut eadem Monialis lingua eam sumat, & communicet: & si ad hoc difficilem se præbeat, porrigat ei patenam, ut media eadem decenter elevet a terra, & præbeat Sacerdoti. Uterque iste modus nihil sapit irreverentiæ, & indecentiæ; non primus, quia propriis manibus non communicat, quod prohibitum est: non secundus, quia contactus patenæ in casu necessitatis non est illicitus. Curet demum, ut Monialis diligenter locum, super quem cecidit hostia, abradat, & lavet, & ablutio in Sacrarium projiciatur ad præscriptum Rubricæ.

18. Quomodo se gerere debet Confessarius Viaticum ministrans?

Resp. Superpelliceo, & Stola indutus debet Pyxidem ponere super fenestellam, ex qua Moniales Communionem sumunt, deinde ingredi clausuram sine comitatu aliorum: (Moniales enim sufficienti decentia poterunt Sacramentum comitari,) & a Choro procedere ad infirmam: si alius modus decens sit in usu illius Diœcesis, eum observet. Si occurrat pro spirituali solatio alicujus infirmæ, quæ in longa infirmitate communicare velit ex devotione, hæc eadem observet, petita & obtenta licentia ingrediendi ab Ordinario, qui non debet esse difficilis in concedenda hujusmodi licentia, occurrente solemnitate, vel menstrua Communione, ne afflictioni corporali superaddatur hæc alia afflictio privationis Sacramentorum.

19. Quomodo procedere debet Confessarius cum infirma, si delata ad eam Communione, antequam communicet, dicat velle confiteri, & ex Confessione deprehendat illam plures Confessiones irritas fecisse, adeoque reiterandas?

Resp. Primo, antequam Confessarius accedat cum Communione, eam adeat, & curet ita disponere, ut cum accedit cum Sacramento, iste casus non succedat: nihilominus si non obstante diligentia adhibita succederet: Respondeo cum Diana *p. 5. tr. 7. resf. 75.* vel infirmitas est periculosa, ita ut timeatur Monialem sine Confessione morituram, si differatur ad tempus immediate post Sacramentum repositum suo loco: & tunc Confessarius curet, ut Monialis confiteatur eo meliori modo, quo potest, subdendo clavibus peccata mortalia, si non omnia, saltem graviora, quæ tunc menti occurrunt, animo cum majori diligentia subdendi omnia Confessario revocato post Sacramenti Eucharistici sumptionem; curet item, ut generaliter se accuset de omnibus, & actum contritionis, quem possit, ferventiorem eliciat; deinde eam absolvat, & communicet. Sic enim præmittitur Confessio possibilis pro illius temporis angustia, ministratur Eucharistia, & providetur scandalo, & notæ infamiæ, quæ oriri posset; si eam dimitteret non communicatam. Vel infirmitas non est adeo periculosa; & tunc si prævideatur Monialem brevi temporis spatio, puta dimidiæ horæ, non expedituram Confessionem, mihi videtur, quod etiam in hoc secundo casu confiteatur de aliquibus gravioribus, quæ menti tunc occurrunt, eliciendo actum doloris ex motivo generali de omnibus peccatis a se commissis, cum proposito confitendi singula exacte; & data absolutione, quæ directe cadit super peccata confessa, indirecte super non confessa, eam communicet; cum enim difficile sit excitare statim ferventem contritionem, quæ peccata deleat, melius providetur dignæ, & decenti Eucharistiæ sumptioni per Confessionem præmissam juxta temporis angustias.

20. Confessarius accedens cum Pyxide ad fenestellam, ut Monialem communicet, debetne audire peccatum, si hæc velit iterum confiteri? vel permittere, quod recedat incommunicata?

Resp. Neutrum faciendum est; non primum, quia ibi

ibi adſtat; ut Miniſter Euchariſtiæ, non Pœnitentiæ; nec ſine indecentia poſſet hæc miniſteria confundere: maxime cum reſpectu Monialis ſanæ non ſit illa neceſſitas, quæ militat pro infirma: & ſi hic abuſus introduceretur ſemel, daretur anſa multis aliis conſimilibus abuſibus: non ſecundum, quia talis receſſus regulariter nequit fieri ſine ſcandalo: ſicut docent de laico, qui ad linteum Altaris pro Communione adſtat, & recordatur alicujus lethalis, communiter Auctores, qui tunc debet ſibi conſulere per actum contritionis; animo illud exponendi poſt Communionem. Hæc reſponſio tenenda eſt, cum plures Moniales ibi adſunt pro Communione. Secus quando una eſſet tantum Monialis communicatura, nullum apparet ſcandalum, ſi Confeſſionem obliti peccati ſuſcipiat pro digna receptione Sacramenti Euchariſtiæ.

21. Quantum ad extremam Unctionem nihil aliud advertendum eſt a Confeſſario Monialium ultra ea, quæ de hujus Sacramenti adminiſtratione habentur in tertia parte hujus libri: niſi quod Confeſſarius ingreſſus ad illam miniſtrandam debet curare, ut tempore miniſtrationis Moniales ſeptem Pſalmos Pœnitentiales recitent; item Oleum Sanctum detineri debet in Eccleſia exteriori, non interiori Monialium; in loco decenti, non tamen in Tabernaculo ſimul cum Pyxide: & clavis illius eſſe debet penes Confeſſarium.

22. Quomodo debet Confeſſarius Monialium tempore interdicti ſe gerere?

Reſp. Si interdictum ſit generale locale impoſitum a Papa, debet illud ſervare, ſi ſervetur ab Eccleſia Matrice: item ſi ſit impoſitum ab Epiſcopo, etiam ſi Moniales exemptæ ſint, & Epiſcopus mandet ſervari interdictum: hoc enim habetur a Conc. Tridentino, ſeſſ. 25. c. 15. Poteſt tamen januis clauſis celebrare Miſſam ſuis Monialibus, nullo præcedente campanæ ſonitu; eis miniſtrare Sacramenta, ſepelire &c. quæ omnia præſtare debet interdictis non admiſſis. Hæc eadem præſtare poteſt etiam erga puel-

puellas, & alias intra clauſtra degentes, dummodo ipſæ interdictæ ſpecialiter non ſint, aut interdicto cauſam non dederint: ita Borbonus: Quoad privilegia celebrandi, & adminiſtrandi Sacramenta etiam laicis (exceptis tamen excommunicatis, aut illis, qui interdicto cauſam dederunt) in nonnullis ſolemnitatibus, vide in tertia parte de Interdicto: & obſerva privilegia Regularium reſpective tranſire ad Moniales geſtantes habitum illius Religionis.

23. Poſſuntne Confeſſarii Monialium in dicenda Monialibus Miſſa conformare ſe Officio Monialium ea die in Choro recitato?

Reſp. Ex Gavanto verbo *Monialium cura ſpiritualis*, n. 33. qui citat pro ſe Decretum Congregationis Rituum, Miſſam dicere poſſunt, quæ concordet cum Officio Monialium in Choro, ſed ritu Romano, qui Romano utuntur Breviario, & Miſſa ſumpta de communi, ſi propria non habetur in Miſſali Romano.

SECTIO III.

De Votis ſolemnibus.

1. VOta ſolemnia Monialium ea ſunt, quæ in regulari profeſſione Deo fiunt; & regulariter tria ſunt, ſcilicet Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, ſub qua continetur votum Clauſuræ. Dixi, regulariter, quia in nonnullis etiam adeſt quartum quadrageſimalis perpetuæ obſervantiæ.

2. Quibuſnam tenentur Moniales ex vi voti obedientiæ obedire?

Reſp. Tenentur primo Papæ, deinde Epiſcopo, ſeu Ordinario loci, ſi non ſunt exemptæ; ſi autem exemptæ ſint, in iis quæ pertinent ad clauſuram tenentur obedire Epiſcopo, in aliis proprio Superiori regulari, & Abbatiſſæ, qui omnes poſſunt eas obligare ad faciendum, vel omittendum aliquid etiam ſub mortali, ſi materia gravis ſit, & earum Regulis conformis, directe, vel indirecte, ut infra expli-

plica-

plicabitur; supra Regulam enim præcipere nequeunt; secus omnes adstringi possent ad observantiam Capuccinarum.

3. Quomodo Moniales tenentur obedire Abbatissæ præcipienti in virtute obedientiæ?

Resp. Ex Suar. tom. 4. de Relig. tr. 9. l. 1. c. 12. Monialis cum promittat obedientiam Abbatissæ, ut constat ex formulis omnium Professionum, si Abbatissa ita præcipiat, ut fidem datam exigat, obligavit in conscientia, jussione se habente per modum conditionis applicantis obligationem voti ad talem materiam: sive ergo formaliter præcipere possit virtute obedientiæ, ut sentit Rodriquez cum pluribus; sive solum, ut sentiunt alii communiter, præcipere possit ut Materfamilias habens potestatem gubernativam domesticam, & civilem, Confessario resolutio hujus quæstionis parum utilis est; & sufficit, quod sciat Monialem frangere votum, quo se obligavit obedire Abbatissæ, si huic exigenti in re gravi juxta Regulam non obediat, vel renuat obedire. Dixi, juxta regulam, si enim jubeat insolitas pœnalitates, longissimas orationes, jejunia, aut abstinentiam in suo Ordine inconsuetam, nisi hæc dentur ad modum pœnæ cum proportione ad patratam culpam, non obligabit sub lethali.

4. Hinc si Abbatissa jubeat in virtute sanctæ obedientiæ alicui renitenti ad Chorum accedere, ut Horis canonicis, cum non est impedita, intersit, si nolit accedere, peccabit mortaliter. Item si præcipiat, ne accedat ad collocutorium ad colloquendum cum Persona aliqua determinata, ne mittat ad eam litteras impertinentes, & similia, quæ sunt contra Regulæ præscriptum, si non obediat, peccabit; si autem præcipiat aliquid vanum, leve, aut præter Regulam, puta ut elevet paleam a terra, ut abluat vestem, verrat partem domus, & similia, quæ levia sunt, si non obediat, non peccabit mortaliter, nisi forte omittat facere ex spretu, & contemptu: tunc enim mortaliter peccabit, non contra votum, sed contra reverentiam debitam Superiori; & culpa

hæc

hæc reducenda erit ad superbiam. Excusat etiam a lethali nedum levitas materiæ, verum etiam inadvertentia, parva morositas ad obediendum, & reliqua, quæ in aliis præceptis positivis excusare possunt a lethali.

5. Quænam potest Abbatissa præcipere in virtute obedientiæ?

Resp. Ea, quæ sunt juxta Regulam, sive directe, & expresse, ut sunt ea, quæ in Constitutionibus sui Ordinis continentur; sive indirecte, & implicite; ut sunt ea, quæ valde necessaria sunt, & sine quibus Regula nequit observari: ita Sanchez, Layman, Lessius. Hinc Confessarius, ut judicet recte, quodnam peccatum fecerit illa, quæ se accusat de transgressione præcepti injuncti ab Abbatissa, debet attendere ad hæc tria, nimirum ad qualitatem materiæ, an scil. sit gravis, vel levis, honesta, & justa Regula Monasterii, ad qualitatem præcepti, an scil. sit impositum cum intentione obligandi: ad qualitatem personæ, cui fit, an scil. sit potens, vel impotens ad obediendum: ad impossibile enim nemo tenetur.

6. Circa qualitatem præcepti; observandum est Abbatissam posse triplici modo proponere Moniali aliquid faciendum, per modum consilii, per modum mandati, per modum præcepti. Ita Archidiaconis 14. q. 1. §. *si quis*. Mandatum est quid medium inter consilium, & præceptum; majus consilio, & minus præcepto; exprimitur verbis significantibus intentionem Abbatissæ, ut faciat, non autem ut obliget obligatione stricta voti obedientiæ; puta dum dicit; Verrat cubiculum, Audiat Missam, Accedat ad chorum, nihil aliud addendo. Præceptum dicit intentionem obligandi obligatione strictissima voti; & solet exprimi sic: In virtute sanctæ obedientiæ fac hoc, vel in aliis verbis denotantibus se velle obligare subditam ad obediendum, ut notat Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 10. *c.* 4. *n.* 11. Consilium est, cum proponitur aliquid faciendum tanquam melius, eligendum tamen, vel omittendum ad arbitrium subditæ; ac exprimitur verbis: Poterit hoc facere, vel Erit

perfe-

perfectior, Deo magis placens, si hoc faciat; Laudabile valde est hoc facere. Solum ergo præceptum obligat ex voto obedientiæ, & faciens contra consilium, vel contra mandatum, deficit in virtute, & perfectione obedientiæ, non autem in substantia voti; Caveat Abbatissa, ne frequens sit in faciendis præceptis, quæ prudenter ex occasione gravi facienda sunt; secus laqueum conscientiis injiciet: neque si intendit in re levi obligare sub mortali, ideo quæ transgreditur, mortale peccatum committet, puta si præcipiat tali hora silentium, promptum accessum ad chorum, abstergere vestium maculas, quia, ut bene notat Suarez, cum neque lex naturalis, aut divina, in re levi obliget sub lethali, neque poterit obligare lex humana.

7. Circa qualitatem materiæ, nota eam debere esse juxta Regulam, non præter, aut supra Regulam; est enim Abbatissa, ut notat Sanchez l. 6. moral. c. 1. n. 30. solum executrix Regularum, potens imponere ea præcepta, quæ sunt necessaria, ut Moniales quiete vivant absque scandalis, & perturbationibus regularis observantiæ, non autem ut magis proficiant in virtutibus; profectus enim spiritualis subditorum est finis potestatis spiritualis, cujus est incapax fœmina. Hinc notat Sanchez c. 2. n. 25. posse quidem Prælatum regularium Monialium, cui competit potestas spiritualis, & non tantum domestica, & civilis in pœnam violationis Regulæ, aut alterius delicti, aut in cautelam ad præcavendum recidivum, ne relabatur in peccatum, imponere formale præceptum obedientiæ, majoris austeritatis in Regula non contentæ; non autem Abbatissa, ob rationem jam insinuatam. Unde nequit Abbatissa præcipere Moniali, ut denuo aliquod peccatum fateatur, ut tentationes suas aperiat Confessario, & similia. Credo tamen eam præcipere posse, ut audiat Missam in diebus ferialibus. quicquid in contrarium dicat Sanchez n. 30. quia hoc non respicit præcise finem spiritualem majoris profectus, sed executionem Regulæ, quæ hoc mandat,

dat, similiter, ut confessionem menstruam faciat, in quibus præceptis præcipiuntur etiam indirecte actus interni. Layman, & Suarez putant, Religiosis, actus internos indirecte etiam præcipi posse; quia videtur Religiosum virum ad id se obligare, cum per Religiosam professionem se quasi in holocaustum Deo tradat. Hoc tamen non est in usu.

8. Circa qualitatem personæ; nota, physice impotentem utique non teneri; quæ autem habeat eam impotentiam moralem, quæ excusat ab observantia Legis Ecclesiasticæ positivæ, erit etiam excusata ab observantia præcepti Abbatissæ. Adverte tamen cum Sanchez l. 6. mor. c. 5. n. 56. Rodriq. tom. 3. q. 11. art. 3. quorum tamen opinioni refragantur Tabiena, & Armilla, quoad Religiosos, eademque ratio currere videtur quoad Moniales: quod licet Lex humana ordinarie non obliget cum periculo mortis, gravis infamiæ, aut magnæ bonorum jacturæ; fieri tamen potest, ut quandoque Monialis teneatur obedire etiam cum periculo vitæ, ut si jubeatur inservire Monialibus tempore pestis, gerendo curam temporalem infirmarum, præbendo eis cibum, & necessaria ad vitam: quia ad conservationem & bonum regimen Monasterii spectat, ut mutuo se succurrant in necessariis. Excusant tamen Religiosam citati Auctores in casu, quo tam tenui valetudine prædita sit, ut cum longe majori periculo contagionis, quam infectæ, id munus exercere valeat.

9. Res indifferens potestne cadere sub rigoroso præcepto obedientiæ obligantis sub lethali?

Resp. Cum Layman l. 4. tract. 95. cap. 9. si constet rem præceptam esse ex natura sua indifferentem, & item præceptum ex fine vano, & inutili, Monialem non teneri obedire: secus si res indifferens præcipiatur ex fine bono; tunc enim accipit a fine honestatem, quam non habet a natura. Hinc monet Suarez, quidquid præcipitur a Superiore, nisi appareat turpe, reputandum esse honestum, quia in dubio melior est conditio Superioris, & ratio petit, ut pro eo præsumatur.

10. Peccatne mortaliter Monialis transgrediens Regulas sui instituti?

Resp. Si Regula sit obligans ad aliqua sub lethali, ut Franciscana circa jejunia, transgrediens illam, peccat mortaliter peccato sacrilegii, quia subditus obligans se voto obedientiæ ad observandam Regulam, obligat se eo modo, quo Regula intendit obligare; si ergo hæc sub mortali præcipiat, etiam sub mortali obligat; non enim minus efficax est Regula, quam vox Superioris; Si autem sub nullo peccato obliget, nisi interveniat spretus religiosæ observantiæ, Monialis non peccabit nisi forte venialiter ex acedia, & torpore in rebus salutis; poterit etiam peccare lethaliter, si nullam observando Regulam graviter perturbat religiosam disciplinam, & aliis sit scandalum, & occasio peccandi. Et docet Vasquez, hoc etiam procedere, licet Monialis ex errore vovens Regulæ observantiam intenderet se obligare sub mortali, vel veniali ad observanda singula in Regula contenta: putans ita exigere professionem sui Ordinis. Si enim resolvatur hæc intentio, solum est ad id, quod exigit sui instituti professio; & major obligatio est involuntaria, utpote orta ex errore.

11. Transgrediens jejunium, ad quod obligatur tum a Regula sub lethali, tum ab Ecclesia, committitne duplex peccatum?

Resp. Licet probabilius mihi videatur committere duplex, eo quod transgressio Regulæ præcipientis sub lethali involvat malitiam sacrilegii: nihilominus Bordon. res. 18. n. 13. tenet unicum esse peccatum, quia jejunium a Regula & ab Ecclesia præscribitur sub eodem motivo temperantiæ; multiplicatio autem specifica actuum sumitur in ordine ad diversas virtutes habentes motiva diversa.

12. Ad quid obligat votum Castitatis?

Resp. Obligat ad abstinentiam ab omni voluntaria delectatione venerea, tam interna, quam externa. Ita Less. & Layman cap. 8. ex D. Th. 2. 2. q. 186. art. 4. probans perpetuam continentiam, ad

quam

quam tenetur Religiosus professus, & utitur auctoritate D. Pauli 1. ad Corinth. 7. *Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu*. Hinc sive externe, sive interne peccans contra castitatem, duplex peccatum committit, alterum luxuriæ, alterum sacrilegii. Et advertendum est, quod si peccatum committatur cum altera Moniali, erit duplex sacrilegium; proinde hæc circumstantia aperienda est in Confessione. Violat ergo castitatem Monialis in sequentibus casibus. Si deliberate capiat delectationem morosam de venereis; si venerea desideret, si pollutionem procuret; si de ea sequuta, voluntarie delectetur: si litteris, & munusculis turpes foveat amicitias; si obscenos sermones audiat, vel habeat; si libros turpes, & amatorios legat; si obscenas imagines, vel imaginem proprii Amasii detineat; si aspiciat impudica, vel se impudice aspiciendam tradat; si lasciva canat, aut indifferentia, animo excitandi alios ad turpem amorem: si a somno excitata delectetur voluntarie de somnis turpibus antecedenter habitis, si carnaliter delectetur osculis, tactibus inhonestis, & similibus: si indebite se ornet ad malum finem, & ex Homobono tract. 5. q. 22. si se fuco inficiat, si mortuos crines gestet: si ubera nuda demonstret, cum hæc a statu cælibatus prorsus sint aliena.

13. Circa votum Paupertatis. Curet primo Confessarius, ne munera acceptando sit Monialibus perditionis occasio, & hinc discant sine scrupulo aliis dare, quod sine scrupulo vident ab ipso acceptari. Sciat Confessarius, hanc esse in Claustris communem Doctorum & piorum hominum opinionem, plures Religiosos propter fractionem voti paupertatis damnari. Attente ergo respiciat ad obligationes strictissimas voti Paupertatis, cujus violationis occasiones frequentes & quotidianæ sunt, & ut plurimum palliatæ sub titulo necessitatis, & quandoque etiam virtutis gratitudinis, charitatis, & beneficentiæ.

14. In quo consistit votum Paupertatis a Moniali emissum?

Resp.

Resp. Ex Homobono *p. 1. tr. 7. q. 122.* in hoc; ut nihil proprium, ac per modum dominii possideat, & affectum etiam seu desiderium possidendi ad modum dominæ a se abdicet. Nomine proprii intelliguntur non solum pecuniæ, sed etiam bona temporalia pretio æstimabilia, quorum dominium, & facultatem disponendi in perpetuum abdicavit. Ex hoc patet, violari votum paupertatis, si aliqua, absque expressa, vel saltem tacita, (ut infra explicabitur) Abbatissæ facultate detineat etiam ad usum: occultet, ne Abbatissa videat, accipiat; & multo magis si donet, alienet, disperdat; & quidem si res esset notabilis, adeo grave est peccatum, ut si in illo moriatur, jubeatur in sterquilinio cum eo sepeliri, *cap. cum ad Monasterium, extravag. de statu Monachorum*.

15. Quot modis violatur Paupertas?

Resp. Præcipue tribus, scilicet acquisitione, detentione, & donatione.

16. Quomodo violatur acquisitione?

Resp. Certum est, Monasteria Monialium sub quacunque rigidissima observantia posse acquirere reditus stabiles & eos in communi possidere. Urbanus V. circa Moniales Sanctæ Claræ voluit earum Regulam observari sine tali paupertate, spoliata reditibus annuis in communi, & S. Pius V. *suo motu proprio*, qui incipit. *Circa Pastoralis*, & Gregorius XIII. *Constitutione 13. Deo Sacris*, omnibus modis providere voluerunt, ut Monialium Monasteria habeant ex propriis, unde valeant sustentari: quæstuare enim plura inconvenientia affert honestati, & clausuræ Monialium. Quantum ad Moniales in particulari, sibi ipsis nihil aequirere possunt; sed quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio. Hinc donationes ipsis factæ, legata ex occasione mortis consanguineorum, & similia, statim transeunt ad Monasterium, & fiunt illi propria. Non prohibetur tamen, ut Monialis habeat annuos reditus moderatos, ex bonis Parentum assignatos, ut suppleat necessitatibus victus, vestitus, & medicinalium, de quibus non sufficienter provideri po-

ri potest à paupertate Monasterii, cum hoc tamen ut usus talium redituum sit dependens ab Abbatissa, & revocabilis ad nutum illius, & serventur ea, quæ de hac re disponuntur a Concilio Tridentino *sess.* 25. *c. de Regularibus*: Ita Miranda *q.* 9. *de Monialibus*, Azorius, Barbosa, & alii.

16. Annuus census relictus Moniali cum hac conditione, ut nihil Monasterio acquiratur valetne?

Resp. Cum Homobono *part.* 1. *tract.* 7. *q.* 123. non potest fieri legatum Religiosæ professæ cum hac conditione, ut nihil Monasterio acquiratur: hoc enim constituit Monialem proprietariam, & dominam despoticam annui proventus, quod est contra paupertatem: ut ergo sustineatur validitas legati, debet ita intelligi, ut nihil Conventui, ratione utilitatis directæ, accrescat, non tamen ut nihil juris, & dominii: scilicet ut proventus illi expendantur in utilitatem Monialis pro ejus usibus necessariis & honestis, Religiosæ paupertati decentibus; non tamen intelligitur, ut illa Monialis possit ad sui libitum annuos reditus detinere, & expendere; pro hoc enim neque Abbatissa potest facultatem concedere. Hinc ut Sanctimonialis tuta conscientia frui possit hoc pio legato, quatuor servandæ sunt conditiones; Primo, ut non illos habeat quoad dominium tanquam suos proprios: sed quoad merum simplicemque usum facti sibi convenientem & decentem, & revocabilem ad nutum Abbatissæ. Secundo, ut non illis abutatur in malos, vanos, aut superfluos usus. Tertio, ut eos habeat cum expressa licentia Superioris. Quarto, ut possessio, & administratio census & pecuniarum non penes ipsam habeatur, sed apud illam Religiosam, quæ ab Abbatissa, vel a Monasterio designatur, & solet nuncupari Depositaria, vel Capsaria. Cum ergo occurret necessitas utendi dictis fructibus, adeat Abbatissam, huic sincere referat suas necessitates, postulet licentiam, & ejus nutui obediat.

17. Violatne votum Paupertatis Monialis, quæ volen-

volentem ei aliquid dare, rogat; ut potius det alteri tertiæ personæ?

Resp. Ex Homobono *ubi supra*, *q.* 122. non infringit votum Paupertatis, nec violat Constitutionem Clementis VIII. quia hæc nullam facit alienationem; cum enim ipsa neque tacite, neque expresse donationem acceptaverit, nullam rei exhibitæ acquisitionem fecit. Hinc non ipsa donat, sed rogat, ut a proprio domino donetur alteri: intercedere autem pro tertio non est contra paupertatem.

18. Circa distinctionem: Nihil Monialis detinere potest apud se, sed quidquid habet, ad necessarios usus debet sibi concedi ab Abbatissa, & esse ad nutum ipsius revocabile: Superflua, inutilia, vana, & pretiosa, statui paupertatis indecentia, si concedantur ab Abbatissa, peccat, & detinens (nisi excuset ignorantia,) & concedens, excedit enim limites suæ facultatis: licentia tacita suffragari tantum poterit in levibus, quæ ad usum quotidianum detinentur, puta acus, filum, & similia, quibus utuntur Moniales in quotidiano manuum labore. Circa extraordinaria, tacita & interpretativa licentia est laqueus animarum. Pretiosæ picturæ etiam ad devotionem excitantes, item vasa argentea, & aurea, aut ex alia materia, multa arte elaborata, nequeunt concedi, utpote quæ sapiunt sæcularem pompam, & non Religiosam moderationem. Detinere peculium apud sæcularem, qui nomine suo expendat, est pallium inobservantiæ, & veræ paupertatis fractio.

19. Monialis magnam tristitiam sentiens, quia privatur ab Abbatissa aliqua re, quam cum licentia detinebat ad usum, peccatne?

Resp. Negative, quia ex voto tenetur abdicare affectum proprietatis; quæ autem parata est rem derelinquere, non habet affectum proprietatis, & tristitia in adimpletione præcepti est affectus partis inferioris, quæ pugnat adversus spiritum; & solum est mala negative, quatenus indicat non extare habitum perfectæ virtutis, quo quis operatur prompte,

& de-

& delectabiliter; non autem positive, quatenus indicet vitium oppositum.

20. Circa donationes: In his, magni excessus, & abusus continuo videntur, quibus occurrere volentes Summi Pontifices, Constitutiones & Decreta ediderunt, additis etiam pœnis contraventoribus, quæ omnia continentur in Bulla Clementis VIII. de munerum largitione, quæ Bulla ex Homobono *p.* 1. *c.* 5. *q.* 10. quatuor habet fines; primo, ut Religiosa disciplina labefactura in pristinum restituatur, & quæ incolumis permanet, conservetur: secundo, ut votum Paupertatis integre servetur: tertio, ne bona Monasteriorum, vel quorumcunque Regularium dilapidentur: quarto, ne prava ambitione Religiosi compulsi, pro consequendis officiis alter alterius gratiam, vel Protectoris, seu aliorum benevolentiam aucupetur. Ea quæ vetita sunt Monialibus vi hujus Bullæ, describuntur a Gavanto verbo *Munerum largitio vetita Monialibus*: primo, nihil donare possunt Regulares utriusque sexus; secundo, præter leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem spectantia, nomine communi: tertio, neque per se, neque per alios; quarto, neque Ordinariis ex causa benedictionis, habitus tradendi, aut professionis Monialium: quinto, neque ipsis Religiosis inter se, minima, & cum licentia Superiorum in scriptis; sexto, prohibetur etiam erogatio pecuniæ in honorem alicujus, seu grati animi testificationem quovis modo significandam: septimo, quicunque recipit, tenetur ad restitutionem Monasterio: octavo, pœnæ imponuntur dantibus, privationis officiorum, inhabilitatis vocis activæ, & passivæ ipso facto, furti, & simoniæ; Quantum ad pœnam, quæ incurritur a Moniali faciente munera, adverte extra declarationem vivæ vocis oraculo factam a Clemente VIII. Generali Societatis Jesu, quam etiam refert Diana, scilicet Religiosam sine licentia suæ Abbatissæ facientem munus, non excedens valorem duorum aureorum frangere quidem votum, sed dictas pœnas non incurrere.

21. Quia

21. Quia ex hac Bulla plurima oriebantur in Regularibus dubia circa exactam illius observantiam, ideo Urbanus VIII. innovat eandem Bullam, irritans, & damnans omnem prætensum non usum: mandat quotannis eam publice legi mense Januario, una cum declarationibus ab ipso editis, nimirum, quod munera a prædictis largiri possunt causa gratitudinis, conciliationis, aut conservationis benevolentiæ erga Conventum, & quavis de causa respiciente de sui natura actum virtutis, modeste tamen, & discrete, & cum licentia Superioris, & consensu majoris partis Conventus, ubi talis consensus ex consuetudine, aut ex constitutione postulatur. Hæc omnia fuse Diana, descendens ad casus particulares, ut videri potest in illo coordinato *tom. 7. tract. 3. de Paupertate Religiosa*, & in ejus Summa, *verbo Religiosa Paupertas*.

22. Quantitas gravis in violatione paupertatis est illa eadem, quæ in furto regulariter requiritur, & sufficit pro lethali.

23. Advertat Confessarius ex Palud. *in 4. dist. 38.* vota emissa a Monialibus ante professionem Religionis, per professionem extingui non commutatione, aut relaxatione, sed solutione illorum perfectissima, quia talem esse obligationem perpetuo Deo inserviendi reputat Jus. Propterea Castro Palaus adducens Lessium, putat in novitiatu suspendi ea vota personalia, quæ onera Religionis, & novitiatus exercitia reddunt difficiliora, quæ cum sint impeditiva majoris boni, ipso jure sunt suspensa. Si autem quis huic sententiæ acquiescere nolit, poterit Novitia etiam cum consilio Confessarii commutare vota sua personalia in aliqua novitiatus exercitia, utpote in rem evidenter meliorem: Quantum ad vota personalia facta post professionem, poterit Abbatissa irritare tantum ea vota, quæ spectant ad gubernationem domesticam & politicam, in ordine ad quam Moniales ei subdunt suam voluntatem. Ita Castro Palaus *de voti relaxatione, disp. 11. punct. 8.* Reliqua de votis perso-

sonalibus Religiosorum habentur proprio loco in secunda parte.

SECTIO VI.

De Clausura, Accessu, & Collocutione cum Monialibus.

1. Clausura Monialium est strictissima Monialis obligatio manendi intra septa Monasterii sine admissione alicujus sæcularis, cujuscunque generis, conditionis, sexus, aut ætatis fuerit, sine licentia Episcopi, vel Superioris in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ, ex Gavanto, qui adducit pro se declarationem Congregationis Episcoporum 19. *April.* 1619. Votum Clausuræ venit sub voto obedientiæ. Hinc Monialis, illam violans, peccat peccato sacrilegii.

2. Quot modis violari potest votum Clausuræ?

Resp. Duobus, per egressum Monialis extra septa, & per ingressum extraneorum intra septa Monasterii sine debita causa, ex Episcopi facultate in scriptis obtenta. Causa debita facultatis concedendæ non requiritur, ut sit strictissima, & absoluta necessitas, sine qua Monialis nec vivere possit, nec salvare animam: sed sufficit necessitas moralis, gravis, rationabilis, & manifesta, respiciens animarum, vel corporum utilitatem gravem. Verba enim Constitutionum, vel legum, civiliter, & modo honesto ac possibili sunt intelligenda. Ita Homobonus cum pluribus, *p.* 3. *tract.* 15.

1. Quænam est causa rationabilis reddens licitum ingressum Confessarii.

Resp. Est salus animarum, cui aliter consulere nequit, nisi ingrediendo. Hinc quoties necessitas urget ministrandi Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, & Extremæ Unctionis, non est dubium posse ingredi, servatis quæ diximus de administratione Sacramentorum: & si periculum sit in mora, non est, cur petat licentiam ab Episcopo; cum enim clausura intro-

introducta sit in favorem animæ, ne honestas sanctarum Virginum exponatur periculis sæculi, servari non debet in earum detrimentum. In aliis casibus debet omnino licentiam petere; causæ autem hujus concedendæ, esse possunt, moralis necessitas sumendi Sacramenta semel in mense respectu illius, quæ nequit accedere sine magno incommodo, & salutis detrimento, ad locum in quo ei ministretur Pœnitentia. Item si intra mensem aliqua infirma dicat se Pœnitentia indigere, cui Episcopus debet credere, nisi forte ei constet hanc simulare, & fingere prætextus pro alio suo fine. Ex Gavanto citante plura Congregationis decreta, istæ causæ sufficientes sunt: Aspergere domum in Sabbato Sancto, aut alia die: Comitari Medicos, aut Operarios; Occasio sepeliendi Monialem, aut Officium funerale peragendi: Causa Professionis, vel exorcizandi Monialem obsessam, vel ferendi infirmæ Sacram Reliquiam, vel imprimendi benedictionem Episcopalem, aut indulgentiam Moniali morienti, vel baptizandi puerum intra clausuram natum. Ex his enim cum aliqua necessaria non sint, & aliqua suppleri possint per Moniales, non constituunt causam rationabilem, necessariam, urgentem, ac manifestam, quam Jura requirunt pro licito ingressu in Clausuram.

4. Ex Gavanto citante Decretum Congregationis 13. *Septembris* 1583. Confessarius ingressus non divagetur ad aliam partem Monasterii, nec etiam occasione visitandi alias infirmas: & administrare Extremam Unctionem, ex Bulla Alexandri Septimi, quæ incipit *Felici Sacrarum Virginum statui*. 5. ingredi etiam debet ad commendandum animam, ut eam adjuvet in puncto, a quo dependet æternitas. Pro quiete conscientiæ Confessarius sciat, si divagetur paulisper peracto suo officio per quartam partem horæ curiositatis gratia, ex Diana non committere peccatum lethale, neque censuram incurrere. Confessarius Regularis, semper ac ingredietur, debet socium habere maturæ ætatis: neque ex Gavanto nova licentia requiritur pro socio, sed sufficit illa data Confessario.

5. Simplex Sacerdos transiens ante fores Monasterii, si vocetur pro suscipienda Confessione Monialis, quæ extet in proximo mortis periculo, & dubitetur moram esse valde periculosam, poteſtne Monasterium ingredi?

Resp. Ex Rodriquez, Sorbo, Mancino, Sanchez, & aliis potest ingredi, ne Monialis decedat inabsoluta. In hoc casu enim non solum est interpretativa licentia Episcopi, verum etiam Papæ; si enim non præsumitur extendere obligationem clausuræ ad casum incendii, in quo periclitatur salus corporis: multo minus ad casum, in quo periclitatur salus animæ. In simili eventu requiri licentiam Abbatissæ, docet Navarrus.

6. Quantum ad Medicos, Chirurgos, Servos, & alios, qui habent licentiam generalem ingrediendi Monasterium in casibus necessariis, hæc extendi non debet ad casus supplebiles per Moniales, tunc enim non est manifesta, urgens, & rationabilis causa ingrediendi, & finito officio debent statim recedere, nec possunt per Monasterium divagari, ut dixi de Confessario; nec possunt mutari ad eorum libitum, ita ut unus pro alio substituatur, nisi in casu extremæ necessitatis.

7. Quantum ad licentiam generalem, quam Abbatissa habet ab Episcopo pro bajulis necessariis ad ferenda ligna, vel alia onera gravia ultra vires Monialium, hæc non debet extendi ad viros nobiles, aut alios, qui hujusmodi famulatu ordinarie non inserviunt, hoc enim esset licentiæ collusio. Servitute completa debent omnino recedere: nec servitus hæc præstari potest sub sero, aut de nocte, sed ante signum vespertinæ Salutationis Angelicæ. Similiter Notarius ingredi potest pro receptione Testamenti Novitiæ, si hæc ad crates ratione infirmitatis accedere nequeat: Et Procurator pro invisenda scriptura, quam Moniales in Archivio reperire nesciunt, ac totam sarcinam scripturarum ad januam adducere fieri non posset, nisi cum periculo confusionis, & dispersionis. Similiter Architectus, & alii artifi-

ces,

ces; cum opus est, ingredi possunt: tales enim graves causæ sufficientes sunt pro licentia impetranda ab Ordinario, non ab Abbatissa, nisi periculum gravissimi damni esset in mora. Si reus confugiat ad Monasterium, quod reperit apertum, ut in tuto se recipiat, debet ejici: & si ad hoc Moniales non sufficiant, possunt convocari Curiæ officiales, qui eum extrahant, & in loco sacro reponant; non autem in Ecclesia Monialium.

8. Abbatissa, vel aliæ Moniales, quibus custodia clausuræ commissa est, admittentes, vel permittentes extraneos intra clausuram extra casum gravis, evidentis, rationabilis, & urgentis necessitatis, prætextu licentiarum generalium obtentarum ab Episcopis, & Superioribus, incidunt in excommunicationem Papæ reservatam. Adverte hic Doctrinam Sanchez *lib. 6. mor. c. 16.* scilicet Moniales privatas, quæ ad clausuræ custodiam non sunt deputatæ, posse etiam incurrere censuram Papæ reservatam ex Constitutione Gregorii XIII. in qua habetur: *Neve Moniales admittere præsumant*: si ergo cooperentur ingressui positive, vel invitando, vel hortando, vel scrupulum ingrediendi auferendo, incurrunt; hoc enim proprie est admittere. Abbatissa vero, & custodes clausuræ incurrunt, non tantum si positive cooperentur, sed etiam si negative, cum Constitutio dicat: *Ingredi facere, aut permittere*: qui autem non repellit cum potest, & tenetur, dicitur permittens. Cum persona indebite ingressa colloqui, non videtur comprehensum in Bulla, ut notat Sanchez ibidem; hoc enim neque est ingredi facere, aut admittere, aut permittere. Hæc de violatione clausuræ, quoad ingressum.

9. Quoad egressum Monialis e septis Monasterii, Tridentini *sess. 25. c. 5.* habetur; *Nemini Sanctimonialium post professionem liceat exire etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata*. Ne in hujus legitimæ causæ recognitione detur facultas errandi, hanc S. Pius V. extendit ad tres casus, scilicet incendii, lepræ, &

epidemiæ. Nomine epidemiæ ex Gavanto, qui refert Decretum Congregationis Episcoporum 8. *Novembr. anno* 1594. venit quicunque morbus popularis contagiosus; & tunc debet haberi consensus Episcopi in scriptis, etiam si Monialis sit Regularibus subjecta juxta Constitutionem S. Pii V. apud Barbosam *allegat.* 102. & ex eodem concedentes licentiam exeundi sine causa, comitantes, recipientes incurrunt censuram Papæ reservatam cum privatione dignitatum, officiorum, cum inhabilitate, & aliis. Hinc male sibi consuleret qui a casibus prædictis, licitum egressum permittentibus, se extenderet ad alios consimiles, quia, ut putat Diana in Constitutione S. Pii V. *Nulla alia occasione ac prætextu*, legitur; qui utique dicit nullam, omnes consimiles excludit. Sententiam contrariam tenet Azorius. Cum Concilium dicat, *Post professionem*, putat non comprehendi in hujusmodi decreto Novitias, quibus tamen ex Decreto Congregationis a Gavanto citato non debet concedi licentia exeundi ad visitandos Parentes.

10. Violat ex Homobono clausuram Monialis, quæ per duos pedes toto corpore egreditur a janua Monasterii, quicquid dicant alii in contrarium citati a Diana. Clausura enim habet sua confinia, & natura confinii est indivisibilis, cum inter intra, & extra, non detur locus medius, in quo Monialis neque sit intra, neque extra. Quæ unum pedem extrahit e janua Monasterii, se extendens curiositatis gratia, ut aliqua videat, non dicitur egressa: nec ascendens super tectum perpendiculariter Monasterii suppositum, nec se ponens in rota, & eam volvens versus partem externam; Rotæ enim sunt intra, non extra parietes, qui sunt confinia clausuræ. Idque non ratione parvitatis materiæ, quam puto in violatione clausuræ non dari; sed quia confinia clausuræ non excessit.

11. Circa collocutionem & accessum, adverte, accedere ad Moniales vetitum esse omnibus tam Laicis, quam Clericis, quam Regularibus, in *Cap. periculose, de statu Regularium* in 6. *In Cap. Monaste-*

ria,

ria, *de vita*, *& honestate Clericorum*, rationem ibi adducit Bonifacius VIII. ut Sanctimoniales a publicis & mundanis aspectibus separatæ, omnino servire Deo valeant liberius: & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire. Strictius prohibita est Religiosis jussu Sixti V. edito 1590. & Clementis IX. anno 1669.

12. Quid est accedere ad Monasteria?

Resp. Ex Bonacina, est transferre se ad locum clausuræ, ubi degunt Moniales, ut Monialem alloquatur, inspiciat, & ab ea inspiciatur; ly *inspiciat*, intelligitur, ut alloquens quantum est ex natura rei inspicere possit; collocutio enim est illa, quæ primario prohibetur. Pœnas incurrunt Regulares accedentes ad Monasteria etiam Regularibus subjecta, quia accessus fit in territorio Episcopi, qui est Sedis Apostolicæ delegatus pro conservanda Monialium clausura.

13. Qui cum falso prætextu obtinet licentiam accedendi ad Monasteria, habens pro fine turpiloquium, incurritne censuras?

Resp. Affirmative, quia in foro interno licentia subreptitia ita se habet, ac si non fuisset obtenta. E contra qui ex fine bono obtinuit licentiam, & postea tentatus immiscuit aliquid turpe in sermone, dictam censuram non incurrit. Observet tamen, num sint aliæ Constitutiones Synodales prohibentes sub censura turpiloquium cum Monialibus.

14. Regulares per modicum tempus colloquentes cum Moniali, vel aliqua intra clausuram degente peccatne mortaliter?

Resp. Affirmative ex Decreto Congregationis Clementis IX. jussu edito, in qua habentur hæc verba; Qui absque legitima facultate accedunt: colloquendo etiam per quodcunque modicum tempus cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, & posse carcerari ab Ordinario.

15. De anno 1678. emanata est alia declaratio Sac. Congregationis responsiva ad hæc duo dubia;

Primum, an Regularibus missis ad crates Monialium pro munere Prædicationis obeundo, prohibitum sit sub peccato mortali, censuris, & pœnis, immediate post cum ipsis Monialibus absque expressa licentia ad colloquendum, immiscere sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius Concionis? Secundum, an talis prohibitio intelligatur tam de collocutione cum aliquibus Monialibus, quam cum una tantum, omnibus tamen aliis audientibus, immediate post concionem: & ad utrumque die 21. Maji respondit affirmative.

16. Si regularis colloquatur Monialem per fenestram existentem extra clausuram, peccatne?

Resp. Affirmative, quia accessus est prohibitus ratione collocutionis: si ergo quis colloquitur uno, vel altero modo, semper facit contra præceptum: & hoc clarius videbitur, si reflectas accessum Concionatoris licitum esse, collocutionem illicitam. Locutio per nutus eadem lege prohibita est: nam est modus loquendi humanus, quo utuntur muti, & idioma commune ignorantes. Item locutio per interpretem: qui enim per alium facit, per se ipsum facere videtur. Non autem hac lege prohibentur epistolæ, quia scribere non est loqui.

17. A Gavanto adducitur Decretum Congregationis 13. Sept. 1583. ut non permittatur accessus ad Moniales sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut musicam, cantumve ad crates.

SECTIO V.

De reliquis Monialium obligationibus.

1. TEnenturne Moniales tendere ad majorem perfectionem?

Resp. Affirmative ex D. Thoma 2. 2. q. 186. a. 1. dicente: Status Religionis est quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi; & ille qui statum Religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & ope-

operam dare, ut habeat. Hinc postea assignans, quomodo quis peccet contra hanc obligationem, docet non esse prætermissionem mediorum, seu Regularum Ordinis sui, sed earum contemptum, his verbis; Non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat. Peccat ergo lethaliter nolens tendere ad perfectionem essentialem sui status, quæ consistit in observantia essentiali votorum solemnium: similiter peccat contemnens Regulam aliquam, vel Regulas, quæ sunt media secundaria ad perfectionem habendam. Item ex Suarez, si omnia monita, & Regulas suæ Religionis nolit observare, eo quod non obligent sub lethali. Tale enim propositum vix potest rescindi a contemptu. Si autem ex tædio, & fragilitate, ex accidia, ex inconstantia in bono, frequenter etiam frangat Regulas, & Constitutionem in iis, quæ non obligant sub lethali, non peccabit mortaliter, sed tantum venialiter, nisi tamen, ut bene monet Sanchez, ita perturbet Religiosam Disciplinam, ut suo malo exemplo inducat alias ad Regulæ laxitatem.

2. Teneturne Monialis deferre habitum suæ Religionis?

Resp. Debet etiam ipsa incedere in habitu & tonsura sibi propria, ex c. *Ne Clerici, vel Monachi in 6.* & contra hanc obligationem multipliciter peccare potest. Primo, si nimiam munditiam in cilicio quærat, hoc est; si nimia diligentia, & studio ornet se, habitum tamen non alterando; & hoc ut plurimum est veniale. Secundo, si eum alteret in forma, ut venustior appareat; & si talis alteratio taliter fiat, ut ubera demonstret contra virginalem modestiam ipsi debitam: & maxime si fucata etiam sit, aut concinnata; sentit Homobonus eam peccare mortaliter. Tertio, si habitum alteret in materia: si hæc prætiosa sit, peccare contra paupertatem graviter, vel leviter juxta quantitatem pretii inaniter, & ex pura vanitate expensi: & hæc si magis delicata tantum, puta si laneam vestem, vel subuculam ex lino gerat contra Regulæ præscriptum, tale est peccatum, qualiter obligat Regula. Dimittendo habitum in Cella

propter nimium æstum, vel ut facilius aliqua operatio servilis fiat, vel etiam extra Cellam ad repræsentationem faciendam, ubi hæc est tolerata, non peccatur contra prohibitionem *in dicto cap.* insinuatam; ibi enim habetur: *Temere habitum suæ Religionis dimittat*, hic autem non ex temeritate, sed ad finem toleratæ recreationis Monialium dimittitur: nullatenus tamen id permittendum, nisi servatis alias servandis, ex Gavanto, qui refert Decretum Congregationis Episc. 12. Jan. 1604. tollatur abusus secedendi in Cellam, vestiendi vestes lugubres in morte Parentum.

3. Tenentur Moniales Choristæ professæ recitare sub lethali Officium Divinum, vel in Choro, vel si legitime absint, extra Chorum, & ex Privilegio Clem. VII. teste Casarubio *in comp. verbo Moniales, n.* 30. concessum fuit Monialibus degentibus sub cura Patrum Minorum, ut si quæ Chorista ex imperitia nesciat perfecte recitare Officium Divinum judicio Prælati, Confessarii, aut Abbatissæ, satisfacere possit recitando Officium Conversarum, seu illas preces, quas ex præscripto Constitutionis recitant Conversæ loco Officii Divini. Non tenentur sub lethali recitare preces impositas ab Abbatissa pro Benefactoribus: hæc enim obligatio non excedit vim Regulæ, quæ sub lethali non obligat. Quæ non intersunt ea die in Choro, neque tenentur sub lethali recitare Officium Mortuorum pro satisfactione pii Legati cum hoc onere relicti; hoc enim est onus Chori afficiens communitatem, non vero singulas, ex Gavanto, qui citat Decretum Congregationis Rituum 18. Augusti 1627. Moniales ne dicant in Confiteor ad Primam, & Completorium: *Tibi Mater, Vobis Sorores*: sed ut in Breviario. Reliqua quæ pertinent ad Horas Canonicas, habentur in tertia parte. Unum moneo, quod extirpandis scrupulis valde juvare poterit, ex Indulto Leonis X. Monialibus, & aliis Horas Canonicas ex obligatione recitantibus remitti omnes defectus, & culpas ex humana fragilitate contractas, si post recitationem devote dicant hanc orationem.

Sacrosanctæ ac individuæ Trinitati, crucifixi Domini

mini nostri Jesu Christi Humanitati, Beatissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, & integritati, ac omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum nunc, & semper, & per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Beata Viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et Beata Ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Pater noster. Ave Maria.

Laicæ non tenentur sub lethali recitare preces loco Officii eis impositas.

4. Sub obligatione Regulæ tenentur audire Missam omnibus diebus; & tenentur sub eadem obligatione ad jejunia Adventus & alias abstinentias a carnibus, puta die Mercurii, si hoc in earum Constitutionibus mandetur. Observet tamen Confessarius, num suarum Monialium Regula obliget ad aliqua jejunia sub lethali; & quænam sint. Tenentur sub lethali ad omnia jejunia ceteris Fidelibus communia: item ad jejunia Diœcesis, si quæ sunt; habito tamen respectu ad ætatem, quia quoad hoc, & cetera alia præcepta, non sunt diversæ, aut deterioris conditionis à ceteris Fidelibus: tenentur item ad festa imposita ab Ordinario loci.

5. Abbatissa cum super omnes habeat regimen politicum sui Monasterii, tenetur sub lethali, abusus, & relaxationem Regulæ non permittere, & si possit, introductos extirpare: tenetur corrigere inobservantias Regularum, & multo magis peccata, si quæ videat, eo modo quo materfamilias in sua domo: tenetur etiam non solum corrigere, sed castigare juxta methodum suæ Constitutionis, & morem Monasterii; immo in gravioribus, quæ occurrere possunt in suo regimine, Prælatum consulere. Debet ex Concilio Tridentino sub pœna suspensionis ab Officio divino ad arbitrium Episcopi, monere Episcopum per mensem ante diem professionis, de tempore professionis Novitiæ.

Finis Primæ Partis.

APPARATUS

PARS SECUNDA.

De decem Præceptis Decalogi.

Præliminaria ad secundam Partem.

PRæcepta Decalogi sunt decem Leges Naturales traditæ Moysi a Deo; quorum tria prima conscripta in prima Tabula respiciunt Deum, septem sequentia scripta in secunda tabula respiciunt proximum. Hæc tenetur quilibet Christianus sub pœna peccati lethalis scire, si non quoad verba, saltem quoad substantiam, itaut interroganti respondere valeat, furari esse peccatum, adorationem, & cultum Dei esse necessaria, & sic de reliquis. Generaliter transgressio præceptorum Decalogi est lethalis, nisi excuset parvitas materiæ, vel non plenus rationis usus, vel inadvertentia, vel quid simile. Primum præceptum est, Unum cole Deum: secundum, Ne jures vana: tertium, Sabbata sanctifices: quartum, Honora Parentes: quintum, Non occides: sextum, Non mœcaberis: septimum, Non furaberis: octavum, Non ferės falsum testimonium: nonum, Non concupisces rem alienam: decimum, Non concupisces alienam mulierem. Tria ex his præceptis affirmativa sunt, neque obligant ad semper, & pro semper; neque enim quis tenetur semper colere Deum, honorare Parentes, Sabbata sanctificare; sed statutis temporibus. Reliqua septem negativa sunt, & obligant semper, & pro semper. Hæc præcepta licet fuerint a Deo data, sunt tamen naturalia.

CAPUT I.

De primo Præcepto.

Primum Præceptum est, Unum cole Deum.

1. QUomodo huic Præcepto quis satisfaciet? *Resp.* Cultu Latriæ, qui est actus voluntatis, quo subjicimur Deo tanquam ultimo fini, propter ejus excellentiam, dignitatem, & superioritatem. Hoc autem facimus præcipue usu Sacramentorum, & assistentia ad Sacrificium Missæ: item orando, & omnibus actibus, quibus tanta præstatur reverentia, & veneratio, quæ nulli unquam præter Deum præstaretur.

2. Quinam actus sunt contrarii adorationi Dei? *Resp.* Blasphemia, Tentatio Dei, Magia, Superstitio, Divinatio, vana observantia, & similia, quæ vel includunt spretum Dei, vel Dæmonibus tribuunt Divinam Potentiam. Item cultui Dei sicut quis præcipue satisfacit actu virtutum Theologicarum, ita vitia contraria illi opponuntur. De his ergo omnibus in hoc capite agendum erit.

SECTIO I.

De adoratione Dei, & illius contrariis.

1. QUid est superstitio? *Resp.* Est vana, & falsa Religio, ut cum colitur Deus cultu vano & indebito; ut si quis coleret nunc Deum Sacrificiis antiquæ legis, vel si colatur aliis modis illicitis, addendo Sacrificio Missæ aliquid propria auctoritate, vel adorando Reliquias fal-

falsas, vel fingendo miracula. Potest etiam evenire ex alio capite, ut si adoretur Dæmon: quod si hæc adoratio fiat cum errore in intellectu, quo quis credat, Dæmonem esse Deum vere adorandum, erit etiam hæresis: si autem solum fiat ob finem impetrandi aliquid ope ipsius, erit tantum sacrilegium Idololatriæ. Quocunque autem modo præstetur hic cultus, sive implicite, sive explicite, ligat semper peccatorem superstitiosum excommunicatione in Cœna Domini in foro externo: Quoad forum internum non incurritur, nisi sit annexus error in intellectu.

2. Quodnam est signum superstitionis?

Resp. Signum est, cum omnes, sive viri sive mulieres, sive Clerici, sive Sæculares, indifferenter cum rebus sacris, signis, vel orationibus ab Ecclesia non receptis operantur res extra ordinem naturæ: tunc enim tales ritus censendi sunt superstitiosi, eo quia donum miraculorum non est ita universaliter, & indifferenter concessum. Hoc signum clarius indicat superstitionem, non definit tamen alia; ut patebit in sequentibus casibus.

3. Estne superstitio, dum aliquis permittit se tangi, & signari in aliqua infirmitate a filio septiminio; item a viris, vel fœminis nonnullarum familiarum curantium a diversis morbis?

Resp. Ex Azorio, Sanchez, Lessio citatis a Bertau, peccatum non esse, dummodo post sedulum examen Theologorum, nihil quod superstitiosum sit reperiatur: ob bonum enim Reipublicæ potuit Deus donum curationis ligare aliquibus familiis, cum sit gratia gratis data, quæ quandoque etiam peccatoribus concessa fuit. Et de facto usu recepta est curatio quædam sciaticæ, quæ Fulginei apud unam familiam viget, a Sancto Petro, ajunt, concessa, & ad tempora nostra usque traducta, qua infirmitate Pater D. Romulus Marchellus Generalis nostræ Congregationis curatus fuit. Item Alberonæ in Pullia altera familia extat, quæ a D. Paulo gratiam curationis a veneno viperarum retinet. In his ergo si-

gnis,

gnis, quæ communiter, & publice sunt usu recepta, censendum est, nullam esse superstitionem; alioquin Ecclesia talem non ferret abusum.

4. Dubius, num aliquis modus curationis extraordinarius superstitiosus sit, peccatne mortaliter, si eo utatur?

Resp. Si ante usum non adhibeat diligentiam ad dignoscendum, num hæc curatio extraordinaria superstitiosa sit, peccat mortaliter, quia se exponit periculo superstitionis: si autem adhibita diligentia dubium deponat, nullum committit peccatum. Hinc in praxi, cum non cognoscitur virtus naturalis alicujus extraordinariæ curationis, standum est dicto hominis periti illius artis, & timoratæ conscientiæ. Non enim cuilibet innotescunt effectus mirabiles, qui ex simpathia, vel aliis qualitatibus, quæ ideo dicuntur occultæ, oriri solent.

5. Peccatne peccato lethali rusticus, qui ex pio affectu permittit se signari a bona, ut putat, vetula?

Resp. Ignorantia eum excusat; neque enim illum in dictis precibus & signis putat se obsequium præstare Deo, eum offendit, ita Less. l. 2. cap. 44.

6. Quid est Magia?

Resp. Est ars falsa a Dæmone tradita ad effectum faciendi effectus mirabiles, & extraordinarios opera Dæmonis. Magus est semper suspectus de hæresi, vel de Apostasia: solet enim Dæmon adorationes, sacrificia, & abjurationem veræ fidei exigere ab hujusmodi perditæ conscientiæ viris. Adverte, quod si aliquando videtur Magus facere miracula excedentia vires naturales, puta, suscitare mortuum, vel quid simile, tunc Dæmon decipit, illudendo sensus humanos.

7. Quid est Divinatio?

Resp. Est superstitiosa prædictio, quæ fieri nequit vi ordinaria, & humana. Malitia talis peccati in hoc consistit, quod cum quis adhibeat media improportionata & vana ad effectum dignoscendi aliquid occultum, puta si quis ponat herbas sub cervica-

vicali, ad effectum cognoscendi in somnio aliquid ipsi ignotum, talis manifestatio expectatur a causa aliqua plusquam naturali; non a Deo, nemo enim sperat a Spiritu Sancto revelationem secreti ex medio tam vili: ergo a Dæmone: sic iste adhibetur ut cooperator, & adjutor horum effectuum: in quo est grave peccatum. Est enim, fœdus, amicitiam, & correspondentiam habere cum generali inimico Dei & humanæ naturæ. Hinc in hujusmodi divinationibus intervenit semper pactum, vel implicitum, hoc est, quo tacite vult Dæmonem auctorem talis effectus, vel pactum explicitum, quo verbaliter convenit cum Dæmone, vel quo habet expressam intentionem, ut Dæmon concurrat positis dictis mediis ad effectum, qui intenditur.

8. Si quis sit dubius, num medium, quo vult uti ad divinandum, licitum sit, necne, sufficienterne sibi providet, si expresse renuntiet cuicunque pacto implicito cum Dæmone?

Resp. Negative, quia protestatio est contra factum, dum oretenus dicit unum, & revera facit aliud. Ita Bonac. tom. 2. Limita tamen in casu, in quo quis haberet aliquam rationem naturalem valde probabilem, qua teneat in medio esse connexionem cum effectu; tunc enim renuntiando pacto, ex una parte, & ex alia adhærendo rationi, satis pie & prudenter operatur.

9. Estne peccatum mandare Astrologo, ut delineet oroscopum, vel chiromantico demonstrare manum, ut inde aliquid præsagiat?

Resp. Si hoc fiat ex vana tantum curiositate, & sine credulitate, nullo modo est peccatum grave: si autem quis dictis præsagiis certe, & firmiter adhæreat, maxime in iis quæ pendent a libero arbitrio, peccat mortaliter, cum sit velle attribuere combinationi astrorum illam cognitionem futuram, quam Deus sibi soli reservavit. Peccatur etiam peccato inobedientiæ, eo quod Summi Pontifices, & maxime Sixtus V. astrologiam judiciariam condemnavit: Adverte tamen; quod aliquid de temperamento cre-

dere

dere ex inspectione manuum, linearum, aut oculorum, non est peccatum, nisi forte hæc judicio certo, & infallibili, vellet tenere; quod esset veniale, quia nimis dilataret activitatem causæ naturalis. Item velle e Zingaris scire bonam, vel malam sortem, ex sola curiositate, ad summum est veniale; cum credulitate, fide, & assensu, est lethale. Tunc autem dignoscitur aliquem assentire; cum esset paratus quasi jurare, quod res ita eveniat, sicut prædictum est; secus censenda est apprehensio & suspicio, non vero assensus firmus.

10. Estne peccatum observare somnia?

Resp. Adhibere fidem somniis est peccatum lethale; cum enim non sit verisimile, Deum ad satisfaciendum curiositati loqui in somniis, & revelare occulta, talis divinatio nequit evenire nisi ex opere Dæmonis, cui credere est peccatum lethale: sic etiam plura sinistra, vel felicia judicare futura ex garritu avium, ex fortuito occursu animalium, ex punctis apparentibus in ungulis, esset lethale, nisi ut plurimum in talibus judiciis excusaret, vel ignorantia, vel levitas assensus; qui ordinarie firmus non est, licet aliqua spes, vel timor oriatur, qui animi affectus, ut docet experientia, quandoque excitantur etiam in sola imaginatione bonæ, vel malæ sortis possibilis.

11. Si quis per timorem nollet facere actionem aliquam propter vanam observantiam peccaretne lethaliter, puta si nollet sedere decimus tertius ad mensam?

Resp. Negative, ex Sanchez lib. 2. c. 4. Hæc enim fierent ad præcautionem, quia sæpe visus est effectus posterior ad dicta signa; non autem quia præstetur firmus assensus.

12. Divinationi addi potest vana observantia; quæ est augurium boni, vel mali, ex consideratione certarum rerum casu accidentium, & naturaliter incapacium præsagire, ut v. gr. præsagire aliquid mali, eo quod fortuito sal cadat in mensa. De hac discurrere debemus; sicut supra de Divinatione.

13. Quid

13. Quid est Maleficium?

Resp. Est ars falsa a Dæmone tradita ad finem nocendi aliis, opera ipsius Dæmonis accurrentis ad nutum alicujus dicti, signi, vel facti. Arte hac utuntur Lamyæ, seu Stryges, quæ si ad conficiendum maleficium utantur rebus sacris, vel Sacramentalibus, debent hoc explicare in confessione, quia est nova species sacrilegii, utpote abusus rerum ad cultum Dei pertinentium. Hinc maleficium multiplicem habet malitiam: Primo quia divertit homines a Deo, & eos convertit ad Dæmonem, ad quem recurrunt, & in hoc est malitia peccati contra Religionem, & contra primum mandatum, præcipiens cultum Dei. Secundo, quia causat morbos, & mala in proximo: sicque est contra justitiam. Tertio; quia ex parte modi ut plurimum intervenit abusus rerum sacrarum, & sic est malitia sacrilegii: Hinc non licet unum maleficium alio maleficio solvere, quia licet in hac solutione non sit species injustitiæ, est tamen semper malitia irreligiositatis, & recursus ad inimicum Dei, & humanæ naturæ. Potest tamen comburi instrumentum maleficum, puta statua, vel quid simile, si in tali combustione nullum interveniat pactum. Qui scit aliquem esse Magum, vel maleficum, tenetur eum revelare Prælato, vel Inquisitoribus, non solum ex obedientia, quia hoc graviter præcipitur ab Ecclesia, sed etiam ex justitia, quia tenetur consulere bono communi proximi.

14. Si filia sciret matrem esse maleficam, teneturne sub lethali eam denuntiare Inquisitoribus?

Resp. Cum Homobono, si filia certa sit, & nullo modo dubitare possit de arte malefica exercita a matre, tenetur eam accusare: si enim filius tenetur denuntiare patrem molientem aliquid contra Rempublicam, faciendo tractatus, & ineundo fœdus cum inimicis illius, multo magis tenetur denuntiare, si aliquid moliatur contra Christifideles.

15. Possetne filia denuntiationem suspendere, donec eam fraterne corrigat?

Resp. Licet aliqui ab Homobono citati obligatio-

nem

nem denuntiandi non tollere usum fraternæ correctionis asserant, si hæc commode fieri possit, maxime in materia sortilegiorum, & superstitionum, in qua aliqui quandoque cadunt ex levitate vel simplicitate, ut in rusticis; nihilominus puto cum Homobono, statim matrem veneficam denuntiandam esse, eo quia nulla subsit spes correctionis, cum experientia doceat fere nullam ex iis reis fœminis resipuisse: nec verisimile est correctionem filiæ tantam vim habere posse, ut eb errore adeo turpi, & involvente plures promissiones, & pacta cum Dæmone, eam avertat.

16. Quid agere debet Confessarius, cum ad eum accedit pro absolutione sortilegus, magus, divinator, aut aliqua hujus furfuris persona?

Resp. Consideret prius ad quidnam se extendat ejus auctoritas circa casus reservatos in ea Diœcesi, inter quos ut plurimum erunt hujus generis crimina. Deinde eos interroget, num exercendo hanc artem alias confessi sint reticendo hoc grave peccatum; nam, ut ait Homobonus, hoc solent promittere Dæmoni malefici, scilicet, accedere frequenter ad Sacramenta cum confessione sacrilega. Secundo interrogandi sunt, an renuntiaverint Christianæ fidei, & tunc sunt Apostatæ; an vero aliquem tantum articulum ex animo negaverint, & tunc sunt Hæretici: an Diabolum adoraverint, & tunc idololatria cum hæresi conjuncta erit: an usi sunt rebus sacris in sortilegiis; an retineant adhuc libros, vel alia Diabolica instrumenta hujus artis: an alios de hac re docuerint: & quoad hoc ultimum obligandi sunt ad eos corrigendos, ut quantum est in se, avertant ab hac mala arte, qua eos imbuerunt. Advertendum, quod cum isti sint complices delicti, non tenentur eos accusare Judicibus, ne se ipsos prodant.

17. In quodnam peccatum incidit legens libros prohibitos?

Resp. Si libri contineant hæresim, aut sint de hæresi suspecti, legens non solum peccat lethaliter contra

tra obedientiam, quam debet Ecclesiæ, & propter periculum notabile amittendæ fidei; sed etiam incidit in excommunicationem, quam tulit Pius IV. contra habentes, vel legentes libros cujusvis auctoris damnatos propter hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem. Ab hac excommunicatione, quæ in Bulla reservata non est, potest absolvere quilibet Confessarius. Quia tamen etiam altera excommunicatio est in Bulla Cœnæ Domini contra delinquentes in hac materia, advertendum est, ad incurrendam hanc secundam excommunicationem tres conditiones requiri: primo, ut legens sciat librum esse prohibitum, & tamen consulto velit legere: ad excommunicationem enim requiritur scientia, & contumacia: secundo, ex parte auctoris requiritur, quod hic sit hæreticus: tertio, ex parte libri, ut hæresim contineat, vel de Religione ex professo tractet. Cæterum, si liber indifferens sit, & casu admisceatur error, non est cum hoc rigore pœnæ proibitus. Si quis tamen ex libro habente hujusmodi conditiones legeret curiositatis gratia, octo vel decem lineas, propter parvitatem materiæ eximeretur a dictis pœnis, non autem a peccato lethali; sicut enim parvitas materiæ in furto, quando est conjuncta cum gravi damno proximi, non excusat a lethali: ita etiam hic non excusabit parvitas materiæ, cum conjuncta sit cum periculo fidei amittendæ; potest enim in paucis lineis quis imbui veneno erroris gravissimi.

18. Quid sentiendum de his, qui legunt libros prohibitos, eo quod contineant amatoria, vel alia contra bonos mores?

Resp. Certum est, eos peccare lethaliter contra Ecclesiam præcipientem abstinentiam a dictis lectionibus propter gravia motiva, & etiam contra charitatem, qua tenetur unusquisque fugere periculum proximum luxuriæ. Verum quoad hoc secundum; juxta scientiam, quam unusquisque habet de se ipso, debet sibi providere. Ita Homobonus hic de primo Præcepto.

19. Quid

19. Quid est blasphemia?

Resp. Est dictum aliquod contumeliosum contra Dei honorem, & cultum ipsi debitum. Potest autem hæc fieri duobus modis. Primo, cum ex pravo affectu voluntatis affirmatur de Deo id, quod non est, vel negatur id quod est; ut si dicatur; injustus Deus: vel, Deus nequit bonum facere; & ista est blasphemia per modum enuntiationis. Secundo per modum imprecantis, vel detestantis: ut cum dicitur, ad despectum Dei, per corpus, per sanguinem, & sic aliæ imprecationes, quæ in impetu iræ dicuntur ad Dei, vel Christi Domini contemptum; non autem per modum juramenti. Porro blasphemia duplex est, alia hæreticalis, in qua quoad verba continetur error contra fidem, qui tamen error non includit assensum intellectus, secus esset hæresis: alia est simplex, quæ scilicet est in contemptu, & dehonoratione Dei, sed sine ullo errore. Similiter verba dicta in dehonorationem Sanctorum, sunt blasphemiæ, quatenus hæc redundant in contemptum Dei.

20. Estne exprimendum in Confessione, num quis blasphemaverit in Deum, an vero in Sanctos, & B. Virginem?

Resp. Cum Sanchez negative; eo quod omnes blasphemiæ specificantur a dehonoratione Deo facta, sive immediate per blasphemantes Deum, sive mediate per blasphemantes Sanctos. Suarez vero vult, quod specie differant, eo modo, quo specie differunt cultus præstiti Deo, Beatæ Virgini, & Sanctis.

21. Estne blasphemia deridere Dei attributa, aut illudere rebus sacris, puta aquæ benedictæ, & similibus?

Resp. Affirmative: quia licet nihil auferatur a Deo, aut tribuatur; tamen cum attributa non sint illi tanquam aliquid contemptibile, in illorum illusione quis blasphemat: sicut etiam quis blasphemaret, si cum contemptu nominaret pudenda Christi, vel Beatæ Virginis, vel Sanctorum, quia mem-

membra non sunt in Sanctis tanquam aliquid contemptibile; unde gravi injuria afficiuntur hujusmodi dicteriis.

22. Blasphemia triplicem habet causam. Primo, odium Dei, & Sanctorum. Secundo, impetum iræ. Tertio, lapsum linguæ. Si ex prima causa oriatur, semper est gravissimum peccatum lethale contra Religionem; ex secunda tamen, & tertia, ut plurimum non est, nisi veniale, propter indeliberationem voluntatis, quæ advertens ad factum, horret tam impie se gessisse contra Deum, contra quem in verba imaginata prorupit, quorum significationem non consideravit; nam si consideraret ad significata verborum, tunc ex D. Thoma 2. 2. art. 1. ad 3. non excusaretur a peccato mortali; & etiam ex Alario, si sit assuetus blasphemare, & negligat emendationem, quia tunc, cum sit in culpa præcedenti, peccat mortaliter.

23. Quid est Sacrilegium?

Resp. Est violatio, seu læsio alicujus rei sacræ. Sic tria sunt genera rerum, ex quarum profanatione committitur sacrilegium. Primo, persona Deo dicata, quales sunt Sacerdotes, vel Sanctimoniales, cum quibus aliquis committens peccatum luxuriæ est sacrilegus; item injiciens in illos, vel illas, manus violentas. Secundo, locus sacer, puta Ecclesia, vel Cœmeterium, Vestes sacræ, & vasa pertinentia ad usum Sacrificii. Hinc polluere Ecclesiam, vel per seminis, vel per sanguinis violentam effusionem, vertere vasa sacra ad res turpes, vel inhonestas, sacrilegium est, licet dictæ profanationes occulte fiant; malitiam enim habent ex natura rei, non ex publicatione facti; sic ex fornicatione occulta remanet polluta Ecclesia, quæ tamen denuo benedici non debet, nisi factum reddatur publicum. Ita Bereau contra nonnullos.

24. Verba, aspectus, tactus impudici in Ecclesia suntne Sacrilegium?

Resp. Quoad verba, & aspectus, negative; quia ex istis non remanet pollutus locus sacer itaut celebra-

lebrari nequeat. Quoad tactus autem, quia isti sunt semper cum periculo pollutionis, pro sacrilegio confitendi.

25. Estne sacrilegium excitare querelas, & rixas in Ecclesia?

Resp. Suarez vult propter gravem injuriam loci, excitatores rixarum in Ecclesia esse sacrilegos, eo quod transgrediantur Canonem *Decet*, de Immunitate Ecclesiastica: alii vero sentiunt negative, nisi intercedat gravis contemptus, vel perturbatio Divinorum Officiorum.

26. Quot modis sacrilege peccatur in materia furti?

Resp. Tribus modis. Primo, quando quis furatur sacrum de sacro, puta planetam de Ecclesia: vel non sacrum de sacro, puta depositum quod est in Ecclesia: vel sacrum de non sacro, puta Calicem consecratum de domo Curati: Tamen si res, quam quis furatur in Ecclesia, non sit Ecclesiæ curæ commissa, aliqui volunt non esse sacrilegium. Item furari funem campanarum, vel Breviaria Chori, si quis etiam parvam quantitatem materiæ, puta solidum de alicujus crumena in Ecclesia furaretur, non committeret sacrilegium.

27. Peccare in die festo, estne sacrilegium?

Resp. Negative: quia tempus, cum sit successivum non est capax consecrationis veræ; sed solum tempora dicuntur sacra ex Mysteriis, vel aliis actionibus sacris, quæ in illis præstantur.

28. Estne sacrilegium vertere Sacram Scripturam in materiam ludi, & joci?

Resp. Si hoc agat cum advertentia, est sacrilegium, cum sit profanatio verbi Dei, scripti, quod utique est magis sacrum, quam sit vestis sacra, aut res, quibus abuti, & vertere ad res inhonestas, sacrilegium est. Multo magis profanare verbum Dei. Adde, quod ex derisu, & joco Scripturæ Sacræ, ortæ sunt hæreses, ut notant Historici: & maxime ad præsentiam Sæcularium ludere Religiosos verbis sacris, nequit esse sine magno scandalo. Pluribus ergo titulis gravis injuria fit Deo, & Spiritui Sancto, vertendo

ejus

ejus verba venerabilia Angelis in jocum; immo quandoque etiam ad significanda inhonesta, & turpia.

29. Tentatio Dei quid est?

Resp. Est actus contra Religionem, quo quis absque justa causa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum de divina perfectione, puta de Justitia, Sapientia, Omnipotentia: ut si v. gr. indoctus vellet disputare de rebus fidei contra hæreticos, sperans se in actuali disputatione illuminandum. Potest tentatio Dei esse, vel expressa, qua quis facit actionem cum explicita intentione cogendi Deum ad patranda miracula; vel implicita, & tacita, qua quis solum faceret actionem, quæ de se esset exigitiva miraculi: ut si quis expanso pallio super aquas vellet trajicere flumen ad imitationem D. Raymundi. Excipe ergo instinctus peculiares Spiritus Sancti, juxta quos operari est Deo obedire, non vero illum tentare. Tentatio Dei de genere suo est peccatum lethale, cum includat semper aliqualem Dei contemptum. Potest esse veniale ratione indeliberationis, vel parvitatis materiæ.

SECTIO II.

De Simonia.

1. Quid est Simonia?

Resp. Est venditio rei spiritualis, aut spirituali annexæ, pro temporali. Simonia ex genere suo est sacrilegium, & peccatum mortale, cujus malitia oritur ex contemptu rerum spiritualium, quas appretiat, & commutat rebus temporalibus. Hinc est peccatum oppositum Religioni, cujus munus est, maxima cum reverentia res aliquo modo ad Deum pertinentes tractare. Dicitur pluribus in historiis sacris Hæresis Simoniaca, non quia Simonia de se contineat errorem in intellectu, qui sit contra fidem: sed quia de facto in capite ejus, unde nomen sumpsit, scilicet Simone Mago, illum habuit: putabat enim impius ille vir posse pecunia emi Spiritum

San-

Sanctum; & quia ab Ecclesia antiquitus iisdem pœnis puniti sunt Simoniaci, quibus hæretici.

2. Quotuplex est Simonia?

Resp. Triplex est; primo mentalis, & est traditio alicujus rei temporalis pro spirituali, sine pacto explicito, sed tantum mente retento: secundo conventionalis, & est quæ committitur ex conventione partium, quæ paciscuntur de temporali dando pro spirituali, vel pro re spirituali annexa; tertio, realis, quæ re completur. Differt ergo realis a conventuali, per hoc, quod in reali de facto solutum sit pretium; ubi in conventionali est solum promissio, pactum, & conventio dandi pretium obtenta re spirituali. Adde, allatis Simoniæ divisionibus, Simoniam confidentialem, & est illa, qua sub confidentia rei temporalis acquirendæ renuntiatur, vel resignare Beneficium, sine licentia legitimi Superioris. Et hæc Simonia potest esse realis, si solvatur de facto pretium; conventionalis, si tantum fiat promissio; mentalis, si speretur. Adde etiam Simoniam fictam; cum scilicet ficte fit conventio dandi aliquid pro Beneficio obtinendo, cum intentione non adimplendi. Pœnæ illatæ a Jure Canonico contra Simoniacos afficiunt tantum Simoniam realem, aut conventionalem, aut confidentiam beneficialem; non vero fictam, aut mentalem.

3. Quo jure prohibita est Simonia?

Resp. Triplici jure, scilicet Naturali, Divino, & Ecclesiastico: Naturali primo, quia ratio naturalis dictat spiritualia, & supernaturalia esse naturalibus, & temporalibus longe digniora. Divino, juxta illud, *Gratis accepistis, gratis date*: Demum Ecclesiastico, ut innumeri Canones hoc testantur.

4. Quænam pœnæ imponuntur Simoniacis?

Resp. Tres: excommunicatio major Papæ reservata, privatio Beneficiorum, & privatio fructuum obtentorum, etiam ante Judicis declarationem. Hinc licet per nonnullos possit Episcopus absolvere Simoniacum, non tamen potest dispensare, ut retineat Beneficium, aut fiat habilis ad alia obtinen-

da; sed hoc tantummodo spectat ad Summum Pontificem.

5. In quibus rebus potest incurri Simonia?

Resp. In tribus maxime, scilicet in Ordine, in Beneficio, & in Professione Religiosa. In primo scilicet est Simonia proprie contra Jus Divinum, quia emitur manuum impositio; & character Ordinis. In secunda, & tertia incurritur Simonia contra Jus Canonicum.

6. Summus Pontifex potestne incurrere in Simoniam?

Resp. Si Simonia committatur immediate contra Jus divinum, vel naturale, Summus Pontifex vere contraheret Simoniam, quia summus Pontifex cum non sit supra Jus divinum, potest ab illo obligari: pro exemplo adducunt Auctores, si venderet Sacramenta, reliquias sacras, definitiones alicujus Dogmatis, aut omne aliud, quod sacrum est ex natura sua: Item si venderet ea, quæ sacra sunt ex institutione Ecclesiæ, ut si majori pretio, quam postulet materia, vellet vendere ceras benedictas, picturas sacras, imagines, & quid simile habens Indulgentiam, & Benedictionem: nam superfluum reciperetur pro Benedictione, & Indulgentia. Quoad alia autem, volunt plures Doctores cum nostro Homob. in Summum Pontificem nec posse cadere suspicionem Simoniæ, ratione plenitudinis potestatis supra omnia bona temporalia Ecclesiæ: & casu quo peccaret simoniace, non incurreret tamen supradictas pœnas, quæ cum sint de Jure Canonico, inferiori ad Summum Pontificem, ideo nequeunt ipsum ligare.

7. Episcopus tradens Beneficium indigno ad preces alicujus viri potentis, committitne Simoniam?

Resp. Si Episcopus conferat Beneficium ad preces viri potentis, sperans inde aliquod emolumentum temporale, puta negotia sua facilius, & favorabilius expedire in aula, tunc est Simonia mentalis; tunc enim traditur spirituale propter temporale mente conceptum: quod intelligi debet, si præcipuum motivum sint preces, reduplicative, ut pretio æstimabiles,

les,

les, scilicet, ut reportantes lucrum temporale. Si autem sint preces hominis præpotentis, vel ut æstimati, vel ut amati, tunc preces non habent locum pretii: collatio autem est sacrilega, quia datur ob favorem humanum, quod debet dari ex meritis: Ita Homobon. cum quo sentiunt Navarrus, & Suar. dicentes, preces non facere collationem simoniacam, si permaneant in propria natura precum, secus si transeant in rationem pretii; nam dare aliquid per preces non est vendere. Nec obstat, quod collatio Beneficii propter humana patrocinia sit a Jure Canonico prohibita; hoc enim factum est, quia aliunde sequuntur in Ecclesia Dei plura absurda, non quia committatur Simonia.

8. Si Episcopus traderet propriis famulis Beneficia, committeretne Simoniam?

Resp. Ex Homobono, si Beneficia tradantur loco mercedis famulatus, utique intervenit ibi Simonia; secus si soluta mercede tradantur illis famulis repertis idoneis, etiamsi hoc fieret intuitu amicitiæ, vel gratitudinis.

9. Poteſtne Episcopus recipere aliquid indirecte propter collationem Ordinis, puta saltem pro litteris testimonialibus?

Resp. Garzia vult, neque posse Episcopum recipere a Notario partem mercedis, quæ ei datur propter dictas litteras; sic multo minus poterit recipere pro labore habito in collatione Ordinum, quia dictus labor est annexus rei spirituali; dum enim Christus instituit spiritualia gratis danda, ministris consequenter præscripsit laborem ad talem ministrationem præstandum, gratis conferendum esse. Idem dic de labore Sacerdotum respectu cujuscunque Sacramenti conferendi, si sermo sit de labore necessario.

10. Sacerdotes locantes opera propria ad Sacramenta, & aliqua spiritualia administranda in Ecclesia, committuntne Simoniam?

Resp. Negative: quia merces non sumitur pro re spirituali, quæ administratur; sed quia qui Altari inservit, de Altari vivere debet. Poteſt ergo pro

servitute, & assistentia, ad quam quis non tenetur, fidelium eleemosynas recipere. Hinc qui ex justitia, ut Parochi tenentur administrare, & assistere Ecclesiæ, nihil ultra possunt recipere.

11. Si fiat collatio simoniaca alicujus beneficii Clerico ignoranti pretium, & mercedem a parte solutam, collatio essetne valida?

Resp. Molfesius; si invincibiliter factum ignoretur a recipiente Beneficium, collatio valida est, quia Ecclesia non punit, nec privat Beneficio innocentem, etiam, ne detur malis hominibus occasio impediendi promotiones rite faciendas, apponendo occultas Simonias. Verum alii substinent contrarium communiter, & hoc etiam verisimilius approbatur a dicto Molfesio, eo quia Prælatus simoniacus privatur jure conferendi; hinc collatio erit nulla. Provisus ergo tali modo, cum primum scit, tenetur dispensationem petere.

12. Poteslne sine nota simoniæ provisus de Beneficio tradere aliquid, ne impediatur a possessione illius?

Resp. Licitum est redimere pretio aliquo, & mercede se ab injusta vexatione, & etiam ad terminandas lites, & conciliandam amicitiam. Ita Homobonus sentit, post collationem Beneficii, posse provisum sibi nota Simoniæ vexantes, & impedientes pretio aliquo sibi conciliare: Injustus autem vexator recipiens pretium, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem.

13. Poteslne quis sine nota Simoniæ tradere aliquid Procuratori, Sollicitatori, vel Expeditionario, vel amico existenti in aula, ut sibi procuret Beneficium, præsentando litteras patentes, cum requisitis, & habilitatibus concessis ab Ordinario?

Resp. Ex Lessio, potest aliquid tradere pro labore juxta eam quantitatem mercedis, quæ daretur, si rem profanam tractaret; si enim detur aliquid plus, illud censendum erit dari pro re spirituali, & illico committetur Simonia. Verum Diana tenet, quod etiamsi detur majus pretium, quam exigant proprii labores, Simonia non est; sed tantum intervenit injusti-

justitia emptionis, & venditionis. Intellige tamen; si majus pretium sit pro diligentia ab Expeditionario præstanda; si autem esset pro favoribus in Curia emendis ad Beneficium obtinendum, Simonia esset. In casu ergo majoris pretii, bene examinanda est intentio dantis.

14. Potestne resignans Beneficium recipere aliquid titulo donationis ab eo cui resignat, puta dicendo, Trado ego tibi meum Beneficium, trade tu mihi tuum Equum?

Resp. Ex Homobono, negative; est enim hic simonia palliata nomine donationis, si enim alter Equum non exhiberet, Beneficium nunquam fuisset traditum.

15. Quotuplex est pretium simoniacum?

Resp. Est triplex contentum sub nomine munus: scilicet, munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio. Nomine munus a manu, venit pecunia, aut quodlibet bonum temporale, quod solet dici fortunæ, traditum ad emendum spirituale. Nomine munus a lingua, veniunt preces, laudes, adulationes, quæ transire possunt in pretium: si fiunt modo supra explicato. Nomine munus ab obsequio, veniunt famulatus, & quælibet alia servitia exhibita cum pacto explicito, vel implicito reportandi aliquid spirituale.

Propositiones damnatæ, ad secundam Sectionem reducendæ

Ab ALEXANDRO VII. 22. Non est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed velut pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Ab INNOCENTIO XI. 45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

SECTIO III.

De Virtutibus Theologicis, & eorum oppositis.

1. QUot sunt Virtutes Theologicæ?

Resp. Tres: Fides, Spes, & Charitas. Dicuntur Theologicæ, quia habent pro objecto motivo, & terminativo Deum: sic Fides est Virtus Theologica inclinans intellectum ad credendum rebus a Deo revelatis propter ipsius auctoritatem, seu quia Deus verax dicit. Spes est Virtus Theologica, inclinans ad sperandam Beatitudinem, auxiliante nos gratia Dei, non vero nostris naturæ viribus. Charitas est Virtus Theologica, inclinans ad amandum Deum super omnia propter suam bonitatem, & proximum propter Deum.

2. Fac actum Fidei.

Resp. Credo Deum esse unum, & trinum, quia Deus ita revelavit Ecclesiæ, & Ecclesia mihi proponit credendum. Fac actum Spei. Spero propter gratiam Dei, ex meritis Christi obtinere beatitudinem supernaturalem. Fac actum Charitatis. Diligo toto corde Deum, quia summe bonus, & amabilis est.

3. Obligantne istæ Virtutes in aliquo casu sub lethali?

Resp. Obligant multoties in vita, & primo ex D. Thoma, cum quis pervenit ad usum rationis moralem. Secundo, plusquam semel intra quinquennium. Tertio, in articulo mortis. Quarto, urgente gravi tentatione, quæ sine exercitio harum Virtutum vinci non potest.

4. Qui nesciret, quonam modo isti actus fieri deberent, essetne excusatus a lethali?

Resp. Affirmative, usque dum sufficienter esset instructus, post quam instructionem, si differret ad longum tempus, peccaret lethaliter; ita Layman.

5. Quæ-

5. Quænam sunt credenda fide divina?

Resp. Omnia, quæ proponit Ecclesia, ut credenda; sic omnia contenta in Sacra Scriptura, in Traditione, in Decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum universalium, & doctrina unanimi Sanctorum Patrum adversus hæreticos; in his enim omnibus circumstantiis certissimum est Deum esse locutum. Item, si Deus aliquid ita revelaret personæ particulari, ut ipsa dubitare non posset de illusione Dæmonis; in hoc autem quis prudenter se gerere debet, prius consulto docto Confessario, qui ante oculos habeat illud Scripturæ: *Nolite credere omni spiritui: sed probate spiritus, si ex Deo sint.*

6. Estne eodem modo necessarium credere hæc omnia?

Resp. Negative: quædam enim sunt necessaria necessitate medii, hoc est, necessitate absoluta, quæ nullam admittit excusationem: talia sunt, Deus unus, & trinus: remunerator bonorum, & vindex malorum; Incarnatio secundæ Personæ, Passio & Resurrectio. Alia sunt necessaria necessitate præcepti, quæ si invincibiliter ignorentur, non officiunt saluti. Hinc si Confessarius inveniat rusticum nescientem prima, debet de iis eum erudire, antequam absolvat. Circa vero alios articulos fidei, sufficiet, quod implicite pro eo tunc illos credat, credendo scilicet quidquid credendum proponit Sancta Mater Ecclesia.

7. Sufficitne, quod pro toto tempore vitæ quis credat implicite ea, quæ sunt necessaria necessitate præcepti?

Resp. Negative; quia talis confusa credulitas æquipollet ignorantiæ, ex Bonacina. Tenetur ergo quis curare beneficio temporis; ut sufficienter erudiatur, ita ut credat explicite omnes articulos contentos in Symbolo Apostolorum; item scire omnia præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, orationem Dominicam, & ea saltem Sacramenta, quæ quis tenetur recipere. Qui enim non vult nubere, non est necesse, quod sciat, in quo consistat Sacramentum Matrimonii. Multi tamen Auctores tenent, quod rudiores, titulo

incapacitatis non obligantur ad hæc omnia: secus multi ex his, alioquin timoratæ conscientiæ necessario damnarentur.

8. Quid est hæresis?

Resp. Est error intellectus cum pertinacia voluntatis, contra aliquem articulum fidei. Hæc pertinacia consistit in hoc, quod quis sciat suam opinionem esse contra doctrinam, & definitionem Ecclesiæ, & nihilominus velit obstinate in ea perseverare.

9. Si quis dubitet de veritate alicujus articuli fidei, quem tamen negare non audeat, essetne hæreticus?

Resp. Affirmative, ex regula Innocentii III. *Dubius in fide est infidelis.* Vel enim dubitat positive, ut si existimet propositionem fidei esse dubiam: vel negative, ut si territus difficultatibus in contrarium, omittat credere dum tentatur contra fidem. Dico, territus difficultatibus; si enim omitteret ex alio motivo, vel ut exerceat libertatem suam, vel ut se divertat ab hac importuna, & molesta cogitatione, non peccat. Primis autem duobus modis est infidelis: nam in casu primo negat firmitatem, & infallibilitatem, quam habent articuli fidei; in secundo tanti facit difficultates naturales, quanti facienda esset divina auctoritas; quod est valde injuriosum divinæ veracitati.

10. Si autem quis involuntarie dubitet sine ullo consensu præstito, quinimmo dolens se habere hujusmodi dubia, & per actus fidei ea repellat, nullo modo peccat: quinimmo merebitur patiendo, & repellendo hujusmodi tentationes; quod frequenter evenit in pluribus timoratæ conscientiæ viris; Signa vero, quod defuerit consensus, est dolor, & molestia, quam quis patitur in istis dubiis, quæ nullo modo vellet habere recursus ad Deum pro iis repellendis, & similes pii affectus, qui in tentatione excitantur in piis viris.

11. Si quis negaverit aliquem fidei articulum, estne a simplici Confessario absolvendus?

Resp. Si hæresis nullo signo externo manifestata est,

est, nec dicto, nec facto, nec scripto, absolvi potest; si autem aliquo ex his modis manifestata fuit, distinguendum est sic; Vel adsunt conscii talis criminis, qui nimirum illum audierint, & viderint; vel nullus audivit, aut vidit: si hoc secundum, scribatur ad Sacram Pœnitentiariam, & obtenta facultate absolvatur: si primum, remittendus est blasphemus ad Inquisitorem, vel Episcopum, a quibus tamen absolvi non potest in foro pœnitentiæ, sed tantum in foro judiciali: postquam autem fuerit ab illis judicialiter absolutus ab excommunicatione, poterit a quolibet Confessario approbato a peccatis absolvi. Hinc etiam in Jubilæo universali, nisi Papa concedat auctoritatem absolvendi a casibus in Bulla Cœnæ, hæreticus absolvi nequit ab habente jurisdictionem delegatam.

12. Estne peccatum respectu laicorum, disputare cum hæreticis de articulis fidei?

Resp. Si laici docti non sint, est peccatum propter periculum subversionis, cui temere se exponunt; si autem sint docti, est prohibitum per Sacros Canones omnibus laicis congredi cum hæreticis. Valentia tamen notat, hanc Constitutionem esse abrogatam per consuetudinem in contrarium.

13. Catholicus, qui ob damnum sibi imminens in locis hæreticorum non audet se declarare talem, poteståne die prohibita manducare carnes?

Resp. Affirmative, dummodo non cogatur illam carnem manducare in odium fidei, & absit scandalum, & Religionis contemptus. Non enim quis semper tenetur manifestare, & protestari suam fidem. Et licet Hæretici per talem manducationem protestentur propriam fidem, hoc est per accidens, neque Ecclesia censenda est velle obligare cum tanto incommodo. Ita Bertau, qui adducit pro se Sanchez.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VIII. Prima: Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei,

spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad has virtutes pertinentium.

3. Ab eodem: Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quo de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacr. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

Ab INNOCENTIO XI. 4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis ad Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificemur.

16. Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se.

17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere; ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non locutus sit Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

i 23. Fi-

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad Justificationem sufficit.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Ab ALEXANDRO VIII. Prima; Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum: ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare Deum neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

11. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

12. Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

14. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

17. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

10. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

15. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum adest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

18. Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est.

CAPUT II.

De secundo Præcepto Decalogi.

Sectio I. *De Juramento.*
Sectio II. *De Adjuratione.*
Sectio III. *De Voto.*
Sectio IV. *De Mendacio.*

SECTIO I.

De Juramento.

1. IN secundo præcepto statuitur, quod homo non juret vana: scilicet damnatur tanquam peccaminosa omnis actio, quæ irreverenter usurpet

[illegible] tamen; quia tamen poteſt hoc fieri tribus modis, ſcilicet juramento, adjuratione, & voto, de his omnibus modo agendum eſt.

2. Quid eſt jurare?

Reſp. Eſt Deum, vel aliquid divinum vocare in teſtimonium illius, quod aſſeritur, vel negatur, vel promittitur.

3. Eſtne licitum jurare?

Reſp. Juramentum factum cum debitis modis eſt licitum, & meritorium. Eſt enim actus latriæ, quo quis honorat primam Veritatem, dum in ſuis neceſſitatibus eam implorat, ut homines fidem adhibeant Deo invocato, quam negant homini aſſerenti. Hinc nonnulli aſſerunt, juramentum dici a jure, tanquam inventum a jure inductum, ut facta ſua, vel dicta homines confirment, & reddant fide digna, caſu quo ſuſpecta ſint. Alii autem volunt; juramentum dici a jure, quia id quod juratur, ita debet eſſe firmum, ac ſi eſſet ipſum jus, vel lex aliqua.

4. Quotuplex eſt juramentum?

Reſp. Quadruplex eſt, ſcilicet, aſſertorium, promiſſorium, comminatorium, & execratorium. Juramentum aſſertorium eſt, quo rem præſentem, vel præteritam affirmamus, vocato Deo in teſtimonium dicti, ut ſi quis juret hoc eſſe, vel non eſſe, hoc feciſſe, vel non feciſſe. Promiſſorium eſt, quo vocato Deo in teſtimonium, confirmamus aliquam promiſſionem futuram in bonum tertii: ut ſi quis juret ſe donaturum centum ſcuta. Comminatorium eſt, quo quis invocato divino teſtimonio jurat ſe pœnam daturum alicui. Execratorium eſt, quo quis in confirmationem ſuorum dictorum invocat creaturas aliquas, in quibus juſtitia Dei elucet, ut ab illis hic caſu mendacii puniatur; ut ſi quis dicat: fulmine tangar, ſtatim moriar, ſi hoc non eſt verum. Poteſt autem juramentum fieri per ipſum Deum implicite, vel explicite, ſcilicet vel invocando nomen Dei, vel creaturas ut ad Deum ordinatas, vel per Sanctos, vel per Cœlum Dei, & ſimilibus modis.

5. Quæ-

5. Quænam sunt conditiones, quæ dicuntur juramenti sociæ?

Resp. Sunt tres, scilicet veritas, judicium, & justitia. Veritas est, qua quis prudenter putat rem esse veram, vel habet animum adimplendi id quod jurat. Judicium est, quo quis jurat reverenter cum advertentia, & cum necessitate in materia honesta. Justitia est, cum non offenditur irrationabiliter proximus nostro juramento; contra hanc conditionem faceret jurans coram amico se vidisse mulierem fornicantem. Defectu primæ, vel tertiæ conditionis, juramentum regulariter est lethale, scilicet si injustitia sit gravis. Defectu secundæ est veniale.

6. Juramentum de re levi indifferenti obligatne?

Resp. Jurans pro re indifferenti, puta se nunquam lusurum chartis, se nunquam iturum in talem domum, si juret propter motivum honestum, puta se nunquam lusurum ob periculum rixæ, amissionem temporis, scandalum, grave damnum, vel quid simile, est obligatus ad servandum juramentum, quia res indifferens ex motivo honesto & bono non est amplius indifferens, sed bona; hinc tenetur eam servare, sicuti in aliis rebus bonis. Si autem motivum sit etiam indifferens, tunc, cum res non mutetur, juramentum cadit supra actum inutilem, & nullo modo obligat. Ita Homobon. qui citat pro se Suarez de Jurament. l. 2. c. 6.

7. Estne licitum jurare cum æquivocatione?

Resp. Tunc esse licitum, quando licita est æquivocatio; in casu autem, in quo quis interrogetur ab habente legitimam auctoritatem, tunc, cum in judicio non liceat æquivocare, neque licet jurare sub æquivoco. Solus ergo casus periculi mortis, aut gravis damni injuste ab alio inferendi, reddit licitum jurare cum æquivocatione.

8. Quænam intentio requiritur ad juramentum?

Resp. Requiritur expressa, aut saltem tacita, qua quis judicetur vocare Deum in confirmationem, vel testimonium sui dicti; sine hac intentione, quibuscunque terminis quis juret, solum materialiter ju-

rat, & est potius invocans Dei nomen in vanum, quam jurans, vel perjurus. Hinc ut plurimum dicentes, per Deum, in fide Sacerdotis, Christiani veri, per veritatem Dei, vel aliis modis, adhibent verbum istud Deus ad exaggerationem, & energiam locutionis, potius quam velint Deum vocare in testimonium. Si ergo per lapsum linguæ, & inadvertenter adhibeant tales voces in mendacio, non sunt censendi peccasse lethaliter, sed solum venialiter ratione irreverentiæ.

9. Si quis juret falsum in materia levi, & vel sine, vel cum parvo damno proximi, peccatne mortaliter?

Resp. Si juret cum advertentia, semper peccat mortaliter; non enim ex gravitate materiæ est gravis culpa perjurium, sed ex natura rei, quia quis adducit primam Veritatem ad confirmandum mendacium.

10. Dicere in casu veritatis, Res ita est vera, sicuti verum est Evangelium, vel sicut verus est Deus, estne peccatum?

Resp. Similia juramenta ut plurimum non sunt peccatum lethale; quis enim non intendit æquare veritatem humanam cum veritate divina, quod esset blasphemia; sed solum intendit dicere; quod ita suo modo res est vera, sicuti suo modo verus est Deus. Hinc Sanchez vult similes locutiones non habere vim juramenti.

11. Si quis juravit facere rem aliquam malam, teneturne eam adimplere.

Resp. Cum Homobono negative, quia juramentum non est vinculum iniquitatis; Unde male quis fecit jurando, & pejus faceret observando juramentum. Et sic sicuti non obligat votum factum de re mala, ita & juramentum; utraque enim obligatio est a Deo: in voto quidem obligamur Deo, debito fidelitatis, in juramento autem debito reverentiæ. Hinc bene attende, in juramento principaliter intendi naturam actus; proinde si actus, supra quem cadit, est malus, ita etiam juramentum; sic incidens in latrones, si non coactus juret ex timore se illis datu-

daturum pecuniam, tenetur eam tradere; si vero coactus juraret se daturum, sine intentione tamen adimplendi, nihil tenetur dare; quia primus actus, seu prima promissio ex natura sua est valida, secunda non est; sic in primo casu obligat juramentum, non in secundo.

12. Si quis juret se soluturum pecuniam, & lucrum mutuanti, teneturne tali promissioni usurariæ stare?

Resp. Juramentum solvendi usuras obligat quidem in foro conscientiæ, non autem in foro exteriori judiciali, ut patet ex praxi. Ratio est, quia ex juramento duplex insurgit obligatio; prima est ratione promissionis factæ danti mutuum; secunda Deo, qui vocatur in testem; Hinc cum promissio prima sit injuriosa, & injusta, ruit, & non obligat; secunda vero tenet, donec Superior dispenset; & si quis jurasset se non petiturum absolutionem juramenti, ac ea non usurum, debet insuper prius ab hoc juramento absolvi, & postea ab alio. Licet hæc sententia sit verior, & tutior in conscientia; non desunt tamen qui contrariam teneant, quos recenset Sanchez cap. 11. n. 19.

13. Si quis captivus ad obtinendam aliqualem relaxationem juret post determinatum tempus redire ad carceres, teneturne stare juramento?

Resp. Si juste detinebatur in carceribus, tenetur stare juramento, & se restituere in carceres, etiam si adsit periculum vitæ, quia jus divinum, & naturale conservandæ vitæ tunc vigent, quando quis habet jus formatum ad illam conservandam; quod est extra usum hominis, qui supponitur reus mortis. Unde neque potest in hoc juramento dispensari, nisi alia esset gravissima causa. Si autem injuste detinebatur in carcere, potest petere, & obtinere dispensationem. Jurans apud infideles se rediturum, vel missurum pretium redemptionis, tenetur omnimodo stare juramento propter scandalum Religionis Christianæ; quod oriretur in infidelibus; & infinita alia damna, quæ reddunt inutilem absolutionem a tali juramento.

14. Juramentum traditum per errorem obligatne in conscientia?

Resp. Si error est antecedens circa substantiam rei promissæ, dans motivum contractui, utique juramentum non tenet; hinc enim error cum auferat consensum, & volitionem promittendi, tollit vim juramenti, quod eam supponit. Si autem error sit concomitans, obligat, quia ita concomitatur actum, ut eo etiam existente promissio facta & jurata fuisset. Proinde, cum non destruat subjectum juramenti, nec destruit juramentum. Exemplum: Petrus promisit se daturum annulum, quem putabat valoris duorum aureorum: reperit postea valere decem aureos: si quando juravit, scivisset valorem justum, & majorem, & nihilominus jurasset, tenetur tradere: si vero non habuisset animum dandi tantum, non tenetur.

15. Si quis juravit dare Ecclesiæ in eleemosynam mille aureos infra triennium, eo moriente transitne obligatio ad hæredes?

Resp. Obligatio juramenti non transit ad hæredes, sed solum afficit jurantem, qui potest esse perjurus non solvens. Hæredes autem tenentur solvere dictam pecuniam, quia ex justitia & fidelitate sunt obligati satisfacere omnibus contractibus testatoris; hinc etiam dictæ promissioni, non quia jurata est, sed quia promissio est.

16. Danturne causæ, propter quas juramentum non obligat?

Resp. Plures dari; primo cum factum est contra justitiam, vel contra meliora bona, ut si quis juraret se nunquam facturum eleemosynam alicui, se nunquam daturum mutuo, quia hæc repugnant pietati Christianæ, qua tenemur vicissim nobis subvenire. Sic etiam jurans se nolle emere cariori pretio, aut vendere tam vili; quia hoc juramentum, cum non contineat obsequium Dei, sed solum utilitatem jurantis, potest jurans seipsum dispensare. Sic etiam domini jurantes dimissuros famulos, vel percussuros pueros, vel pueri jurantes se denuntiaturos aliquod crimen sociorum Magistro; quia dicta juramenta

fiunt

fiunt potius sub ratione culpæ, quam sub motivò virtutis; sunt nempe regulata ab ira, vel vindicta. Et etiamsi jurassent ex motivo bono correctionis, possunt omittere ad cavendas rixas, & discordias ad invicem, vel si emendatio secuta sit, aut proxime speretur, ut etiam jurans se nolle primum ingredi, vel egredi ab aliquo loco; quia hæc juramenta sunt facta urbanitatis gratia, & ex levitate tali, quæ non sufficit ad inducendam obligationem sub lethali.

17. Si quis sit dubius de intentione, qua juravit; num scilicet habuerit veram intentionem dandi, promittendique, teneturne dare, & adimplere juramentum?

Resp. Tenetur eligere tutiorem partem, & servare juramentum, nisi deveniat ad illum casum, in quo si scivisset quantitatem materiæ dandæ, non jurasset; tunc enim non tenetur, ut supra diximus. Immo dubium non est causa sufficiens petendæ, & obtinendæ dispensationis a Prælato, qui sine causa nequit dispensare, maxime in juramento promissorio, in quo dispensatio est semper in præjudicium tertii, cui facta fuit promissio.

18. Potestne quis sine peccato exigere juramentum a solito pejerare, vel ab infideli jurante per falsos Deos?

Resp. Si adsit necessitas, nullum peccatum est; unusquisque enim juste & licite providet sibi mediis necessariis ad proprii negotii securitatem; neque intendit perjurium, sed ut jurans more humano melius se obliget. Idem dicendum est de exigente juramentum ab infideli jurante per Jovem, vel Venerem, quod perjurium ex D. Thoma gravius est perjurio Christiani; quia illud pertinet ad Idololatriam. Docet etiam D. Thomas, quod Christianus jurans per falsos Deos, quos existimat falsos, licet non peccet peccato perjurii non adimplendo juramentum, quod nullum est, peccat tamen contra justitiam decipiendo proximum.

19. Reus & Testis ad fugiendam vexationem in tribunalibus, possuntne licite falsum jurare?

Resp.

Resp. Nunquam licet ex quacunque causa neque mentiri, neque falsum jurare: & tales jurantes sunt vere perjuri, & sacrilegi.

20. Poteftne saltem adhiberi æquivocatio, puta dicendo se non commisisse crimen, ut tibi dicendum, ut a te puniendum, & similibus modis?

Resp. In his casibus sentiebant Doctores licere, cum vel Judex non est competens, vel delictum est occultum: nam de occultis nullus hominum habet auctoritatem; vel quando quis occidit ad defensionem sui, vel furando usus est compensatione licita & justa; hæc enim non habent rationem delicti. Idem docet Bannes de gladio reperto prope occisum, quod potest innocens jurare non esse suum, scilicet ad finem occidendi. Alias nec errat sententia improbabilis, quod propter solam spem evadendi mortem posset quis, etiam interrogatus a Judice juridice, uti æquivocatione, eo quia vel esset solum semiplena probatio, vel indicia essent tantum sufficientia ad torturam, per quam reus satis evacuat omne crimen. Verum hæc sententia damnata fuit ab INNOCENTIO XI. qui revera damnat omnia juramenta facta cum amphibologiis, & æquivocationibus; hinc tutius est respondere, nunquam licitum esse uti æquivocatione in judicio.

21. Quidnam facere debet ille, qui degens in carcere, ob dolorem torturæ sibi imposuit falsum crimen?

Resp. Si sit spes evadendi mortem, aut infamiam ex impositione hujus criminis sibi provenientem, tenetur retractare se ipsum, quia cum non sit dominus propriæ vitæ, & honoris, nequit sibi apponere causam mortis. Si autem nulla sit spes, ad nihil tenebitur, nisi ad patienter tolerandam mortem propter alia gravia peccata a se commissa.

22. Adverte cum Molfesio, quod Confessarius cum reis, vel testibus detentis in carceribus, non debet esse nimis curiosus ad sciendum, si velint, vel nolint deponere veritatem, dum juridice interrogantur, quia exponit illos periculo proponendi pejerare; sed sufficit disponere pœnitentem, ut in genere

nere

nere proponat abstinere se ab omni lethali; quod satis est ad hoc ut in præsenti dispositus sit ad obtinendam absolutionem; immo si pœnitens diceret ei, se nolle fateri veritatem, quamvis sciat se esse convictum, posset Confessarius disponere illum, ut in futurum proponat cavere omnia lethalia, & quod circa responsionem Judici dandam Deus dabit illi gratiam, ne eum offendat. Si autem nec ad hoc generale propositum posset induci, nullo modo deberet absolvi.

23. Amicus, qui sub sigillo secreti jurati scit aliquod crimen, teneturne juridice interrogatus illud aperire?

Resp. Si e revelatione secreti imminet majus bonum, vel cavetur malum publicum, tunc juramentum non tenet, quia, ut diximus, juramentum nequit unquam impedire majus bonum, & in omni promissione etiam jurata intelligitur semper exceptum jus Superioris. In his casibus docebat olim communis sententia cum Molfesio, posse hunc æquivoce coram Judice respondere, se nescire crimen, intelligendo in mente, ita ut tibi dicam; hoc tamen nunc non concordat cum Sententia damnata ab INNOCENTIO XI.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem secundam reducendæ.

AB INNOCENTIO XI. 24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo furandi sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea qua fecit, vel quodcunque aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

17. Cau-

17. Causa justa utendi his amphibologiis est; quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

18. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

SECTIO II.

De Adjuratione.

1. QUid est Adjuratio?

Resp. Est actus, quo inducitur persona ad faciendum aliquid, vel omittendum invocatione Dei, vel alicujus rei sacræ: quod potest fieri duobus modis, petendo scilicet, & deprecando, vel imperando, & cogendo. Adjuratio debitis modis facta est actus Religionis, qua utuntur Exorcistæ ad expellendos Dæmones ab energumenis, vel ab aliquo loco.

2. Quinam sunt modi debiti adjurationis?

Resp. Sunt tres, scilicet Veritas, Judicium, & Justitia, sicuti in juramento. Veritas est, qua quis adjurat per Deum verum, vel per Sanctos, aut res, & mysteria vere sacra. Unde si quis adjuraret per falsos Deos, peccaret contra Religionem peccato reducibili ad Idololatriam: Secundo, veritas etiam consistit in hoc, ut quis petat animo obtinendi, & adducat motivum verum; unde si quis propter fictam paupertatem peteret eleemosynam per Deum, & vulnera Christi, vel per Sanctos, peccaret contra Religionem; ex hoc tamen defectu peccatum non est lethale, nisi forte adsit contemptus. Judicium in adjuratione est, quod petatur cum debita reverentia, necessitate, & utilitate. Ex hoc defectu, peccatum in adjuratione esset tantum veniale. Justitia con-

consistit in eo, quod res quæ petitur non sit injusta, & peccaminosa; hinc juxta malitiam rei, malitia adjurationis erit quoque venialis, vel lethalis, unde si quis per Deum peteret a fœmina consensum in adulterio, peccaret lethaliter etiam contra Religionem.

3. Quasnam personas possumus adjurare?

Resp. Directe omnes Creaturæ rationales operis boni faciendi capaces ob amorem Dei adjurari possunt; item potest adjurari Deus per se ipsum, vel per Sanctos, tanquam personas sibi gratas. Possunt adjurari Beata Virgo, & Sancti omnes per omnes Beatos, non autem per creaturas inferiores. Imperative & coactive possunt adjurari Dæmones: Hoc etiam modo potest superior adjurare Subditos per Deum; hæc tamen adjuratio non haberet vim obligandi distinctam a præcepto Superioris. Indirecte possunt adjurari creaturæ irrationales, & animalia nociva, quatenus scilicet mittuntur a Deo in pœnam peccati, vel a Dæmone ob invidiam: & sic respective ad Deum adjuratio erit deprecatoria, relate ad Dæmonem imperativa. Possunt etiam ab habente virtutem miraculorum adjurari immediate, sicuti fecit Christus, qui imperavit ventis, & mari.

4. Exorcista adjurans Dæmones existentes in obsessis, potestne ab ipsis petere aliquid curiosum, & vanum?

Resp. Negative: sic enim haberet commercium cum inimico communi, quod pertinet ad superstitionem; unde nisi excuset parvitas materiæ, peccaret mortaliter.

SECTIO III.

De Voto.

1. QUid est Votum?

Resp. Est promissio facta Deo de meliori bono. Unde duas habet conditiones; unam ex parte voventis, quod sit voluntaria, & libera, sicuti debent esse omnes promissiones: alteram ex parte materiæ voti,

voti, quod sit aliquid melius. Hinc remanet solutum dubium, rem scilicet indifferentem, ut indifferentem non posse cadere sub voto, nisi subsit conditioni, quæ eam reddat meliorem. Votum duplex est, aliud solemne, aliud simplex. Primum est, quod fit per professionem Religiosam, vel per receptionem Subdiaconatus. Secundum, quod fit sine dictis solemnitatibus, spontanea voluntate privatim, vel in aliis circumstantiis. Differunt prædicta vota, quod prima sunt solum circa castitatem, paupertatem, & obedientiam: secunda vagantur per omnem materiam bonam. Prima etiam sunt indispensabilia, & possunt tantum declarari in aliquibus circumstantiis non tenere. Secunda vero possunt dispensari.

2. Quænam personæ possunt vovere?

Resp. Omnes personæ, quæ a jure non prohibentur. Est autem a jure prohibitum votum amentibus, furiosis, ebriis, quamdiu durat ebrietas, pueris ante usum rationis; si autem pueri sint rationis compotes, possunt vovere ea, quæ pertinent ad proprias personas, puta jejunare, audire sacrum, dicere Coronam, ingredi Religionem; at si puer esset minor annorum quatuordecim, & puella duodecim, possent eorum parentes, vel tutores, sub quorum potestate vivunt, hujusmodi vota irritare. Quoad professionem autem solemnem, nullus ejus est capax, nisi habeat decimum sextum annum completum, & integrum annum probationis in dicta Religione compleverit. Hinc minores dicta ætate ab emissa professione nullam contrahunt obligationem, neque vota solemnia transeunt in vota simplicia, quia Ecclesia annihilat hujusmodi vota, ac si facta non fuissent.

3. Filii familias egressi a pubertate, sed minores annorum vigintiquinque, dum manent sub patria potestate, nequeunt emittere vota realia, scilicet dandi rem, vel distribuendi peculium in aliquo opere pio, quia omnia ipsorum sunt parentum, nisi forte aliqua bona castrensia possiderent; circa hæc enim cum sint veri domini, possunt de iis disponere independenter a patre, & sic de consequenti etiam vovere. Neque

etiam

etiam poſſunt emittere perſonalia vota, quorum obſervantia impediret eos, ne poſſent vacare ſervitio parentum, ut eſſent vota jejunandi, vel peregrinandi in artiſtis. Et ſic de aliis arbitrio Confeſſarii, qui re cognita debet ea commutare in opera pia poſſibilia cum proprio ſtatu.

4. Poteſtne Religioſus emittere aliqua vota perſonalia, vel pœnalia?

Reſp. Religioſus circa ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, inconſulto Superiore poteſt vovere, puta ad impletionem alicujus præcepti, vel Regulæ ſuæ Religionis; & hoc etiam valet de filiisfamilias, de conjugibus, de ſervis independenter ab iis, quibus ſubſunt. Cum enim ſint jam obligati ad obſervantiam præceptorum a lege, poſſunt hanc obligationem etiam gravare voto.

Reſp. 2. Religioſus poteſt etiam facere votum de conducentibus ad majorem perfectionem, dummodo hæc non ſint contra Sacros Canones, nec impediant regularem obſervantiam; ut ſunt recitare Coronam, audire plures Miſſas: hæc ſtatim obligant, donec Superior diſpenſet, & irritet. Si autem eſſet votum ingrediendi Religionem Camaldulenſium, hoc teneret etiam contradicente Superiore, quia in hoc non eſt ſubditus ſuo Prælato, ſed ſolum tenetur benedictionem humiliter petere.

5. Quid ſi Religioſus voveat aliquam majorem perfectionem, quæ tamen ſit contra ejus regulam, puta ſi quis voveret integram abſtinentiam a carnibus, aut nuditatem pedum?

Reſp. Non peccaret, quia ex una parte, materia hujus voti eſt aliquid melius, & ex alia ſubintelligitur ſemper tacita conditio, ſi Superior concedat. Debet ergo ſubditus petere licentiam a Superiore, ut poſſit adimplere promiſſionem Deo factam, quia poſt emiſſionem voti tenetur quilibet facere quantum in ſe eſt, ut reddat quod vovit: ſi autem licentiam non peteret, partem ſuam non adimpleret. Tutior etiam ſententia eſt, ut non ſolum debeat petere licentiam voti circa materiam, puta pedum nuditatem;

tem; sed etiam manifestare votum factum; ut facilius eandem licentiam obtineat. Quam obligationem tamen manifestationis voti ex pluribus aliis Auctoribus apud Navarrum non habet, maxime si implicite constet Superiori de voto.

6. Potestne Religiosus vovere se daturum pauperibus aliquid proprii cibi ad hunc effectum studiose relicti?

Resp. Negative, quia etiam illud, quod parce vivendo acquirit, Monasterio acquirit; hinc nequit de eo disponere, sed requiritur saltem tacita Superioris licentia: quod etiam procedit de vestibus, & aliis datis ad usum.

7. Potestne Maritus vovere castitatem?

Resp. Quantum in se est, potest hoc votum facere; tenetur tamen reddere debitum, & non potest petere sine peccato. Possunt etiam uxorati facere vota personalia, quæ non impediant bonum Matrimonii, puta recitandi Coronam, vel quid simile; non autem peregrinationes, vel jejunia valde debilitantia, nisi de consensu alterius conjugis.

8. Potestne debitor in damnum creditoris fieri Religiosus, & vovere?

Resp. De jure antiquo poterat hoc fieri: sicuti enim quis cedendo propriis bonis cum infamia, ita liberatur a creditoribus, ut non possit molestari quoad ea, quæ sunt ejus victui necessaria: multo magis ingrediendo Religionem gratia inserviendi Deo, maxime, ut notat Sanchez, si hic vir esset inhabilis ad acquirendum propria industria tantam pecuniam, qua satisfaceret creditoribus. Verum quia sub hoc Religionis prætextu oriebantur scandala, & damna in proximis: ideo Sixtus V. prohibuit, ne hujusmodi viri debitis onusti in Religionibus recipiantur. Quod etiam procedit de iis, qui tenentur aliis rationem reddere pro administratione, sive publica, sive privata. Adverte tamen, quod licet Sixtus V. voluerit in Bulla professionem debitorum omnino esse nullam, Clemens VIII. postea declaravit, professionem validam esse, & solum, quod debitores

pu-

puniantur pœnis dicta Bulla contentis. Nomine debitorum non veniunt hic illi, quorum bona in sæculo relicta sufficiunt ad debita extinguenda: Neque illi, pro quibus alius vellet satisfacere proprio ære: Neque illi qui sunt impotentes solvere donationes ex propria liberalitate factas, quia nullus potest sponte promittere plus quam possit erogare. Neque illi, qui pauca, & parvi momenti habent debita, quia in dicta Bulla habetur, *Ingenti ære alieno gravati*. Volunt nonnulli etiam hic non comprehendi debitores, qui non ex propria culpa, sed ex puro infortunio sunt tales: Item nomine Religionis non intelligi militias equitum, in quibus potest quis possidere, & acquirere bona pro satisfactione creditorum.

9. Filii habentes patrem egenum in sæculo, cui possunt propria industria succurrere, possuntne ingredi Religionem, & ibi vovere?

Resp. Negative: quia talia vota sunt contra naturalem obligationem succurrendi parentibus: valeret tamen dicta professio, & solum teneretur professus petere dispensationem a Summo Pontifice exeundi e claustris, ut consuleret vitæ, & honesto statui suorum parentum: quod est juxta stylum curiæ.

10. Vovens Religionem, si assumatur ad Episcopatum; teneturne amplius adimplere votum?

Resp. Nonnulli considerantes Episcopatum tanquam statum perfectiorem, existimarunt, assumptum ad Episcopatum ad nihil amplius teneri. Verum probabilior sententia est, hunc teneri dimittere Episcopatum, & Religionem ingredi, quia Episcopatus non est major perfectio ejusdem ordinis cum Religione, sed diversi. Hinc existens Episcopus nequit sine dispensatione Pontificis facere votum Religionis, aut longæ peregrinationis, aut alterius rei impedientis a cura Episcopali: & casu quod faceret, teneretur eorum petere relaxationem a Summo Pontifice.

11. Vovens aliquid, puta ingredi Religionem, quonam tempore tenetur adimplere?

Resp. Cajet. in votis factis sine determinata circumstantia temporis, putat ea fore adimplenda,

quando conscientia incipit remordere; sed ut notat Molfesius, regula hæc pro scrupulosis est nimis arcta, quia cito eos solicitat remorsus conscientiæ: & e contra salutis immemores, cum nunquam patiantur tales scrupulos, nunquam etiam tenerentur adimplere. Circa ergo tempus adimplendi votum, obligatio est cum primum illud potest commode adimpleri, juxta illud Deuteronomii: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Hinc docet D. Thom. Deum acceptare votum pro commoditate voventis, quando scilicet arbitrio viri prudentis illud commode adimplere potest. Non ergo quis tenebitur statim post decimum quintum annum completum, si tunc non sit habilis ad ferendos labores Religionis, vel litteras sufficienter non didicerit; debet tamen attente observare, ne dilatio sit causa, ut amplius votum non adimpleatur.

12. Si quis potest votum partim adimplere, partim non, teneturne adimplere secundum partem, quam potest?

Resp. Affirmative; quia impotentia, quæ excusat a voto, cum non afficiat totam materiam, sed aliquam partem relinquat adimplebilem, secundum illam quis tenetur. Sic vovens dare mille in eleemosynam, vel jejunare per mensem, si valeat tantum dare centum, vel jejunare per decem dies, tenetur præstare hæc opera: neque in hoc valet illa regula, quod major pars trahat ad se minorem.

13. Teneturne hæres adimplere vota Testatoris?

Resp. Si vota sunt personalia, puta servare castitatem, jejunare, vel quid simile afficiens personam, hæc non transeunt ad hæredes, sed pereunt, pereunte persona: neque tenetur hæc vota commutare in certam eleemosynam dandam, nisi forte sic legaverit Testator; tunc enim tenetur, non ex voto, sed ex dispositione Testatoris. Si autem vota sint realia, & non excedant vires hæreditatis, puta solvere centum in eleemosynam, ædificare Ecclesiam, & similia,

tunc

tunc hæredes tenentur cum proportione ad hæreditatem, vel totum, vel secundum partem adimplere, eo modo, quo tenentur solvere alia debita realia defunctorum.

14. Qui non adimplevit votum suum eo tempore, quo vovit, teneturne elapso eodem tempore adimplere?

Resp. Ille, qui peccavit non adimplendo, non tenetur tamen amplius adimplere, si principalius votum factum sit in honorem temporis determinati, ut jejunare die Sabbati in honorem B. Virginis: si autem tempus non sit motivum principale, tenetur: ut v. g. vovens facere eleemosynam in prima hebdomada mensis, præterlapsa illa hebdomada tenetur, cum conditio illa primæ hebdomadæ non sit motivum, sed potius aliqua præscriptio, qua violata non debet quis reportare commodum ex iniquitate, & absolvi ab onere eleemosynæ.

15. Si quis per metum voveat aliquid, teneturne illud adimplere?

Resp. Si metus fuit injuste incussus ad finem inducendi ad votum, non tenetur: ut si quis minetur alicui mortem, vel verbera, nisi voveat Religionem, non tenetur illam ingredi. Si autem metus non fuerit causa, quæ habeat pro fine votum, sed solum fuerit occasio repræsentans homini periculum vitandum, tunc tenetur, quia ex hoc metu quis libere vovit, eligens votum tanquam medium proprium ad evitandum periculum: & hic valet illa regula theologica: Quæ fiunt ex metu, sunt simpliciter voluntaria, & secundum quid tantum involuntaria.

16. Poteftne obligatio voti cessare in aliqua circumstantia?

Resp. In pluribus cessat, & præcipue in quinque circumstantiis; primo, interpretatione, seu epicheja; secundo, ex causa rationabili; tertio, irritatione, quando Superior irritat vota subditorum; quarto, dispensatione, seu absolutione, quando Prælatus dispensat a voto; quinto, commutatione. Hinc per justam interpretationem, & causam legitimam votum

cessat ex natura rei, quæ non obligat in dicta circumstantia. Sic vovens jejunare in diebus Veneris, per interpretationem non intelligitur, in die Nativitatis ab Ecclesia dispensari etiam quoad carnes, ratione maximæ solemnitatis: Neque intelligitur quando est infirmus, vel labore incompossibili cum voto gravatus, & hoc ex justa causa. Per alios modos votum cessat ex voluntate Superiorum, vel irritantium, vel declarantium, vel commutantium.

17. Adverte solum, in dispensationibus, vel commutationibus votorum debere esse justam causam, vel ex parte materiæ voti, quia in hac facile quis peccare posset, ut esset in muliere votum nunquam petendi debitum: vel ex parte voventis, ut si votum esset illis nimis molestum, ut indiscreta recitatio plurium orationum; vel ex parte boni publici, ut si quis Princeps vovisset castitatem, quæ non expedit proprio statui ratione imminentium bellorum ex defectu suæ prolis. Cum causa, commutare votum in aliquod majus, vel æquivalens, potest quilibet Confessarius: in aliquod minus, non.

18. Si quis voveat sine intentione adimplendi, tenetne votum?

Resp. Negative; sed peccat mortaliter; sicuti si voveat aliquid impossibile, quod cognoscat esse tale; sicuti etiam si voveat rem bonam propter malum finem, puta visitare Ecclesiam alicujus Sancti ad impetrandam mortem inimici, peccat mortaliter; & si voveat propter finem solum venialiter malum, peccat venialiter.

19. Si quis dubitet se vovisse, teneturne ad votum?

Resp. Possessio stat pro libertate, & votum non tenet; E contra si sciat se vovisse, & dubitet num adimpleverit, possessio stat pro voto, & tenetur adimplere. Item si sciat se vovisse, & dubitet de materia voti, scilicet, an voverit recitare Rosarium, vel Coronam; tutior pars est eligenda, tenetur recitare Rosarium.

20. Quomodo quis se gerere debet in commutatione votorum?

Resp.

Resp. Debet considerare tria, qualitatem voti; qualitatem personæ, & qualitatem finis, propter quem factum est votum. Si enim votum sit circa materiam asperam, & difficilem, debet in alio genere seligere etiam materiam gravem, puta quis vovit longam peregrinationem, quam adimplere illi valde molestum est; commutet ergo in frequentem visitationem Ecclesiæ cum eleemosyna pro rata sumptuum, quos in peregrinatione fecisset: Debet quis attendere qualitatem voventis; sic pauperibus facile commutanda sunt vota eleemosynæ, debilibus vota jejuniorum, & peregrinationum, in alia opera faciliora proportionata statui, & complexioni. Insuper attendatur finis, qui semper (quantum fieri potest) debet retineri, vel commutari in aliquod magis conducens ad perfectionem, ut voventi non ludere propter evitanda perjuria, debet, si difficile nimis illi sit, abstinere a ludo: commutari votum in aliquod refrænans a perjurio, puta ut accessurus ad ludum invocet corde nomen Jesu, breviter orans, petens gratiam non blasphemandi, & subeat pœnam eleemosynæ, vel jejunii, si perjuret, vel blasphemet. Si finis sit devotio alicujus Sancti, debet commutari in visitationem, vel ornatum Altaris ejusdem Sancti, servata consideratione qualitatis voti, & personæ, secundum rectum prudentiæ ordinem, quem commutans debet attendere.

21. Debetne commutari votum non committendi aliquod peccatum, puta non fornicandi?

Resp. Si votum est frænum removens a peccato, non debet commutari, ne liberius facultas peccandi pœnitenti detur. Si autem ob fragilitatem voventis esset occasio gratificandi offensam, & transferendi illam a simplici peccato ad sacrilegium, tunc volunt Auctores, quod sufficeret commutare votum non fornicandi, puta, in recitationem Coronæ singulis mensibus per triennium. Mihi videtur melius commutare votum absolutum in pœnale, puta jejunandi bis, vel semel in pane, & aqua, casu quo quis fornicationem committat: hoc enim esset majus frænum pœnitenti.

22. Estne servanda aliqua forma in commutatione, vel dispensatione votorum?

Resp. Si hujusmodi commutationes fiant a Summo Pontifice, vel Prælatis habentibus auctoritatem ordinariam commutandi vota, possunt pro libito fieri intra, vel extra Confessionem quibuscunque verbis exprimentibus commutationem, vel dispensationem: Si autem tantum a Confessario privilegiato, debet semper esse in Confessione.

23 Dividitur votum in reale, quod pertinet ad rem aliam a persona, ut dare eleemosynam, ædificare Ecclesiam; & personale, quod afficit personam voventis, & debet adimpleri per ipsam, ut recitare Officium, jejunare, & similia. Dividitur in absolutum, conditionale, & pœnale: Absolutum est, quod fit amore virtutis: ut si quis voveat castitatem, quam scit Deo placere. Conditionale est, quod fit sub aliqua conditione, qua solum posita, votum ligat voventem; ut Voveo castitatem, si Deus liberabit me ab hoc periculo. Pœnale est, quod fit in pœnam alicujus actionis, v. g. si juravero, si lusero, voveo me daturum eleemosynam. Probabile est, vota conditionalia, & Pœnalia non esse Summo Pontifici reservata, etiamsi sint Castitatis, & Religionis.

SECTIO IV.

De Mendatio.

1. QUid est Mendacium?

Resp. Est verbum prolatum cum intentione fallendi, & decipiendi proximum, qui existimat verum id, quod dicitur. Hinc malitia peccati consistit in illa injustitia, qua quis intendit, & vult proximum decipere. Quare si quis dicat rem falsam, existimando esse veram, non mentitur; e contra, si quis dicat veritatem, credendo rem esse falsam, cum intentione decipiendi, mentitur. Dicere aliquid falsum sine intentione decipiendi in circumstantia tali, in qua prudens auditor possit concipere

rem

rem aliter se habere, non peccat. Neque apud Layman citantem D. Augustinum peccant mulieres, quæ dicunt infantibus lugentibus lupum esse foris, vel quid simile, quia intendunt primario juvare, non vero decipere.

2. Quot sunt species mendacii?

Resp. Tres, scilicet mendacium jocosum, & ludicrum; quod habet pro motivo delectationem, & hoc non excedit malitiam peccati venialis. Officiosum, quod habet pro motivo aliquam utilitatem; & ad hanc speciem spectant mendacia aulicorum, servorum, & filiorum simulantium magnum affectum, & æstimationem erga dominos, & parentes. Tertium est perniciosum, quod habet pro fine damnum proximi, vel spirituale, vel temporale. Hoc mendacium juxta malum, quod proximo inferre intendit, recipit etiam gravitatem; sic ex gravi damno mortale, ex levi veniale.

3. Teneturne quis dicere veritatem?

Resp. Affirmative: termini tamen ad illam dicendam possunt esse varii, & alii clare exprimentes sensum verum, alii autem æquivoce, qui habent duplicem sensum, unum occultum, & verum, alterum manifestum, & falsum.

4. Estne licitum uti hujusmodi æquivocis?

Resp. In debitis circumstantiis possumus illis quandoque, sobrie tamen, & prudenter uti, scilicet quando interrogatur de re aliqua, quam quis non est obligatus manifestare, neque potest aperire sine suo, vel alterius damno, tunc licitum est æquivocare; & hujusmodi æquivocis usi sunt Sancti veteris, & novi testamenti. Extra necessitatem non debet quis uti hujusmodi æquivocis, secus duplicitate sua perturbaret modum vivendi humanum.

CAPUT III.

De tertio Præcepto: Sabbata sanctifices.

1. QUid est sanctificare Sabbata?

Resp. Est præbere Deo certis diebus ab Ecclesia destinatis exteriorem cultum, abstinendo se ab operibus servilibus, & exercendo se in operibus sanctis. Hinc præceptum duplicem affert obligationem, unam positivam ponendi certa opera servilia. Hoc præceptum est mixtum Jure Divino positivo, quo Deus præcipit in Decalogo, & pluribus locis Scripturæ, sanctificationem solemnitatum, quas sibi reservavit: & Ecclesiastico, quo postea declaravit Ecclesia singulas Dominicas, & solemnitates B. Virginis, & Apostolorum, & nonnullorum Mysteriorum nostram præcipue fidem commemorantes, sanctificandas esse. Hinc pro toto Orbe solus Pontifex, vel Concilium Oecumenicum: pro Diœcesibus particularibus Episcopi habentes auctoritatem spiritualem possunt festa statuere: Principes vero sæculares possunt solum inhibere laicis opera servilia, & judicia fori sub pœnis corporalibus, non vero obligantibus in conscientia.

2. Quid est opus servile?

Resp. Illud, quod ordinarie fit per servos, & opifices, licet etiam aliquando fiat per dominos. Hujus præcipue duo sunt signa; primum, quod fiat per corpus tanquam per instrumentum ei consentaneum: secundum, quod tendat ad utilitatem corporis; non ponitur tamen sub opere servili scribere, etiam si hoc fiat intentione lucri: alia etiam opera, quæ fiunt ad se divertendum, ut piscari, venari, digladiari, nam istæ actiones non fiunt potius per servos, quam per dominos, neque sunt ad commoditatem corporis per se.

3. Quandonam incipit obligatio diei festi, & quando desinit?

Resp.

Resp. A media nocte vigiliæ usque ad mediam noctem alterius diei; sic enim moraliter constituitur una dies spatio vigintiquatuor horarum.

4. Si quis die festo laboret per horam in operibus servilibus, & mechanicis, peccatne mortaliter?

Resp. Per Bonacinam integra hora est materia gravis constituens peccatum mortale: per Suarez vero requiruntur saltem duæ horæ.

5. Laborare per notabile tempus parvis, & diversis vicibus interpolatis in die festo, estne peccatum mortale?

Resp. Sanchez affirmat, quia festum consideratur totum per modum unius: unde discontinuatio illa brevis non facit, quin gravis injuria irrogetur toti diei. Immo Toletus tenet, quod in diversis diebus festis laborans parvo tempore, in quolibet committat peccatum mortale, eo quia irreverentia commissa per tale opus mechanicum in die festo, continuanda est moraliter cum irreverentiis dierum solemnium subsequentium; probabilius tamen negatur ab aliis Auctoribus; quia obligatio afficit singulas solemnitates secundum se, non ut conjunctas cum cæteris.

6. Suntne prohibita etiam opera artium liberalium?

Resp. Negative, dummodo earum professores Missam audiant. Hinc scribere, & transcribere, ut faciunt Notarii, informare Judices, & Lectiones publicas facere, etiam cum stipendio, non est peccatum mortale; non enim opus prohibetur ratione mercedis, sed ratione sui: secus, quis posset sine mercede fodere, & arare; quod est falsum.

7. Poteftne pictor die festo pingere?

Resp. Certum est, pictorem posse tangere picturam jam incœptam, si esset periculum, quod pictura sic relicta per plures dies festos reciperet notabile damnum. In casu tamen, quo nullum damnum ei immineret, Lopez cum nonnullis tenet pictorem posse sine scrupulo pingere, quia pictura est ars liberalis, cujus opus non est magis servile, quam scribere, cum consistat etiam ipsa in lineamentis, & figuris, quæ manu deducuntur, & diriguntur mente.

Verum hanc sententiam putat tantum probabilem Molfesius, si sermo sit de designatione, quæ magis consistit in opere mentis, quam manus; secus, ne nimia tribuatur licentia hujusmodi viris violandi ad libitum dies festos ex desiderio lucri, & affectu avaritiæ, tenet Reginaldus probabilius esse picturam non esse opus licitum; quia hæc ars communiter reputatur mechanica, & sufficit judicium commune ad interpretandam obligationem præcepti.

8. Estne diebus festis prohibitum judicium publicum, seu strepitus fori?

Resp. Omne judicium, sive civile, seu criminale, prohibitum est, nec licet iis diebus judicem sedere, & definire. Excusatur tamen in judicio civili, si sederet causa pietatis ad providenda alimenta pupillis, & viduis, vel causa necessitatis, si esset timor fugæ alicujus debitoris, in criminali etiam potest judicium ferri ratione temporis, ut tempore belli in Civitate obsessa. Ratione magnæ urgentiæ licet judicum criminale ferri, & exequi: vel in casu necessitatis, si timeatur de fuga delinquentis: vel quia, si justitia differatur, sit periculum alcujus impedimenti. Est etiam prohibitum juramentum, non solum judiciale, sed etiam extrajudiciale; & ideo usus obtinuit, ut diebus festis non fiant contractus, qui solent juramento firmari. Potest tamen dari juramentum causa pacis tuendæ, vel occasione pietatis, vel necessitatis, ut supra. Hinc ob subitam lucri occasionem, quæ cessaret si differretur ad tempus feriale, licet facere contractum civilem sine violatione festi. Ita Hilarius citans Cajetanum.

9. Potestne quis iter aggredi in die festo?

Resp. Iter facere de se non opus servile, sive equestre sit, sive pedestre: tenetur tamen iter agens, dum discedit a loco, ubi servatur solemnitas, Missam audire. Nautæ etiam, & muliones cum rhedis, vel equis oneratis, post auditam Missam possunt iter habere. Item si reperiantur in itinere, non tenentur hærere loco, ubi sit aliqua particularis fe-

stivi-

ftivitas, ut ibi Missam audiant: & quoad nautas, si sine gravi detrimento possunt die Dominica aggredi littus, in quo audiant Missam, tenentur illuc appetere: secus autem, si hoc foret illis valde incommodum, quia Ecclesia non obligat cum magno detrimento.

10. Possuntne diebus festis alii artifices mechanici opus servile facere?

Resp. Illi, qui necessarii sunt ad sustentationem vitæ, vel corporis, possunt opera propriarum artium exercere: sic Coqui, Macellarii, Pistores, Molendinarii, Tabernarii, venditores herbarum, & fructuum: Quoad Molendinarios, subintelligi debet, quando tantam farinam præparant, quæ est necessaria ad commodam sustentationem loci. Idem dicendum de operibus necessariis pro salute; & ideo excusantur Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, & Aromatarii. Milites etiam in bello defensivo possunt eorum opera exercere. Quoad offensivum, res est valde dubia, & sunt hinc inde sententiæ.

11. Poteftne quis consulto egredi a sua Parochia, vel loco, ubi celebratur dies festus, & transire ad alium, ubi non celebratur, ex intentione fugiendi solemnitatem?

Resp. Affirmative; quia nullum extat præceptum in contrarium; & egrediens potius fugit obligationem, quam frangat. Adverte tamen, quod si egrediatur mane solemnitatis, tenebitur prius Missam audire, quia audire Missam est præceptum affirmativum, obligans pro primo tempore, cum prævidet se postea audire non posse.

12. Quisnam poteft dies festos dispensare?

Resp. In tota Ecclesia Summus Pontifex sicuti poteft veteres abrogare, ita novos dies festos instituere, hoc enim præceptum quoad temporum determinationem dependet totaliter ab ejus auctoritate: quoad solemnitates autem particulares propriarum Ecclesiarum, singuli Episcopi habent eandem auctoritatem dispensandi.

13. Poteftne ex necessitate Prælatus in sua Diœ-

cefi dispensare solemnitatem communem totius Ecclesiæ?

Resp. Si necessitas sit præsentanea, ut evenire solet tempore seminationis, collectionis frugum, & vindemiæ ratione detrimenti imminentis ex dilatione, dispensare potest. Hoc idem facere possunt Parochi foreuses, quando non est facilis accessus ad Prælatum. Pro necessitate autem futura hoc facere non valet, sed absolute recurrendum est ad Summum Pontificem. Si autem nulla, vel levis, vel ficta sit necessitas, unc casu quo dispenset, dispensatio non valet, quia inferior non habet auctoritatem dispensandi in lege superioris, nisi ex gravissima causa, in qua impossibilis est recursus ad ipsum.

14. Episcopus dispensans abstinentiam ab omni opere servili in die festo ex aliqua causa, debetne commutare in aliud opus bonum?

Resp. Affirmative, quia quoties dispensatur ab aliqua lege secum onus ferente, debet imponi proportionaliter aliud onus; sic in dispensatione festorum solet imponi pro onere largitio alicujus eleemosynæ locis piis.

15. Circa secundam obligationem audiendi Missam diebus festis, tenetur quilibet habens usum rationis ita assistere Sacrificio, ut censeatur illi moraliter præsens, etiamsi non audiat vocem Sacerdotis, neque illum videat. Debet etiam esse præsens toti Sacrificio. Potest tamen sine mortali aliquam partem omittere, vel usque ad Epistolam exclusive, vel post consumptum Sacramentum, non tamen potest relinquere utramque partem. Coninch. tenet posse partem unius Sacri conjungi cum parte alterius Sacri, atque sic cointegrari una auditio Missæ.

15. Si quis devotionis causa audiret unum Sacrum cum animo adimplendi præcepto per aliud, potest postea mutare voluntatem, & satisfacere præcepto per prius auditum, si tamen ipse putet se non satisfecisse, tunc peccabit ex conscientia erronea. Hinc requiritur intentio, & attentio talis, qua quis voluntarie non distrahatur ad cogitandum alia,

alia; quæ pia non sunt. Confabulationes per majorem partem Missæ impediunt satisfactionem præcepti. Discedens ab uno loco die festo putans probabiliter se posse audire Missam in loco vicino, si amplius ibi non adsit Missa, non peccat. Habens subditos, puta filios, vel servos, tenetur dare illis commoditatem audiendi Sacrum. Excusatur ab auditione Sacri impotens physice adire Ecclesiam; puta si est ægrotus; si clausus domi, vel impotens moraliter; quando scilicet necessitas, vel charitas, vel justitia eum detinet domi, vel si est excommunicatus, aut interdictus.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 52. Præceptum servandi festum non obligat sub mortali seposito scandalo si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

CAPUT IV.

De quarto Præcepto: Honora Parentes.

Sectio I. *De obligatione Patris ad filios, & fratrum ad invicem.*

Sectio II. *De obligatione servorum ad dominos, & inferiorum ad superiores.*

PRæceptum honorandi Parentes merito ponitur tanquam primum secundæ Tabulæ mandatum, quia post Deum, nullus est nobis magis conjunctus illo, qui dat nobis esse; eique majorem præ omnibus obligationem habemus. Hoc præceptum im-

importat explicite debitum filiorum erga Parentes; & e contra; implicite autem importat obligationes, quæ intercedunt inter quemlibet superiorem, & inferiorem: sic hoc præceptum nomine Parentum importat etiam Magistros, Patres spirituales, Principes, Senes, Dominos. Non est tamen æqualis erga omnes obligatio, sed aliquibus est debita reverentia tantum, aliis vero reverentia, obedientia, & alimenta congrua eorum statui, si indigeant, nec aliunde ea possint commode habere.

SECTIO I.

De mutua obligatione Patrum ad filios, & fratrum ad invicem.

1. Contra quam virtutem peccat filius non honorando Parentes?

Resp. Contra pietatem, & justitiam; & hoc peccatum, nedum est contra Jus Divinum, & Ecclesiasticum, sed etiam contra jus naturale, quod subordinat filios parentibus. Hinc non sufficit in Confessione dicere: Gravi injuria affeci hominem; sed explicari debet circumstantia Patris, quæ immutat speciem peccati.

2. Estne semper peccatum mortale non obedire Parenti?

Resp. Si materia gravis sit, licet domestica, vel ex inobedientia contristentur valde Parentes, filii voluntarie inobedientes peccant mortaliter. Si autem sit levis, & rationabiliter inde non sequatur gravis tristitia in parentibus, peccant tantum venialiter. Hinc ducere uxorem indignam contra voluntatem parentum est peccatum mortale. Similiter nolle ducere dignam, quam parentes offerunt propter magnum emolumentum, quod ex tali matrimonio orietur; posito tamen quod filius non habeat voluntatem servandi castitatem. Multo magis mortale erit injuria eos afficere, percutere, odio habere, & demum quidquid dehonorativum, vel læsivum est al-

terius

terius personæ, si Parentibus irrogetur, semper magis gravificabit offensam.

3. Ad quænam extenditur hoc debitum filiorum erga Parentes?

Resp. Præcipue ad quatuor: ad amorem, reverentiam, obedientiam, & auxilium. Amor debet esse non tantum internus, quo illis nullum malum optet; sic filius sine lethali nequit desiderare mortem Patris, ut in illius hæreditate succedat; sed etiam debet esse externus per signa benevolentiæ; hinc aspicere parentes torve, & oblique, ipsis dure loqui, eis illudere os distorquendo, ex Sylvestrina est lethale, nisi forte hæc faceret in impetu iræ, vel pro parvo tempore; tunc enim ratione levitatis materiæ, vel imperfecta deliberatione, non esset nisi veniale.

4. Filia, quam parentes diu differunt nuptui tradere, peccatne mortaliter, si sine licentia parentum nubat?

Resp. Si sit emancipata, scilicet annum vigesimum quintum compleverit, ex hac sola inobedientia nubendi non peccat mortaliter; nam si ducat indignum, vel ex tali matrimonio grave damnum afferat Patri, cum possit æque bene ducere dignum, & sine detrimento, etiam peccabit mortaliter; cæterum licet filia ante dictum annum ducens virum sine licentia Patris possit exhæredari, non tamen si ducat post dictum annum, aut quod pejus est, si cum dedecore familiæ se ipsam prostituat, quia in foro exteriori infortunium filiæ tribuitur patri, qui congruo tempore ei non consuluit de bono aliquo marito.

5. In aliquo casu possuntne filii facere contra voluntatem Patris graviter præcipientis?

Resp. Præcipue in duobus; primo cum aliquid præciperet contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ; secundo cum conaretur impedire electionem status perfectionis, scilicet Religionis; in istis enim duobus casibus intelligitur illud Evangelii; *Qui non odit Patrem suum, & Matrem suam, non potest meus esse discipulus.*

6. Patre, & Matre indigentibus, quinam debet a filio præferri in alimentorum subministratione?

Resp. Quæstio est de filio, qui possit uni tantum sub-

subvenire ; si enim pariter possit ambobus ; certum est, utrumque parentem ab eo fore alendum. Aliqui ergo volunt, relicta Matre teneri ad subveniendum Patri, quia hic cum vere det esse filio, habet jus ad recipienda alimenta præ omnibus aliis. Molfesius vult, quod relicto Patre teneatur succurrere Matri ratione sexus infirmioris ; qui mendicando, gravioribus incommodis & periculis subest. Potest ergo sustineri, quod circa obedientiam, filius debet præferre Matri Patrem, utpote prudentiorem ; circa sustentationem filius debet præferre Patri Matrem, utpote infirmiorem.

7. Debetne filius succurrere prius Patri, & Matri, an propriæ uxori, & filiis?

Resp. Speculative potest utraque pars sustineri ; cum non definit hinc inde Auctores, & rationes. Verum cum in foro judiciali prius quis alligetur ad alendam uxorem, & filios, quam parentes : ideo hæc pars videtur etiam tutior.

8. Filius teneturne sibi victum coarctare, ut parentes indigentes sustentet?

Resp. Si victus sit tenuis, non tenetur : prius enim quis est debitor sibi, quam aliis : si autem sit in eo aliqua superabundantia, saltem ex charitate si non ex justitia, tenetur aliquid sibi subtrahere, quo valeat Parentes nutrire, si sit superfluitas, omnino tenetur. Quæ dicta sunt hucusque de filiis, procedunt tam de naturalibus, quam de adoptivis, quam de spuriis, quia omnes sunt filii, & ad omnes transeunt supradictæ obligationes, cum hac differentia, quod in spuriis cum Mater sit Patre certior, debet in omnibus, posita paritate circumstantiarum, Patri præferri. Adverte etiam, quod sub nomine Parentum veniunt Avus, Abavus, Proavus, & sic omnes ascendentes usque ad stipitem inclusive ; sicuti nomine filiorum veniunt Nepotes, & Pronepotes, omnesque descendentes a stipite in infinitum, quibus omnibus in casu gravis necessitatis quis tenetur alimenta præstare cum prælatione ad invicem sanguine magis propinquorum.

9. Ad

9. Ad quid tenentur Parentes respectu suorum filiorum?

Resp. Præcipue ad duo, scilicet ad educationem bonam, & alimenta præstanda. Nomine educationis, nedum venit instruere eos Mysteriis nostræ Fidei, mittendo ad Catechismos, seu Doctrinam Christianam audiendam, & virtutibus Christianis imbuere; prohibendo ne vitiis, aut malis sociis adjungantur, verum etiam curare, ut virtutibus sæcularibus proprio statui convenientibus erudiatur. Hinc qui ex avaritia, vel ex ignavia filios sinerent sine virtutibus crescere, peccarent mortaliter. Graviter etiam peccarent dissipantes notabiliter bona propria filiis relinquenda, vel conviviis, vel ludis, vel inertia: non adhibendo saltem diligentiam mediam, ut ea custodiant.

10. Qualenam peccatum committunt Parentes, qui filios, vel filias compellunt ad ingrediendam Religionem?

Resp. Committunt peccatum mortale habens adnexam excommunicationem ex Concilio Tridentino, quam incurrunt, nedum injiciendo manus violentas in liberos, ut Religionem ingrediantur; verum etiam importunis precibus, increpationibus, signorum exhibitione, seu testimonio, per quæ significent Parentes se hujusmodi prolem nunquam amaturos, nisi in hac parte sibi complaceant; ita Bertau, qui citat etiam alios.

11. Peccantne mortaliter Parentes cogendo filios ad ineundum Matrimonium contra eorum voluntatem?

Resp. Affirmative, quia faciunt contra justitiam in re gravi; violant enim jus, quod habet unusquisque ad faciendum contractum proprii corporis. Non peccarent tamen impediendo, ut filii ducant uxorem proprio statui indecentem; sic enim conarentur avertere injuriam ipsis quoque communem, & alia mala, quæ ex istis Matrimoniis, ut plurimum eveniunt conjugatis.

12. Peccatne Parentes tenerius unum filium amando præ alio?

Resp. Si motivum hujus amoris sit major virtus, & ole-

& obedientia filii, nullo modo peccant, cum rationabiliter se gerant, magis amando, quod est magis amabile: si autem tenerius ament ex aliquo geniali motivo, ratione cujus notabilem differentiam faciant in victu, vestitu, & ornatu, quod sit causa rixarum, & odii inter fratres, non excusarem eos a peccato mortali; causant enim grave damnum illis, a quibus deberent pro viribus omne malum avertere. Si major amor sistat pure in interno, sine ulla notabili exteriori differentia, erit tantum peccatum veniale.

13. In juramento execratorio, in quo Pater grave malum filiis imprecatur, quotuplex peccatum committitur.

Resp. Si ex odio hoc faciat, & quidem deliberate, committit triplex peccatum, nempe contra justitiam, contra charitatem, & contra Religionem.

14. Quamnam obligationem habent fratres adinvicem?

Resp. Ultra debitum mutui amoris fraterni, tenentur etiam in gravi necessitate sibi succurrere, & alimenta ministrare. Hinc si quis propria industria posset consulere paupertati fratrum, aut sororum, nequit Religionem ingredi, quia fortius urget præceptum naturale succurrendi fratribus in gravi necessitate positis, quam consilium ingrediendi Religionem. Hoc etiam viget de Clericis Ecclesiastico Beneficio divitibus, quia Clericatus non minuit, sed auget charitatem.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consequutas.

SE-

SECTIO II.

De obligatione Servorum ad Dominos, & Inferiorum ad Superiores.

1. AD quid tenetur servus erga dominum?

Resp. Ad tria, scilicet ad honorem, quo reverentiam præstet ejus dictis, & factis; ad obedientiam, qua ejus mandatis, quæ contra Legem Dei non sint, aut præcepta Ecclesiæ, vel Reipublicæ, obtemperet; ad fidelitatem, qua ministret bona domini juxta ejus intentionem, nihil sibi retinendo, aut distribuendo aliis sine domini sui licentia. Hinc si disperdat aliquid parvi valoris, puta amphoram vini, frustum panis, parum telæ, vel fili ad resarciendas proprias vestes, peccat tantum venialiter: nec tenetur ad restitutionem, quia dominus est probabiliter potius invitus modi occulti, quo hæc parvi valoris sublata sunt, quam rei ablatæ. Quod si dominus sit stricti juris, & foret etiam male contentus de pretio rerum, tunc tenerentur servi illas restituere: tenentur etiam cum ablatio rerum vilium sit adeo frequens, ut constituat pretium, & damnum notabile, quod utique dominus invite patitur.

2. Si aliquid pereat domino ex incuria servi, teneturne hic ad restitutionem?

Resp. Si res illa sit sub speciali servorum cura, & si incuria, & negligentia, propter quam res periit, & sublata fuit, sit gravis, tunc tenentur servi ad restitutionem, quia peccant contra justitiam, omittendo debitam vigiliam, & curam; hinc ex fractione illius tenentur restituere. Si autem res, quæ periit, non sit speciali servorum curæ commissa, tunc cum peccent tantum contra charitatem, non tenentur restituere.

3. Ad quid tenentur domini respectu servorum?

Resp. Præcipue ad duo; ad justum salarium, & ad vitiorum correctionem. Hinc domini peccare possunt, si negligant culpabiliter procurare ipsis ea,

quæ

quæ ad salutem sunt necessaria, ut sunt Sacramenta in gravi morbo; ut catechizentur, & sciant ea, quæ credenda & servanda sunt a quolibet fideli, ut præcepta Ecclesiæ observent, jejunent, Missam audiant diebus festis; si non corrigant, cum audiunt eos blasphemare, vel sciunt esse adulteros, fornicatores, si eis imperent aliquid, quod sine culpa exequi nequit, ut v. g. percutiant proximum, aliquem inebrient, fœminam seducant; si verba contumeliosa contra eos proferant, & multo magis si graviter verberent, quia ad dominum tantum spectat correctio, & punitio spectat ad Magistratum; in his omnibus pro modo negligentiæ domini in servos erit & culpa, quandoque mortalis, & etiam aliquando venials.

4. Tenetur ne dominus dimittere servum deditum vitiis, puta blasphemiis, ebrietati, scortis?

Resp. Si dominus timeat pravo exemplo reliquos servos malis moribus imbuendos esse, vel si speret servum rediturum ad meliorem frugem, si dimittatur, in his casibus, facto prius experimento correctionis, tenetur dimittere, ut avertat malum a domo sua, & a proximo suo: cæterum si non immineat aliis conservis periculum imitationis pravæ, & ex dimissione nulla speretur emendatio, poterit retinere.

5. Potestne servus, cui præcipitur, ut dominum ad ædes mulieris malæ comitetur, vel nuntia, aut litteras deferat, obedire sine ullo peccato?

Resp. Homobonus tenet, litteras a servis certo scientibus amatoria continere deferri non posse sine peccato lethali; multo magis nuntia determinate continentia tractatum de loco, de modo vel de aliis circumstantiis peccati: quæ sententia mihi videtur certa, quoad comitatum autem, nullum committitur peccatum.

6. Teneturne quis sub lethali obedire Superiori Ecclesiastico, & laico aliquid præcipientibus?

Resp. Affirmative, si res gravis sit: si autem sit levis, vel habeat adjunctam pœnam temporalem, dummodo non sit neque mortis, neque excommunicationis; sed tantum pecuniaria, vel consimilis, te-

nebi-

nebitur pœnam subire, & peccat tantum venialiter. Contemnere Superiorem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum, semper est mortale.

7. Teneturne quis obedire Prælato mandanti sub pœna excommunicationis, ut denuntientur scripturæ, complices delicti, vel quid simile?

Resp. Affirmative, excusat ab hac pœna ignorantia, vel impotentia moralis; item si pars, ad cujus instantiam lata est excommunicatio, intendat, sive expresse, sive tacite, illum eximere ab hac obligatione denuntiandi; multo magis si per verba Monitorii quis excipiatur, vel si ex tali revelatione quis timeret grave damnum sibi, vel personæ sibi valde conjunctæ; item si hoc sciat secreto sub obligatione sigilli naturalis, & si verba Monitorii continerent errorem notabilem, vel injustitiam. Socius criminis non tenetur denuntiare, nisi in judicio, cum interrogatur a Judice. Hæc omnia valent in iis causis, quæ non pertinent ad Fidem, seu ad sanctæ Inquisitionis Tribunal. Fusiora de hoc videri possunt in parte tertia; Cap. de censuris.

8. Teneturne quis denuntiare personas in fide suspectas Inquisitoribus intra tempus ab ipsis definitum sub pœna excommunicationis?

Resp. Affirmative: si quis per ignorantiam non revelet, cessante ignorantia tenetur revelare: Neque excusat ab hujusmodi revelatione, si quis non possit probare delictum, sicuti in aliis Tribunalibus, quia in Inquisitione denuntiator adhibetur tanquam testis. Crimina hæresis denuntianda sunt, etiamsi sciantur sub quovis sigillo naturali, etiam jurato, excepto sigillo Confessionis.

9. Teneturne quis denuntiare crimen occultum, & jam emendatum?

Resp. Negative, excepto crimine hæresis, & causis fidei, quia in istis criminibus emendatio semper suspecta est, & potest ex eo timeri grave damnum.

10. Potestne quis licite fraudare gabellas a Principe impositas?

Resp. Si justæ sunt, fraudari non possunt: a

subditis autem semper censendæ sunt justæ, nisi evidenter constet de earum injustitia; hinc frandans tenetur in conscientia fraudatam pecuniam restituere, non tamen solvere pœnam, nisi post sententiam Judicis. Ministri quoque, qui assistunt portis, si permittant fraudari gabellas, tenentur ad compensationem damni, nisi forte fraudator satisfaciat; non tamen ad solutionem pœnæ.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO VII. 3. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Ab INNOCENTIO XI. 51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem; & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter: si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo ejiciatur.

CAPUT. V.

De quinto præcepto Decalogi, Non occides.

Sectio I. *De occisione in genere.*
Sectio II. *De Bello.*
Sectio III. *De duello.*
Sectio IV. *De scandalo.*

1. NOmine occisionis prohibitæ hoc præcepto non solum venit injusta hominis occisio, sed etiam vulneratio, mutilatio, & qualibet alia violenta sanguinis effusio, seu actio nociva proximo in salute corporali: quæ semper est contra justitiam, & contra naturam: contra primam, quia nemo habet.

bet jus in vitam alterius: contra secundam, quia natura semper inclinat ad conservationem, non ad destructionem sui similis in specie. Hinc agitur etiam de Bello, de Duello, & de Scandalo, quod spiritualiter occidit.

SECTIO I.

De occisione in genere.

1. QUotuplex est homicidium?

Resp. Duplex, unum deliberatum, quo deliberate, & cum intentione nocendi perimitur corpus humanum, vel per se, vel per alium, aliud casuale, quod succedit præter intentionem agentis, ut si quis in sylva putans occidere feram, occidat hominem.

2. Estne aliquando licitum homicidium?

Resp. In duobus casibus licet: primo cum malefactor ob bonum publicum a Magistratu condemnatur ad mortem: tunc enim publica auctoritate ut participante dominium Dei poterit quis occidi, juxta præceptum ejusdem expressum in Exodo, cap. 22. *Maleficos non patieris vivere*. Alius casus est, cum quis non potest repellere aliter violentiam injusti aggressoris, qui nos, vel nostra bona notabiliter damnificat: nam jus naturale dictat vim vi repellere, & permittit non solum vitam nostram, sed etiam bona, quibus vita conservatur, defendere morte volentis injuste rapere; & licet pluris facienda sit vita hominis, quam bona fortunæ, tamen malitiæ injusti aggressoris tribuendum est, si, dum juste repellitur injusta violentia, ille occiditur; primus enim utitur jure naturali necessariæ defensionis, & alius taliter se gerit, ut possessor vitæ & bonorum nequeat alio modo se defendere, quam illum occidendo.

3. Quænam conditiones requiruntur ad hoc, ut sit licita occisio publica auctoritate facta?

Resp. Requiritur observantia juris, scilicet, quod reus prius citetur, audiatur, & postea condemnetur; ex Ca-

ex Caietano enim actus publicus fieri debet ex scientia, & auctoritate publica. Hinc si Princeps, vel Magistratus scientia privata sciant aliquem esse reum mortis, nequeunt mandare occisionem, nisi ordine juris servato: aliter peccant mortaliter.

4. Possuntne juste occidi banniti, seu proscripti capitales?

Resp. Affirmative: quia hoc fit auctorirate publica ob necessitatem publici, & boni Regiminis. Peccant tamen juxta Layman, qui non ex zelo justitiæ, sed ex odio, aut privatæ vindictæ causa hoc faciunt: non tamen tenentur ad compensationem damnorum, de qua infra dicemus, quia peccant solum contra charitatem, non contra justitiam.

5. Si tyrannus minetur Urbi excidium, nisi innocens occidatur, poteſtne hic publica auctoritate occidi?

Resp. Directe talis occisio est illicita. Nec valet paritas, quæ communiter solet adduci, nimirum sicuti membrum potest abscindi pro salute corporis, ita & civis pro salute Civitatis; quia homo est tantum pars moralis Civitatis, a qua non accipit esse, & vivere, sicuti membrum a corpore; Potest tamen in aliquo casu indirecte licita esse occisio, scilicet poterit Respublica cogere talem civem, ut adeat tyrannum: & si nolit adire, ad quod tenetur ex charitate, & justitia legali obligante civem vitam exponere pro Republica, fit statim reus; inde cum desinat esse innocens, Respublica non peccat tradendo illum tyranno; nam traditio de se est indifferens, & mors tantum sequitur indirecte, & præter intentionem Reipublicæ: ita cum Molina, Lessio, Cardinalis de Lugo, qui docet hoc licere casu, quo quis exigitur, si tyranno sit subditus, non autem si peregrinus, aut alienigena.

6. Quænam conditiones requiruntur ad occidendum licite privata auctoritate injustum aggressorem?

Resp. Requiruntur duo: primo, ut occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, non inferendo majus damnum, nec utendo majori vi, quam neces-

necessarium sit ad arcendam violentiam ; hinc qui potest alio modo, quam occidendo, se, aut sua defendere, si occidat, peccat contra justitiam : quia excedit moderamen inculpatæ tutelæ. Secundo, ut occisio fiat statim ante injuriam illatam ; si enim inimicus jam fugeret, tunc cum talis non sit amplius aggressor, occisio non esset defensio, sed vindicta. Utrum postea quis potens fugere aggressorem, & declinare ejus vim, terga vertendo, teneatur hoc modo se defendere, respondeo, si aggressus sit miles, aut nobilis ex fuga contrahens magnam ignominiam, non tenetur hoc facere ; si autem sit Religiosus, aut alius, cujus fuga non cederet ipsi in gravem ignominiam, tenetur hoc suaviori modo suæ, & alterius saluti consulere.

7. Quænam quantitas bonorum fortunæ requiritur ad hoc, ut sit licita occisio furis ob illorum defensionem?

Resp. Quantitas unius aurei regulariter non reputatur adeo gravis ; duorum aureorum admittitur à Diana ; cujus sententia a pluribus censuratur tanquam nimis laxa ; trium, vel quatuor aureorum a Bonacina admittitur tanquam quantitas notabilis. Adverte, tunc licitum esse occidere furem ob defensionem rei notabilis, & magni momenti, quando alia via v. g. aureis, aut aliter recuperari non potest ; hinc cum Jura dicunt furem nocturnum occidi impune, non autem diurnum, supponunt, quod fures nocturni aliter arceri non possint, diurni autem possint. Cæterum si fur nocturnus possit capi, non debet occidi: si diurnus capi non possit, neque recuperari ab eo illud notabile, quod aufert, licite potest occidi.

8. Poteſtne quis pro defensione suæ pudicitiæ occidere invasorem impudicum?

Resp. Affirmative : sic Puella ad evitandum stuprum, nupta adulterium, & quælibet alia mulier prostitutionem sui corporis, possunt occidere invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ : si enim quis potest occidere furem rei temporalis notabilis,

multo magis furem pudicitiæ. Silvestrina dat aliam rationem, scilicet, quod ad evitandum dedecus conjunctum cum periculo peccandi satis justificatur dicta occisio: immo licitum est avocare audituros, vociferando, ut si aliter nequeant, occidant impudicum oppressorem; si autem fœmina consentiat peccato luxuriæ, nequit quis superveniens occidere masculum, quia mulier tunc per consensum cessit juri suo; neque tunc sumus in casu violentiæ, quæ debeat alia violentia repelli; Mulier ad fugiendam oppressionem non tenetur vociferari, quia se exponeret periculo infamiæ: satis ergo est, ut non consentiat peccato, & meliori modo, quo potest, salvet honorem suum.

9. Maritus deprehendens uxorem in adulterio, potestne illam occidere?

Resp. Negative, quia Ecclesia, ad quam pertinet explicare latitudinem præcepti homicidii, expresse in Sacris Canonibus hoc prohibuit. Deinde non est nimis extendenda licentia occidendi, dum adsunt alia media licita, quibus potest quis consulere honori suo, detrudendo uxorem in Monasterium, separando thorum, accusando coram Judice, ut puniatur pœna mortis. Nec valet, quod in foro fori Maritus, qui occidit uxorem, & adulterum, non puniatur; lex enim civilis has occisiones tolerat, considerando excessum doloris, & iræ, quæ in simili casu gravissimæ injuriæ nequit contineri. Si hæc responsio tibi minus placet, dic cum aliis Doctoribus, quod in hac re lex canonica legem civilem correxit.

10. Potestne quis occidere alium, puta ob defendendum honorem?

Resp. Universaliter licitum non est: licet ergo, cum aliquis aggressor vellet viro nobili, vel alteri, qui suum honorem tueri maxime obligatur, cuique fugere magnam afferat ignominiam, vellet, inquam, dare alapam, percutere baculo, vel fuste, possit illum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, antequam dictam injuriam inferat, ob justam defensionem ab illa; non tamen post illatam injuriam ad repa-

reparandum honorem læsum poterit, quis illum occidere, quæ occisio est species vindictæ. Dixi, Universaliter non licet, juxta damnationem propositionis trigesimæ factæ ab Innocentio XI. quam inferius afferam.

11. Petrus repertus in adulterio a Marito, potestne vitam suam defendere, occidendo invasorem?

Resp. Affirmative cum Homobono, quia licet culpa sua inveniatur in periculo mortis, non tamen amittit jus occidendi invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Adverte tamen, quod si invasus posset se defendere fugiendo, teneretur fugere, etiamsi esset vir nobilis, & timeretur notabilis infamia, quia hæc oritur culpa sua, & debet præponi vitæ mariti innocentis aggredientis.

12. Estne licitum prævenire aggressorem, si innocens aliud refugium non habeat ad vitam suam salvandam?

Resp. Cum Molfes. de homicidio affirmative, quia non tenetur quis expectare percussionem inevitabilem. Verum magna cautela adhibenda est, ut res ita revera se habeat, ne forte vana & levis suspicio det locum delicto adeo atroci. Affirmatio procedit, quando nullum aliud est remedium ad vitam salvandam.

13. Hinc si interveniant duæ conditiones, & mortis sequuturæ, & privationis omnis remedii, poteris prævenire hostem insidiantem, non solum armis, sed veneno, torquendo venenum in venenantem. Sed vero docet Lessius casus istos esse potius metaphysicos, & speculativos, & in praxi carentiam omnis refugii nunquam intervenire; qui enim est tantæ potentiæ, ut præveniendo possit mortem tradere, a fortiori poterit se ab illa liberare. Hæc doctrina locum habet; si quis quærat alium occidere per mandatarium; idem enim est occidi per manus hostis occulte insidiantis, ac per illas sicarii. Indubitatum est, eum, qui potest salvare vitam verberibus tantum, vel minis, vel alio modo, teneri hanc mitiorem viam eligere, quia tantum licet nocere pro-

ximo, quantum sufficit ad justam defensionem, & ad vim repellendam.

14. Ultimo adverte eum, qui occidit vel præveniendo, vel se defendendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, debere mortem inferre, non animo vindictæ; sed ex defensione sui; si enim ex odio hoc faceret, licet mors tradita non sit peccatum; modus tamen, seu motivum mortis non est sine culpa, quæ gravis, vel minus gravis erit juxta quantitatem odii, & livoris; ordinaria ergo erit mortalis.

15. Habens jus occidendi ob defensionem sui aggressorem, potestne hoc præstare licite per alium?

Resp. Cum Filliucio, Tannero, & Molina affirmative: aggressus enim censetur innocens, quilibet autem potest ex charitate innocentem adjuvare in conservatione sui juris illi naturaliter competentis.

16. Si quis faciat opus, unde contra ejus voluntatem sequatur mors in tertio, peccatne?

Resp. Si det operam rei licitæ etiam periculosæ, puta medicinæ, & adhibeat debitam diligentiam, ne sequatur homicidium, si sequitur, non peccat, dummodo post factum, illud ratum non habeat; si adhibeat negligentiam parvam, veniale erit, si magnam, mortale. Si det operam rei illicitæ propter periculum mortis, ut est exercitatio taurorum, ludi cum ensibus per homines imperitos; tunc si sequatur mors, peccat, quia libere se exponens periculo proxime peccandi, & aliis graviter nocendi, peccat. Si autem res sit illicita non ex periculo mortis, sed ex alio capite, veluti venatio per Clericos, si ex eadem, facta debita diligentia, per accidens sequatur mors, non peccat.

17. Quot modis homicidium dicitur voluntarium?

Resp. Sex præcipue modis. Primo, fit voluntarie, dum quis per se ipsum homicidium committit, vel ferro, vel lapide, vel veneno, vel per subtractionem omnis cibi; vel quovis alio modo, quo suis manibus, & viribus infert alteri mortem. Secundo, præcepto: ut si mandet alteri, ut occidat;

dat; & si detur pro hoc mandatario pecunia, dicitur assassinium. Tertio, consilio; ut si quis consulat alteri, puta marito, ut uxorem adulteram necet: vel si consulat alteri rem, ex qua verisimiliter sequatur mors. Quarto, negatione auxilii juste debiti, dum quis potest commode impedire homicidium, & non impedit: ut Judices, qui ex officio tenentur impedire duellum, rixas, ex quibus verisimiliter alicujus sequutura est mors. Quinto, patrocinio; ut si quis defendat, vel tueatur homicidas; dum homicidium committitur. Sexto, cooperatione: ut si quis voluntarie subministret auxilium, vel instrumenta, ut mors causetur, puta dando gladium, & arma, ut quis occidat. Isti omnes, cum causa sint voluntarii homicidii, tenentur in solidum ad resarcienda damna hæredibus occisi, sicut mox dicam.

18. Ad quid tenetur is, qui voluntarie occidit; vel vulneravit injuste alium?

Resp. Hæc actio injusta est radix restitutionis: proinde voluntarius occisor tenetur compensare damna omnia provenientia ex occisione: Hinc tenetur ad omnes expensas, & sumptus durante ægritudine factos, tenetur ad omnia damna ex lucro cessante provenientia, puta, quia quis artifex, si tantum vulneratus, & mutilatus est, si redditus inhabilis ad opera lucrosa suæ artis: at si defunctus est, tenetur resarcire damna, quæ proveniunt in hæredibus defuncti, puta respectu filiorum, uxoris, & aliorum, juxta judicium prudentis Casistæ: Pro vita defuncti, vel cicatrice facta, ad nihil tenetur, quia hujusmodi res non sunt pretio æstimabiles, nec possunt per justitiam commutativam compensari. Ita Lessius, Layman, Vasquez, apud Homobonum. Excipe casum puellæ notabiliter deformatæ per aliquod vulnus; sic enim redditur vilior quoad nuptias; hinc compensanda est, augendo tantum ipsius dotem, ut possit cum æquali nubere. Respectu funeralium ad nihil tenetur, quia quovis tempore ejus mors evenisset, parentes & hæredes tenebantur ad funera, quæ proinde

censendæ sunt tanquam expensæ ortæ ex nostra conditione, non vero casualiter ab occisione. Neque tenetur occisor procurare, ut oretur pro occiso, vel solum ex charitate, non ex justitia.

19. Quænam circumstantiæ exprimi debent in Confessione ab occisore?

Resp. Primo, qualitas personæ occisæ, scilicet si fuerit sæcularis, vel Clericus; in hoc enim secundo casu est sacrilegium: si fuerit propinquus, puta pater, vel mater, vel soror, vel frater, vel conjux; quia utique consanguinitas adeo stricta novam speciem deformitatis & horroris superaddit simplici homicidio. Secundo, qualitas loci in quo patrata est occisio, puta, si fuit sacer, est sacrilegium. Tertio, complices, quot in numero adhibiti sunt pro patrando homicidio; tot enim sunt peccata numero distincta, quot cooperatores juncti fuerunt; vel ex amicitia, vel ex stipendio, vel ex auctoritate ad homicidium complendum; si tamen quis non vocatus venit ex suo genio, & sponte, tunc respectu hujus quis non censetur causa peccati.

20. Poteftne aliquis occidere se ipsum?

Resp. Directe nemo potest se ipsum interimere, nisi Deus hoc revelet, & evidenter constet de tali revelatione, quæ ut plurimum censenda est Dæmonis illusio. Ratio est, quia nemo est dominus suæ vitæ, & membrorum: & tenetur præstare a fortiori erga se, quæ ex charitate præstat aliis; sicuti igitur nequit aliis vitam auferre, ita neque sibi: & si quis ex desperatione se ipsum occideret, nisi constaret pro eo tunc caruisse usu rationis, privandus esset Ecclesiastica sepultura, & nullum faciendum esset pro eo sacrificium, tanquam inutile ei, qui certo damnatus est; cooperantes etiam dicto homicidio peccant peccato mortali.

21. Dixi, nisi constet de revelatione Dei, sicuti habuerunt plures Virgines, & Martyres, quæ projecerunt se in flammas, ne virginitatem, vel fidem amitterent: sicuti etiam fecerunt Sampson, & Eleazarus, qui duo, ut docent Sancti Patres, etiam ut

mili-

milites poterant se exponere morti, ut occiderent plures hostes. Nemo tamen facile huic revelationi credere debet: & nisi sit evidens utilitas Ecclesiæ, rejicienda est tanquam illusio Diaboli; sic neque in pœnitentiam alicujus peccati commissi potest quis sibi mortem injungere, ut volebant Donatistæ; pœnitentia enim fieri debet juxta Ecclesiæ præscriptum, & pœnitentia Judæ. Neque enim ad evitandum periculum proximum peccati mortalis, potest quis se ipsum interficere: quia debet expectare auxilium a Deo, qui fidelis non permittet nos tentari supra vires. Immo Divus Thomas docet, quod virgo proxime opprimenda, & violanda ab infideli, nequit se interficere, ut conservet virginitatem, quia in tali casu voluntate dissentiens non peccat, & remanet intrinsece virgo, licet non extrinsece in corpore.

22. Dixi, directe; nam indirecte quis potest se ipsum interficere, ut quando quis intendit finem optimum, & justum, quem assequi non potest, nisi cum periculo mortis; tunc enim directe intenditur finis, & per accidens mors: sic milites, qui defendunt Civitatem usque ad extremum, sic etiam qui serviunt infirmis tempore pestis, evidenti periculo mortis se exponunt sine peccato. Hinc volunt aliqui Auctores, quod tempore famis, si superesset unicus panis, posset quis eum tradere ob charitatem amico digniori. Item in naufragio unica existente tabula posset eidem illam committere; & in fuga exercitus ab inimico devastati, posset quis equum tradere Principi, vel amico digniori; & multo magis posse aliquem jejunare, inducere habitum pœnitentiæ, aut quid simile facere, ex quo indirecte sequatur mors, quia non est prohibitum homini vitam suam periculis exponere, sed tantum non hoc facere temere sine causa, tanquam habens illam exosam.

23. Poteſtne infirmus recusare medicinam oblatam a Medico?

Resp. Si medicina est ad vitam solum prolongandam, probabiliter non tenetur: si autem judicio

Medici ex medicina rationabiliter speratur salus, & alioquin mors sequutura; tunc tenetur eam sumere, eo modo, quo sanus cibum, est etiam conservativa vitæ ex necessitate. Si salus acquirenda foret cum mutilatione alicujus membri valde dolorifera, tunc volunt Doctores posse infirmum recusare adeo doloriferum remedium.

14. Potestne fœmina prægnans ad tuendum proprium honorem, & forte vitam, & complicis delicti, procurare abortum?

Resp. Cum Homobono, & aliis communiter hoc esse illicitum, sive fœtus sit animatus, sive inanimatus: quia procuratio abortus est intrinsece mala, pugnans cum fine naturali: cum ergo non sint facienda mala, ut veniant bona, non est licita procuratio abortus.

15. Quot modis dicitur procurari abortus?

Resp. Tribus: primo impediendo ne fœtus occasione copulæ concipiatur; secundo, ut jam conceptus ante animæ rationalis infusionem ejiciatur; tertio, ut post animæ rationalis infusionem ita immature pariatur, ut pereat. Hinc cum malitia abortus consistat in hoc, quod tendat ad pueri occisionem, peccatum erit gravius, vel levius, prout magis ad perfectum homicidium accedit; quapropter est gravis, & lethalis culpa, si conceptio impediatur; gravior, si postquam est conceptus; & gravissima, si postquam est animatus fœtus, causetur abortus: in hoc tertio statu, de quo proprie dicitur abortus, omnes qui abortum vel causant, vel consulunt, vel eidem scienter cooperantur, incurrunt in excommunicationem latam a Sixto V. & Episcopo reservatam: ut videri potest in Constitutione, quæ incipit *Effrænatam*, quæ tamen moderata fuit a Gregorio XIV. in Bulla, quæ incipit *Sedes Apostolica*, in qua quoad abortum fœtus inanimati tollitur in totum Constitutio Sixti V. quoad abortum fœtus animati pœnæ latæ contra complices delicti temperantur in hoc, scilicet, ut peccatum cum excommunicatione Episcopo reservata tolli possit per quem-

cun-

cunque Confessarium habentem ab Episcopo specialem delegationem absolvendi ab hujusmodi excommunicatione. Remanent ergo integræ aliæ pœnæ pro clericis cooperantibus, vel consulentibus abortum, quæ sunt irregularitatis, privationis, inhabilitatis, degradationis, traditionis Curiæ sæculari, & præventionis. Ita Homob. part. 3. tract. 13. cap. 11. resol. 4.

26. Quandonam fœtus animari dicitur?

Resp. In mare post quadraginta dies a conceptione, & in fœmina post dies octoginta. Quando dubitatur, an fœtus sit mas, vel fœmina, post quadraginta dierum spatium a conceptione, & mas, & animatus præsumitur. Hinc cooperans tali abortui debet se gerere tanquam excommmunicatus, & irregularis; in dubio enim facti, cui annexa est excommunicatio, & irregularitas, quis irregularis, & excommunicatus censendus est. Non est tamen eodem modo censendum quantum ad pœnam privationis Beneficiorum, quæ a Judice pro irregularitate, & censura poni solet, ut enim habet hic Homobonus, pœna ordinaria pro certo delicto statuta, non est infligenda in delicto dubio, sed tantum extraordinaria, temperata tamen juxta qualitatem dubii.

27. Incurrit ne istas pœnas, qui rem habens cum prægnante, causa est, ut partus intempestivus, licet vivus, pariatur?

Resp. Docet Homob. part. 2. tract. 12. cap. 3. negative, non enim est proprie abortus, & homicidium, cum non intenderit hoc crimen, neque aliquid per se cum illo connexum; si quidem voluntate, & proposito maleficia distinguuntur. Adulter ergo de abortu nec cogitans, non incurrit pœnas procurantium abortum.

28. Potestne Medicus dare infirmæ prægnanti medicamenta curativa matricis, ex quibus per accidens sequatur abortus?

Resp. Intelligenda bene est quæstio, quæ procedit, cum salus matris alio modo haberi nequit, nisi per medicamenta directe quidem tendentia in

salutem matris, ex quibus indirecte, & per accidens sequatur abortus: in hoc ergo valde obvio casu distingui bene debent circumstantiæ diversæ, juxta quas diversa etiam est responsio. Primo enim, si fœtus necessario expellendus pro conservatione vitæ matris nondum sit animatus anima rationali, adhiberi possunt medicamenta cum intentione directa ad sanandam matrem; quæ utique cum sit vivens præponi debet fœtui, qui nondum vivit. Secundo, si fœtus sit animatus, adhuc distingui debet; vel judicatur matrem simul cum fœtu morituram, nisi medicinam sumat, ex qua sequatur probabilis spes vitæ matris cum periculo abortus; & tunc potest sumere medicinam, quia in pari casu, & necessitate mater debet prius respicere, & consulere sibi, quam proli, Ex Diana hoc etiam tenendum est in dubio, an medicamenta sint matri allatura vitam, vel mortem, quia melius est dubium medicamentum experiri, quam illam sinere sine medicina certo perire. Vel judicatur certe, aut valde probabiliter sine medicamento matrem quidem morituram, sed vivum e secto utero matris posse extrahi infantem Sacro Baptismate regenerandum; & tunc illicitum est cum notabili prolis periculo, & detrimento adhibere medicamentum. Ita Homobonus, Diana, Lessius, & alii communiter, quia vita spiritualis infantis præponenda est vitæ temporali matris, ut ordo charitatis Christianæ servetur. Si enim pro fratribus animas ponere debemus, ut habemus Joannis III. quanto magis mater pro salute spirituali filii, ne æterna beatitudine privetur? Citantur tamen pro hac ultima sententia tanquam contrarii Lopez, & alii pauci apud Bonacinam, cap. 8. n. 3. Sanchez judicat hunc casum raro posse contingere, cum ob communicationem humorum, ut plurimum, mors matris secum trahat illam infantis.

29. Ex eodem Homobono, etiamsi sciatur certe puerum moriturum sine Baptismo, nisi mater, quæ ad mortem ægrotat, viva aperiatur, nullo modo scindenda est adhuc viva, quia non sunt facienda

mala,

mala, ut veniant bona; neque licet occidere matrem, ut salutari lavacro regeneretur filius; postquam autem ipsa decessit, statim aperienda est, ut puer baptizetur.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

Ab INNOCENTIO XI. 30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignorantia vitari nequit; idem quoque dicendum est, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere Possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus; sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum patitur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

SECTIO II.

De Bello.

1. Bellum, aliud est offensivum, aliud defensivum: offensivum est illud, quo quis armis, & aliis instrumentis martialibus vim alteri infert: defensivum est, quo quis armis, & aliis instrumentis martialibus vim illatam repellit.

2. Estne licitum Bellum?

Resp. Bellum defensivum, ad hoc ut sit justum, unicam debet habere conditionem, scil. quod possidens sit moraliter certus se juste possidere ea, quæ a contraria parte invaduntur; tunc autem habet sufficientem certitudinem moralem, cum invadens non probat contrarium. Bellum offensivum, ad hoc ut sit licitum, tres conditiones requirit; primo, ut fiat auctoritate Principis supremi, quales sunt Papa, Imperator, Rex, & alii, qui ideo dicuntur habere altum dominium; secundo, ut adsit justa causa, & quidem gravissima, ut necessitas boni communis, & quietis conservandæ, recuperatio injuste ablatorum, coercitio rebellium, & similes; tertio, ut fiat ex recta intentione, scilicet amore boni communis; non autem ex odio privato. Si desint duæ primæ conditiones, bellum est injustum, & invadens tenetur resarcire omnia damna regionis invasæ; si desit tertia, invadens peccat juxta qualitatem odii, quod utique mortale est, cum gravissimum damnum intentet inimico, non tamen tenetur restituere.

3. Poteſtne dari casus, in quo duo gerentes bellum ita se habeant, ut nec invadens, nec invasus bellando peccent?

Resp. Affirmative ex Filliucio, non quidem per se: fieri enim nequit, quod eadem Regio, Civitas, vel Castrum juste pertineant ad duos, ita ut unus habeat jus retinendi, & defendendi, & alius spoliandi, & occupandi: per accidens tamen ex ignorantia

rantia invincibili potest invasus juste retinere pro viribus, & invadens tentare occupationem.

4. Quamnam diligentiam tenentur adhibere bellatores ad cavendam ignorantiam affectatam, vel supinam?

Resp. Requiritur primo, ut proponant jura sua, & causas belli doctis, & piis consiliariis; qui nec facile decipi possint in examine negotii adeo gravis, nec suspecti sint, quod decipere velint: & etiam securius erit, si adhibeant Theologos, qui totum discutiant secundum legem Evangelicam, & cum plena libertate opinionem proferant; & istis auditis, invocato Spiritu S. Principes, vel Magistratus antequam deliberent, rem coram Deo ipsi secundum interius conscientiæ lumen denuo probent, & illud deligant, quod in puncto mortis vellent se elegisse: quibus peractis, si adhuc juxta proprias conscientias, & consiliariorum, & Theologorum opiniones videatur licitum bellum, poterit sine scrupulo indici.

5. Estne sufficiens causa indicendi bellum gravis injuria Principi, vel Reipublicæ illata?

Resp. Ex Alario, & Diana, tunc licere ad vindicandam gravem injuriam, cum pars opposita condignam satisfactionem dare recusat; sic enim habetur exemplum in l. 2. Reg. c. 10. Adverte, quod injuria debet esse gravissima, & satisfactio prius petita, & non obtenta.

6. Estne causa sufficiens indicendi bellum alteri; quia auxilium præstat inimico contra ipsum injuste bellanti?

Resp. Affirmative; quia licet vim vi repellere, cum hæc contra justitiam infertur. Ita Diana adducens exemplum ex lib. 2. Regum cap. 8.

6. Estne sufficiens causa indicendi alteri bellum, quia hic impedit, ne rei puniantur?

Resp. Cum Diana affirmative, & exemplum adducit ex libro Judicum, c. 20. ubi Israelitæ Beniamitis bellum juste indixerunt, eo quod Gabaonitas gravissimi sceleris reos tradere recusarunt. Ex quo infert Bannes Principem læsum esse Judicem directum

ctum rei lædentis, & tantum habere jus morte plectendi reum, ut possit respuere quamcunque aliam satisfactionem, quam forte ipse exhibet; unde si iste sit apud alium Principem, qui ei dederit refugium, & nolit eum tradere morte plectendum, sed solum velit alias satisfactiones exhibere; posset juste bello illum cogere. Mihi tamen videtur sententia nimis laxa; neque placet hanc causam acceptare tanquam sufficientem, ut ea solum attenta, bellum adeo communi bono gravosum aggredi possit; & meæ sententiæ utique mitioris, & Evangelicæ charitati magis accommodatæ, est etiam Coninch. dub. 1. num. 18.

7. Estne sufficiens causa indicendi bellum Principi, quia fœdus violavit non sine damno, injuria, & dedecore patientis, cujus etiam legati violati sunt contra jus gentium?

Resp. Affirmative, ex Diana citante plura exempla in libris Regum, & maxime 2. Cap. 10. ubi David Ammonitis bellum intulit ob violatos legatos. Verum notat ipse non esse formalem legatorum violationem, si puniantur a Principe, in cujus territorio graviter ultra terminos legationis deliquerunt.

8. Estne causa sufficiens indicendi bellum alteri ob denegata ea, quæ jure gentium debentur, ut transitus per alienam regionem sine mora, & nocumento?

Resp. Affirmative, nisi forte agatur de transitu exercitus armati sine necessaria cautione damni compensandi; nam transeuntes tenentur omnem securitatem facere non nocendi. Hinc quia ab exercitu armato fere semper timeri potest damnum, illi transitus juste negatur: Ita Alarius citans alios. Hæc eadem ratio est causa sufficiens indicendi bellum prohibenti auxilium sociis afferri.

9. Estne causa sufficiens indicendi bellum, si Populi Idololatræ sint, vel in hæresim, & infidelitatem lapsi, & alios secum trahant, & dissensionem in Provinciis excitent?

Resp. Cum Alario verbo *Bellum n.* 13. distinguendo, quando Regnum defecit a fide Catholica per

Ido-

Idololatriam, vel per hæresim, tunc est causa justa; alias falsum videtur propter peccata etiam pugnantia cum natura, infidelibus bellum inferri posse, si subditi non sint.

Reginaldus assignat septem causas, propter quas contra infideles bellare licet. Prima, si possideant Terras Christianorum, ut Turcæ. Secunda, si Christianos injuria afficiant, & in servitutem redigant. Tertia; si Christianos a vera Religione abducant. Quarta, si Prædicationem Evangelii impediant: cum enim Summus Pontifex habeat jus Prædicationis Evangelicæ in toto Orbe, & propagandi Fidem, & destruendi Idololatriam, potest ad hoc opus pietatis præstandum mandare alicui Principi, ut debellet Idololatras, & aditum aperiat Legi Evangelicæ: & hac potissimum de causa potuit Alexand. IV. donationem novi Orbis facere Hispanis. Quinto, quando a Christiano Principe eorum dominio subditi leges naturæ consentaneas recipere, & observare nolunt. Sexta, si committant peccata non solum contra Deum, sed etiam contra proximum, puta humanæ carnis ingluvie, & execrandis innocentium sacrificiis. Septima, si subditi Principis Catholici incidunt in hæresim; nam Deus Deuter. 13. præcepit filiis Israel, ut delerent Civitatem, quæ in tale crimen incideret. Servandus tamen est ordo juris, ut bellum eis non inferatur, nisi prius ab Ecclesia Romana declarentur hæretici.

10. Dubius de justitia belli potestne bellum movere?

Resp. Cum Sylvio *in 2. 2. q. 40. de art. 1. &* *q. 4. concl. 2. 3. & 4.* cum hac distinctione: in causa injuriæ dubius de justitia belli non potest bellum movere, quia res adeo Reipublicæ gravosa, & periculis plena, exequi non debet in causa dubia: in causa possessionis non possidens nequit bellum movere, quia in dubiis melior est conditio possidentis; & si possidens armorum vi detrudatur a possessione, posset hic rursus movere bellum: quia gravissima injuria fuit affectus, patiendo spoliationem bono-

bonorum propter causam dubiam. In hac eadem causa possessionis non possidens potest movere bellum, si ipsi, & consiliariis suis videatur habere plus juris, & petens compensationem admissus non fuerit; nam possidens in dubio tenetur admittere legatos partis adversæ pro examinando dubio etiam æquali: si autem neuter possidet, & dubium est æquale, potest non possidens movere bellum, non pro acquirendo toto, sed parte, quia res in tali dubio aut dividi debet, aut ex æquo compensari ad proportionem juris, quod quis habet: Advertit tamen Diana cum Granado, quod si possidens magis inclinet in eam partem, quod res sit aliena, non ideo ad restitutionem aliquam tenetur, quia cum talis propensio non evacuet dubium, hinc a possessione superatur, quæ in dubiis facit meliorem conditionem possidentis.

11. Habita justitia belli debetne illaturus bellum proponere prius jura sua parti adversæ ad videndum, num pacifice velit ipsi reddere, quod suum est?

Resp. Cum Molina affirmative: & si hæc offerat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari. Immo, ut idem asserit, si incœptum sit, debet, si non ex justitia, saltem ex charitate, terminari; secus gravis injuria fit innocentibus, quando cum eorum maximo damno quæritur id, quod sine illo potest obtineri. Addit Diana, teneri quandoque Principes desistere a bello justo, si inde oriatur scandalum, & spiritualis ruina multorum, & detrimentum fidei & Ecclesiæ: pensatis enim omnibus, quantitas mali excedit bonum, quod ex bello speratur.

12. Licetne advocare infideles in auxilium pro bello justo?

Resp. Cum Alario n. 6. qui citat pro se Sanctum Antoninum, Molinam, & alios, affirmative; nisi tamen immineat periculum fidei, ut v. g. quod proprii subditi pervertantur, & hæresis dilatetur: licet etiam adjuvare Principem infidelem in bello justo contra alios infideles.

13. Quæ-

13. Quænam sunt illa peccata, in quæ tempore belli incurrere solent Duces?

Resp. Cum Diana, hæc ut plurimum sunt primo; si minuant numerum militum ob avaritiam, præsentando suos famulos in milites, ut approprient sibi stipendium, & si defectu militum, quos habere debent, perdatur Arx, vel Civitas patiatur damnum; tenentur resarcire. Secundo, si ab Oppidis, per quæ non transeunt, studiose divertendo ad alia, extorqueant pecuniam in redemptionem hospitii; licet enim possint aggravare hoc, vel illud Oppidum, ut transeant; facere tamen hanc electionem venalem est contra justitiam; si stipendium militibus subtrahentes, permitterent eos sumere a rusticis necessaria ad victum; si dimissis veteranis militibus, inexpertos conducant minori stipendio: si faciles sint in concedendo militibus licentiam, quæ solet dici *Comiato*; quando urget eorum necessitas, pro qua supplenda gravatur publicum ærarium novis expensis: si notabile peculium exigant a Populis, ad hoc ut milites sub disciplina debita retineant, seu *per il quieto vivere*, ut solet dici; ad hoc enim tenentur ex justitia. Hæc & his similia sunt illa crimina specialia, in quæ propter avaritiam incidere possunt Duces; & cum ut plurimum in iis offendant nedum charitatem, verum etiam justitiam, tenentur ad compensationem damnorum.

14. Præterea si milites certæ morti sine necessitate exponant; si aliquem ex speciali odio, vel pravo fine collocent in loco valde periculoso, & ibi sine auxilio relinquant, ut percussus intereat, sicuti ex commissione Davidis factum est cum Uria, qui propterea dicitur a Scriptura ab ipso Davide percussus: si castra ponant in locis palustribus, & noxiis, cum periculo mortis, aut contagionis: vel milites infirmos non dimittant ad eorum hospitalia, quæ non debent fieri, nisi extrema necessitate impellente: si militibus provideant victualia noxia, vel præparent in minori quantitate, vel dolose, vel vilia contra Principis intentionem, detinendo sibi ipsis ma-

jus pretium: si pulveri tormentario alium pulverem, vel mixturam immisceant, propter quam victoria, vel defensio reddatur magis difficilis: si plus a militibus pro cibo, potu, vestibus, & armis exigant, quam præscriptum sit, si in designandis hospitibus alicui, ad plures domos schedulas præbeant, ut in unam se recipiant, & ab aliis exigant pretium; & demum generaliter si gravent plusquam par est vel Principem, vel Milites, vel Populos.

15. Possuntne Duces militantes in navibus contra Turcas, vel Hæreticos, cum aliter manus hostium fugere nequeunt, ignem pulveri admovere, ne & ipsi, & naves in potestatem hostium deveniant?

Resp. Primo: Miles privata auctoritate hoc facere nequit; excedit enim ejus officium, tam grave facinus cum damno plurium aggredi. Quantum ad Ducem in ea navi supremum, communis sententia negativa est, quia nemini licet se, & suos directe occidere. Solum ergo navis incendium tunc videtur licitum in casu, quo milites in mare se dejicerent cum probabili spe salutis, licet cum periculo incendii. Fagundez a Diana citatus tenet contrariam sententiam putans licitum esse ex hoc motivo, scilicet si Dux incendendo navim intendat hostis debilitatem, ne præda capta insolentior fiat in ejus Regem: sic enim propria & suorum mors est solum per accidens; imo sperare hostem occidere, & se & suos servare incolumes.

16. Peccata militum, ultra furtum ipsis familiare, de quo infra, ut plurimum sunt fugere, & deserere exercitum, asportando arma & vestes sui Ducis; quod utique lethale est, cum adscribendo se militiæ, vitam suam tali statui obbligaverint: propter hoc ergo tenentur arma, vestes, & quæ sunt Ducis restituere, & insuper compensare damnum, quod in adscribendo alio in sui defectum patitur: non tenetur tamen redire, cum certus sit, se sponte etiam redeuntem mortem esse plectendum: tenetur etiam servare arcem; & stationem commissam defendere cum periculo vitæ, quoadusque eas derelinquere permis-

sum

sum sit ab habente auctoritatem. Neque sufficienter fuga licita fiet, eo quod spes prævalendi & vincendi non sit; ex fuga enim militum ante tempus, gravior fit jactura, & quamplurima amittuntur, quæ alioquin fuissent servata. Tenetur etiam positus ad custodiam vigilare, nequit rescriptum aliquod ab hostibus recipere, & si sciat alterius militis rebellionem, tenetur Duci revelare. Contra has ergo obligationes miles faciens, ut plurimum peccat mortaliter, quia tempore belli hæc omnia gravissimi damni sunt causa. Præterea miles peccat contra justitiam, si occasione itineris, vel hyemalis hospitii, aliquid plus recipiat a populis, quam sit ei permissum a Principe: si etiam excedat facultates traditas a Ducibus in deprædatione hostium, & eos gravet proprio arbitrio.

17. Potestne aliquis adscribere se militiæ, & ire ad bellum, non curando de justitia belli, sed de stipendio.

Resp. Cum Alario num. 3. qui citat pro se Cajetanum, & Navarrum, hoc modo ire ad bellum mortale est, etiamsi miles sit subditus: neque ergo antiqui milites stipendiarii, neque denuo adscripti possunt ire ad bellum evidenter injustum; hoc enim est cooperari gravamini innocentium, quod non licet; sicut nec Carnifex stipendiarius potest exequi sententiam evidenter injustam.

18. Dixi in responsione, non licere ipsis pugnare in bello evidenter injusto; quousque tamen evidenter non constat illis de injustitia belli, bellare possunt, etiamsi dubii sint de justitia: nam in dubiis præsumendum est pro Principe, cui quis faceret gravem injuriam, si sine evidenti ratione ipsum judicaret publicæ quietis perturbatorem. At si miles decursu temporis evidenter sciat bellum esse injustum, tenetur a militia desistere, & restituere spolia inimicorum, si quæ habet, vel id quo forte factus est ditior; erat enim possessor bonæ fidei. Milites stipendiarii non subditi, per Reginaldum tenentur ad restitutionem omnium, non solum si evidenter sciant bel-

bellum esse injustum, sed etiam si tantum dubitent. Advertat tamen Confessarius militum, qui hoc ignorant, valde periculosum esse illos erudire, nam cum nimis difficile sit derelinquere militiam, quod facere nequeunt sine vitæ periculo, ponuntur in mala fide sine spe emendationis.

19. Quænam sint licita in bello justo contra hostes?

Resp. Ea quæ necessaria sunt ad finem belli obtinendum. Hinc primo licitum est directe occidere defensores partis contrariæ, & illos spoliare. Innocentes tamen, sub quo nomine veniunt pueri, senes, mulieres, Clerici Religiosi, aliique ad arma gestanda inepti, ut peregrini, advenæ, mercatores, & rustici, qui non præliantur, directe, occidi nequeunt, quia sine eorum morte finis belli potest obtineri. Possunt tamen spoliari bonis externis, utpote pars Reipublicæ hostilis, quæ propter delicta totius corporis puniri potest in iis, quæ subsunt Reipublicæ, & ex quibus hæc sumit commodum ad se defendendum contra justos aggressores.

20. Hinc primo ex Alario num. 10. licitum est inimicum exercitum, aut Civitatem, contra quam justum geritur bellum, in depopulationem tradere, aut incendere, si aliter capi non possit, licet multi innocentes occidantur: quia isti non occiduntur directe, sed per accidens, indirecte, eo quod moraliter separari nequeunt a nocentibus.

21. Hinc secundo licitum est per accidens aliquando comburere Ecclesiam, & hostes extrahere, in ea spoliare, & occidere, si Ecclesia veluti castro ad repugnandum utantur.

22. Hinc tertio licitum est aliquando juxta belli leges permittere militibus, ut vulgo dicitur, *il sacco*, seu Civitatem militibus in prædam, & direptionem dare, si judicetur necessarium ad expediendum bellum, incendendos militum animos, & hostes deterrendos. Cavere tamen tunc debent Duces, ne res Ecclesiæ, & Ecclesiarum personæ simul cum laicis comprehendantur; non enim sunt membra

Rei-

Reipublicæ, & populi reduplicative; ut inimici; sed indifferentes, & sacri, adeoque ab istis injuriis excepti. Debent prohibere etiam, quantum commode possunt, & impedire alia crimina, ut stupra, adulteria, Templorum spoliationes, non autem rerum profanarum, quæ ad templa asportata sunt pro majori securitate: & multo magis ne injuria afficiantur Sacræ Virgines Deo dicatæ, & Sponsæ Christi Domini in Claustris degentes, si autem quoad ista non invigilent, sunt omnium istorum criminum rei; & utique Duces tenentur ad compensationem damnorum.

23. Hinc quarto, Represalia licita sunt cum istis conditionibus: primo, si manifeste constet Cives alterius Reipublicæ gravem injuriam fecisse; secundo, si Superiores illorum rogati recusent congruam & justam satisfactionem præbere: tertio, si constet culpabiliter denegatam satisfactionem: quarto, si Princeps supremus illa concedat, non autem minister privata authoritate; quinto ut non inferatur plus damni, quam postulet justa satisfactio; sexto ut Ecclesiastici & eorum bona non tangantur.

24. Estne licitum contra hostes adhibere insidias & stratagemata?

Resp. Affirmative, dummodo absint mendacia; & multo magis perjuria. Unde quod exploratores se fingant quandoque amicos, mortale non est. Adverte tamen, veneno inficere fontes, vel puteos, vel arma, licitum non esse: & est impietas contra Jus gentium, neque a Turcis, vel aliis Barbaris usitata.

25. Estne servanda fides hostibus data?

Resp. Si sponte data est, servanda est, nisi cedat in grave damnum Reipublicæ, aut Religionis: cum enim in hoc casu non potuerit se obligare, neque servare tenetur: nec etiam obligat, cum altera pars fidem non servat; frangenti enim fidem, fides servanda non est. Hinc obsides occidere per se non licet, an vero in aliquo gravissimo casu liceat, hoc bene erit examinandum.

25. Ca-

25. Capti in bello possuntne ab hostibus fugere?

Resp. Si bellum sit justum, fugere nequeunt, maxime si cum parva custodia relinquantur propter datam fidem non fugiendi: si autem bellum injustum sit, per se possunt fugere, & hostium bona auferre, per accidens tamen hoc neque licet, quia alii concaptivi durius inde tractantur, & plurima incommoda inducentibus oriuntur.

27. Bona capta ab hostibus in prælio justo, cujusnam sunt?

Resp. Bona mobilia sunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut aliqua pars cedat Principi, aut Communitati; tunc enim illa pars segreganda est a capiente; & danda cui competit. Ad hoc ut fiant capientium, duas conditiones addunt Doctores, alteram scilicet ut hostis prædam ad Castrum devexerit, & in tuto posuerit; secus, si dum ab illo asportatur, sit spoliatus, eadem bona prioribus debentur dominis, qui adhuc circa illa suum retinent jus, secunda, ut inter apprehensionem & detentionem viginti quatuor horarum spatium possessionis intercedat, seu saltem una nox; si enim mane Turcæ Christianos spolient, & sero Turcæ deprædentur ab aliis, isti non poterunt illorum Christianorum bona sibi appropriare; possunt tamen bona captorum, quæ nunquam in potestatem domini ventura sunt, emi quocunque vili pretio, ut domino comparenti restituantur.

28. Si Dux prohibeat militibus hostes spoliare, tenenturne illi, qui spoliant, restituere?

Resp. Si Dux prohibeat ob commiserationem infelicium, vel ob conventionem cum illis factam, ut facilius cederent victoribus, rapientes tenentur restituere; si autem prohibeat, ne milites onusti spoliis victorum, minus apti reddantur ad prælium, peccant solum contra debitam obedientiam, & restituere non tenentur. Ita Diana, cui adde; si prohibeat, ut ipse solum cum suis amicis ditetur spoliis victorum, nec peccant contra obedientiam, quia tale præceptum ex motivo avaritiæ est injustum.

29. Cle-

29. Clerici possuntne militare in bello justo?

Resp. Quidquid sit, an Clericis prohibita sit militia de jure divino, sicuti volunt nonnulli colligentes hanc prohibitionem ex verbis Matthæi 26. *Mitte gladium tuum in vaginam*; an etiam de jure naturali, sicuti volunt alii, eo quod Clerici sunt Deo dicati, & illius ministri; quæ tamen non videntur adeo certa, quia si de jure divino, vel naturali militia esset Clerico interdicta, neque Summus Pontifex dispensare posset hoc præceptum; quod tamen est contra quotidianam experientiam: nihilominus certum est ex pluribus Canonibus militiam esse Clericis interdictam sub gravissimis pœnis, scilicet interdicti ab usu Ordinum, reclusionis in Monasterio, & si in bello decedant, privationis Sacrificiorum: hinc Clericus militans, si ab urgenti causa non excusetur, peccat mortaliter.

30. Quænam sunt causæ urgentes excusantes Clericum a culpa, si militet?

Resp. Ex Alario, si bellum sit repentinum, & Clerici necessarii sint ad urbis custodiam, in quo casu non solum possunt, sed etiam tenentur urbem custodire. Secundo ex Cajetano, Clerici bellare possunt in defensionem propriæ vitæ, vel proximi innocentis, & valde utilis Reipublicæ. Item ad defensionem Patriæ contra injustos invasores, ad obtinendam victoriam Ecclesiæ valde utilem: & in istis casibus Mendoza, & Coninch tenent, Clericos per seipsos vulnerantes, & occidentes non fieri irregulares; & Diana superaddit ita tenendum esse, quia talis occisio, aut vulneratio culpabilis non est.

31. Daturne casus, in quo Clerici militare possunt in bello offensivo?

Resp. Cum Maldero, negative, quia bellum offensivum nunquam est adeo necessarium: & casu quo valde necessarium sit, huic provideri potest per laicos.

32. Constituti in Ordinibus minoribus tantum peccantne mortaliter militando offensive, vel defensive sine urgenti necessitate?

Resp.

Resp. Lorca docet *disput.* 51. *numer.* 12. per se non peccare; per accidens tamen peccare possunt, quatenus se exponunt periculo irregularitatis, & inhabilitatis ad proprium officium; & etiamsi beneficiati sint, non peccabunt mortaliter, nisi beneficia postulent residentiam, aut eorum obligationes non impleantur. Si tamen per se ipsos aliquem occidant, vel vulnerent, debent Beneficium resignare, aut dispensationem petere.

33. Clericus dispensatus a Summo Pontifice, ut possit ire ad bellum, sitne irregularis, si aliquem vulneret?

Resp. Cum Alario, negative; nam tunc Pontifex censetur tollere irregularitatem, cum dat licentiam pugnandi, quæ per se conjuncta est cum vulneribus, & occisionibus.

34. Placet hic addere doctrinam Molinæ *tomo* 2. *tract.* 2. *disp.* 110. *concl.* Etiam in casibus, in quibus Clerici in bello justo pugnantes lethaliter peccant, non sunt irregulares, non solum si hortentur ad pugnam, armaque & subsidia præbeant; sed etiam si ipsi aliquos percutiant, & vulnerent; quod aperte colligitur ex capite *petito de homicidio*: & multo magis id valet in laicis; ratio est; quia cum bello justo Ecclesia, & Respublica defendatur, voluit Summus Pontifex eis favere, ac proinde non irretire irregularitate omnes in eo ad homicidium concurrentes, in percutiendo, hortando, & consulendo, &c. quod esset irretire totum exercitum, & homines a justo bello cum magno Ecclesiæ & Reipublicæ damno retardare. Hæc sunt verba Molinæ a Diana citati.

35. Clerici possuntne bello assistere, ut ibi ministeria spiritualia circa animarum salutem exerceant?

Resp. Affirmative; imo hoc charitatis officium, cum sit animarum periclitantium saluti valde utile, laudabile. Neque peccant, aut fiunt irregulares si milites hortentur ad pugnam & animent ad victoriam, imo si hostium occisionem in generali suadeant. Diana tenet licitam quandoque esse suasionem

in

in particulari, quod ego cum Suarez, & pluribus non admitto. Molina vult, Clericos sic assistentes retinere posse quidquid de hostium spoliis acquisiverunt, dummodo Dux non prohibeat; at si constet de contraria Ducis voluntate, restituere debent cui ipse mandat. Melius est, ut ab hoc abstineant, non enim ibi adstant contra hostes, sed in favorem animarum militum decedentium, quibus accurate consulere debent, ne defectu illorum aliqui pereant sine Sacramento Pœnitentiæ, & damnentur, quorum animas Deus e manibus illorum exquiret.

SECTIO III.

De Duello.

1. DUellum, alias monomachia, est pugna duorum, facta ad alicujus rei probationem. Nunc autem, ut cadit sub prohibitione, & aliis pœnis Ecclesiasticis impositis duellantibus a Concilio Tridentino, & a Bullis Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VII. est pugna duorum, aut plurium cum periculo mortis, aut vulnerationis gravis, ex illicito fine, & ex condicto assumpta. Differt a simplici rixa, quia hæc non fit ex condicto, sed ex subito, & improviso casu. Differt a bello, quod non fit inter duas, aut plures privatas personas, sed inter multitudinem hominum, publicam potestatem repræsentantium.

2. Sub quibusnam pœnis prohibitum est duellum?

Resp. Sub pœna excommunicationis majoris, quæ afficit primo provocantes ad duellum, & duellantes; secundo, superiores temporales concedentes locum ad duellum: tertio, patrinos, consulentes, suadentes, spectatores. Nomine spectatorum non veniunt illi, qui casu transeuntes per locum, ubi fit duellum, illud videant; sed illi, qui consulto veniunt, ut intersint duello, tanquam socii, & comites, aut etiam qui ex professo accedunt, ut illud videant, licet

tantum ex curiositate, non vero animo adjuvandi; aut consulendi super hoc. Hæc excommunicatio ex vi Concilii nulli est reservata; sed per subsequentia decreta Pontificia excommunicationes ex duello reservatæ sunt Summo Pontifici, ita ut ex Gregorio XIII. non possint tolli neque ab habentibus casus Papales extra Urbem; & per hanc excommunicantur primo duellantes, etiam privatim sine patrinis; secundo Principes permittentes, & non prohibentes, insuper faventes, & non punientes; tertio, fautores, adhærentes, portantes chartas duelli, subscribentes, affigentes, publicantes, dictantes, componentes, mittentes, deferentes, divulgantes, vel imprimentes, vel etiam solo verbo denuntiantes, consilium, & favorem præbentes; & in dictam excommunicationem omnes supra enumerati incidunt, etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserant, impediti, pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quin committatur.

3. Si accedentes ad locum, ubi pugnare debent, impediti sint a duello, incurruntne in prædictam excommunicationem ratione illius particulæ: *Si per ipsos non steterit, quin committatur?*

Resp. Ex Alario *verbo Duello n.* 7. qui sic distinguit; Si duellantes, dum pergunt ad locum designatum pro duello, impediuntur taliter, ut neque pugnent, neque perveniant ad locum, non incidunt in excommunicationem latam a Gregorio XIII. quia utrumque copulative exigit, ut accedant ad locum, & per ipsos non stet, quod pugnent: comitantes autem ad locum, licet ad ipsum non perveniant, incidunt. Ita laudatus Doctor, qui citat pro se Sanchez, & Comitol. contra Grassium, qui contrarium tenet tam pro principalibus, quam pro comitantibus. Adverte, neque comitantes incidere in excommunicationem, si etiam ipsi addantur prohibentibus; & suadeant non pugnare, & vere pugnatum non sit.

4. Si altera tantum pars perveniat ad locum pugnæ, inciditne in excommunicationem?

Resp. Ex Alario num. 8. non incidit, quia Bulla Gre-

Gregorii XIII. cum loquatur pluraliter, requirit utriusque partis accessum; neque, cum simus in pœnalibus, verba Bullæ extendenda sunt, & amplianda.

5. Si duo existentes in Palatio publico, vel in Ecclesia, aliquid controversiæ habeant, & ob reverentiam loci invitent se ad pugnandum extra illum locum, incidùntne in pœnas duellantium?

Resp. Negative, quia hic proprie non intercedit condictum; & talis pugna moraliter non censetur duellum, sed subita rixa, propter modicum tempus, quod intercedit inter controversiam, & pugnam. Neque etiam duelli pœnas incurrit, qui videns inimicum venientem armatum contra se, divertit ad se armandum, & postea revertitur ad pugnam.

6. Quænam conditiones requiruntur ad hoc, ut pugna particularis sit proprie duellum?

Resp. Ex Alario num. 3. requiruntur copulative istæ duæ, nempe assignatio loci, & temporis, neque una sine altera sufficit. Hinc ab ipso *sub eodem numero* sequentes casus resolvuntur. Non incidunt in pœnas duellantium, qui in calore iracundiæ se invitant ad pugnandum, & statim accedunt ad aliquem locum, ubi pugnent; hæc enim videtur potius rixa, quam duellum; Secus si animo deliberato statuant locum, & tempus præliandi, licet parva mora intercedat inter rixam, & pugnam. Nec milites ad invicem in castris pugnantes, vel alii ob privatas inimicitias, se invitantes ad pugnandum ubicunque se invenerint. Neque obviam se habentes, qui provocaverunt se ad talem locum, quia in istis casibus repentinis, vel deficit assignatio temporis, vel assignatio loci. Non est tamen audiendus Azorius, qui superaddit alteram conditionem, scilicet ad rationem duelli requiri, quod intercedat condictum gratia probandæ veritatis, aut criminis purgandi: Hinc per ipsum, duellum non est pugna, quæ fit odii, vel vindictæ, vel dissidii causa: quam sententiam merito rejiciunt Sanchez, & Alarius.

7. Potestne Dux exercitus convenire cum hoste,

 & quos-

& quosdam ad singulare certamen mittere cum assignatione loci, & temporis?

Resp. Sanchez vult, si hoc non fiat ad vanam virium ostentationem, sed ad conservandam æstimationem exercitus apud hostes, eosque debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minori incommodo, esse licitum. Homobonus, cujus sententia mihi videtur melior, negat, quia licet hæc pugna fiat auctoritate publica, habet tamen speciem quandam dueli: & ex qualibet parte sequatur victoria, nulla inde sequitur magna utilitas in Republica, sed pura vanagloria. Ad casum Davidis, qui solet adduci ab Adversariis, respondetur ex Divo Augustino. Davidem habuisse specialem revelationem, & mandatum a Deo hujus certaminis; secus fuisset velle tentare Deum, juvenem imbellem suscipere sic incaute pugnam adeo gravem.

8. Estne quandoque licitum acceptare duellum privatum?

Resp. Sequentes casus excusare acceptationem: primo, si quis alias te occisurus, itaut ab ejus manibus evadere nullatenus possis, concedat electionem duelli, ut fortunam experiaris: in hac enim circumstantia pugnare in duello est tantum se defendere modo unico sibi possibili; quod est de jure naturæ. Secundo, si Judex duos ad mortem damnatos, vellet duello tentare alterutrius sortem, quia tunc ex Trullo a potestate publica alter alterius esset minister justitiæ constitutus. Addunt Layman, Hurtadus, Lessius, & Navarra, si vir nobilis in Aula Regia, vel militaris in Castris provocatus ad præliandum sisteret se meræ defensionis gratia cum animo prævalendi, privandus alioquin ob suspicionem ignaviæ dignitate, officio, vel favore Principis; Prædicti auctores vel excusant, vel non audent eum damnare.

9. Potestne generaliter ad evitandam ignominiam acceptari duellum?

Resp. Negative, quia duellum, ex Cajetano, Alario, Sanchez, Azorio, ad evitandam ignominiam

niam est nedum prohibitum, sed malum ex suo genere perniciosum: Adde, quod apud bonos, & prudentes homines recusans duellum tot legibus prohibitum, tot excommunicationibus damnatum, nullum patitur detrimentum in honore. Immo neque apud alios, si provocanti dicat, se illum non æstimare dignum, cum quo pugnet contra tot leges divinas, & humanas, interim se libere iturum per quascunque vias, paratum contra quemvis invasorem armis se defendere, & tueri.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

SECTIO IV.

De Scandalo.

1. QUid est Scandalum?

Resp. Est occasio ruinæ spiritualis proximi, scilicet cum quis exemplo, aut verbo, alium inducit ad peccandum. Dividitur in activum, & passivum. Scandalum activum dividitur in per se intentum, cum quis scilicet advertens alium trahi ad peccatum ex suo pravo exemplo, hoc idem facit, vel dicit, ut illum ducat ad peccandum: & per se non intentum, cum quis advertens alium trahi ad peccatum, facit hoc idem ex suo beneplacito, non tamen ut illum trahat ad culpam. Utrumque est peccatum mortale, vel veniale, juxta qualitatem culpæ, ad quam proximum inducit. Scandalum passivum est, quo quis sumit occasionem peccandi ex opere alterius licito, vel si illicitum sit, non tamen habuit sufficientem connexionem cum ruina spirituali alterius: ut si quis videns ægrotum manducare carnes die Veneris

cum aliquo excessu, sumeret occasionem manducandi carnes.

2. Teneturne advertens proximum sumpturum occasionem peccandi ex ejus opere, ab eo abstinere?

Resp. Si opus sibi licitum sit, non tenetur ex justitia abstinere ab illo, maxime si abstinentia sit illi valde gravis; cum parvo incommodo tenetur ex charitate abstinere, ne offendantur pusilli.

3. Qui commisit peccatum scandali activi, tenetur restaurare damnum causatum in proximo, vel corrigendo, & monendo, vel bonis exemplis inducendo ad bonum. Cum quis tamen advertit, ex actione sua valde turpi, proximum excitari ad illam potius odio habendam, quam imitandam, ad nihil tenetur, quia nullum illi damnum intulit.

CAPUT VI.

De sexto Præcepto, Non mœchaberis.

Sectio I. *De Cogitatione, & desiderio turpi.*
Sectio II. *De Actibus impudicis.*

HOc præcepto prohibetur omne peccatum, quod est contra virtutem castitatis, contra quam, quia quis potest peccare cogitationibus, desideriis, aspectu, verbis, lectionibus, vestimentis, osculis, tactibus, & actibus impudicis: de his omnibus breviter dicam, complectens etiam obligationes noni Præcepti: *Non concupisces uxorem proximi tui.*

SECTIO I.

De Cogitatione, & desiderio turpi.

1. QUid est delectatio morosa?

Resp. Est voluntaria, & deliberata complacentia in re turpi, sine ordine ad opus. Ejus malitia consistit in eo, quod sit principium excitans

motus

motus inordinatos contra virtutem temperantiæ, & habet pro objecto delectationem repugnantem legi divinæ, & honestati. Dicitur morosa, non quia de essentia petat durare ad longum tempus; sed quia solet ut plurimum diu durare, si sit voluntaria, & deliberata. Hinc longa duratio pro scrupulosis poterit esse signum deliberati consensus, & plenæ voluntarietatis. Secus etiam in instanti, si sit plena deliberatio, poterit ejus malitia compleri. Si enim bene consideretur significatio & essentia nominis, proculdubio constat, quod delectatio dicitur morosa, quia quiescit, & moratur in delectatione mentis, tanquam in fine ultimo, non ordinando illam ad ulteriorem actum.

2. Differuntne specie inter se delectationes morosæ?

Resp. Sunt omnes ejusdem speciei, quia delectatio non habet malitiam ab opere, a quo præscindit, sed ab illa affectione carnali procedente a vitio luxuriæ; ita Bonacina, qui putat sufficere in Confessione dicere: Habui cogitationes turpes, in quibus fui delectatus voluntarie, & deliberate, sine intentione eas exequendi. Non desunt Auctores, qui putant, delectationes morosas circa objecta diversa esse etiam diversæ speciei: alii vero distinguunt, & dicunt, circa fœminas, esse ejusdem speciei, quia præscindunt ab opere, proinde a qualitate personæ uxoratæ, vel liberæ, vel virginis. Delectationes vero circa masculos, vel bestias, esse diversæ speciei ab illis circa fœminas, adeoque necessario exprimendas in Confessione. Hæc sententia in praxi videtur tutior, & magis usitata: non dimitterem tamen inabsolutum pœnitentem, qui ex verecundia renueret explicare objectum, circa quod delectatus est.

3. Quale peccatum est delectatio morosa?

Resp. Est peccatum mortale: potest tamen quandoque esse tantum veniale ratione indeliberationis voluntatis, & semiplenæ advertentiæ, ut evenire solet in motibus subrepticiis, in quibus intellectus instantanee perturbatus non reflectit, & voluntas non

habet tempus plene deliberandi; & ideo dicuntur motus isti subreptitii, quia sensus prævenit rationem.

4. Poteſtne vidua delectari de cogitatione voluptatis, quam vivente viro capiebat in matrimonio?

Resp. Si vidua in abstracto præcise lætetur se percepisse delectationes matrimoniales, non erit peccatum lethale: si vero repetat memoria actiones præteritas, ac si essent præsentes, cum hoc non possit fieri sine excitatione motuum sensualium, talis delectatio, si sit voluntarie deliberata, erit illicita, & peccatum mortale.

5. Quid est desiderium mortale?

Resp. Est actus voluntatis, quo quis deliberate cupit exequi, & facere actum inhonestum. Ejus malitia cum oriatur ab opere, quod quis paratus est facere, juxta diversitatem operum exequendorum est etiam specie diversa: proinde aperiendum erit integre & fideliter objectum desiderii.

6. Quale peccatum est aspicere impudice mulierem?

Resp. Si dicti aspectus sint ex levitate animi, vel curiositate, sunt peccatum veniale, eo quia quis male sensuum externorum custodiam gerit: si autem sint ob malum finem, vel cum periculo proximo pravi desiderii, aut pollutionis, tunc voluntarie se exponens periculo proximo peccandi, peccat lethaliter. Immo volunt nonnulli apud Homobonum: quod aspiciens teneatur etiam aperire qualitatem personæ, quam malitiose aspexit, eo quia est actus externus, qui specificatur ab objecto externo.

7. Quale peccatum est legere, audire, vel loqui verba inhonesta?

Resp. Tripliciter possunt hæc fieri: primo, ex necessitate, ut Medici, Chirurgi, Confessarii, qui ratione officii tenentur hæc scire: proinde audiendo, legendo, & loquendo in istis casibus non peccant, maxime si hoc faciant cum derisu, & nausea. Secundo, ex curiositate, & levitate, sine fine percipiendi delectationem carnalem, sed ex vana licentia, & complacentia jocandi; & tunc est tantum veniale: ex

le: ex Sanchez, & Bonacina, & aliis; negante Patre Bauni, qui vult esse lethale. Advertendum tamen est, quod frequentia harum actionum vix potest esse sine peccato lethali ratione periculi consensus ad ulteriora, & ratione scandali audientium, & ratione pravorum affectuum, qui inde solent excitari. Tertio, ex motivo libidinis ad percipiendam inde delectationem carnalem; & in hoc casu ratione finis adeo turpis & illiciti sunt peccatum lethale.

8. Teneturne quis dicere circumstantiam personæ, de qua delectatus est legendo, audiendo, vel discurrendo de turpibus?

Resp. Ex Sanchez, affirmative, quia actus iste externus sumit malitiam ab objecto, sicuti tactus, aspectus, & similes aliæ actiones malæ exteriores ab objecto: ergo specie diversa sumunt etiam malitiam specie diversam.

9. Peccatne contra castitatem, qui vestit se vestibus valde ornatis, augentibus decorem vultus?

Resp. Si vestiat se vestibus pretiosis, & etiam studio & arte dispositis ad augendam pulchritudinem, crispando crines, aspergendo eos pulvere odorifero, & similibus sine fine turpi, sed per solam vanam complacentiam habitus, ex Homobono est peccatum veniale, quia lædit læviter Christianam gravitatem, moderationem, & modestiam: si autem se ornet ex turpi, & inhonesto fine, tunc dubium non est, juxta qualitatem finis illum peccare. Hic solum notandum, quòd si vestes adeo pretiosæ sint, ut ratione hujus luxus nequeat satisfacere creditoribus, aut aliud notabile debitum justitiæ adimplere, erit peccatum mortale.

10. Honesta fœmina potestne vestire se vestibus pretiosis juxta ejus conditionem, etiamsi sciat aliquos juvenes inde ad luxuriam excitandos esse?

Resp. Affirmative; utitur enim jure suo, neque sic se vestiendo intendit ruinam spiritualem proximi, sed incedere juxta conditionem, & statum; non debet ergo ex malitia alterius privari hoc commodo. Adverte tamen, quod si forma vestimentorum

fit de se provocativa ad libidinem, eò quia nimis denudet pectus, potest nunc fœmina habens bonam intentionem peccare, quia ad hujusmodi vestitum inhonestum nullum habet jus honesta fœmina.

11. Osculari aliquam personam diversi sexus estne peccatum?

Resp. In locis ubi viget hæc consuetudo tanquam urbanitas usualis regionis, si hæc fiant ex amicitia, nullum est peccatum: si quandoque ex motivo levitatis, jocando, & ridendo, licet Pater Bauni velit esse peccatum mortale, tamen si nulla major ingrediatur malitia, existimo esse tantum veniale: si fiant ex turpi fine, ubicunque fiunt, erit lethale.

12. Potestne mulier in locis, ubi viget consuetudo, consentire osculo, quod apparenter datur ex urbanitate, ipsa tamen cognoscit procedere ex malo fine?

Resp. In publico tenetur illud permittere ad evitandum scandalum; in privato nequit illud permittere, ut cooperetur turpitudini: in dubio num intentio sit recta, necne, potest permittere; in dubio enim debent operationem proximi in meliorem partem interpretari.

13. Tactus impudici suntne peccatum?

Resp. Tactus partium impudicarum inter personas diversi sexus, nisi fiant ex necessitate, sunt peccatum mortale propter delectationem carnalem, quæ inde ex natura sua consurgit, & ex propria intrinseca malitia: dico, partium impudicarum; secus si quis ex levitate superficialiter tangat manum, vel faciem mulieris, ludendo, non est tam cito damnandus culpa lethali, si absit finis libidinis. Cum autem quis tangit inhoneste mulierem, tenetur aperire, ut dixi, qualitatem personæ; quia hoc peccatum consistit in actu externo, qui specificatur ab objecto.

Tro-

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

SECTIO II.

De actibus impudicis.

1. QUot sunt species actuum contra castitatem? *Resp.* Septem, scilicet fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam, quod subdividitur in quatuor alias species, quæ sunt mollities, inordinatus concubitus, sodomia, bestialitas.

2. Quid est fornicatio?

Resp. Est illicitus concubitus liberi cum libera in vase naturali. Dicitur liberi cum libera, hoc est personarum solutarum a Matrimonio tum rato, tum consummato. De fide est, fornicationem esse peccatum mortale, cum D. Paulus doceat: *Neque fornicarii regnum Dei possidebunt*. Ratio esse potest, quia fornicatio cum nullum habeat finem, nisi delectationem carnalem, nequit esse licita.

3. Hoc peccatum si sit habituale, retinetne idem nomen?

Resp. Si sit habitualis fornicatio cum una tantum, quam quis domi retineat, vel habeat in alio loco determinato ad sui dispositionem, dicitur concubinatus; si sit cum pluribus indeterminate, dicitur concubinatus vagus. Concubinatus est ergo copula frequens, & illicita cum fœmina, quam quis retinet in propria potestate, ac si esset uxor. Concubinarius non est absolvendus, nisi prius dimissa concu-

bina, ostendat vera signa pœnitentiæ: & si sæpe hoc fecerit, & tamen redierit ad idem peccatum, probandus est per suspensionem absolutionis, & injunctionem aliarum pœnitentiarum salutarium judicio prudentis Confessarii.

4. Teneturne quis aperire in Confessione oscula, & tactus antecedentes, & subsequentes fornicationem?

Resp. Negative, quia sunt dispositiones cum actu fornicario, cointegrantes unum actum totalem; nisi ergo dicti actus fuerint longa mora taliter interrupti, ut nequeant prudenter existimari partes initiativæ, vel terminativæ, non indigent separatim aperiri in Confessione. Idem est de desiderio fornicandi, quod nisi fuerit interruptum, vel voluntate contraria, vel oblivione, non facit nisi unicum peccatum cum actu fornicario: si vero interruptum est, tot multiplicat peccata, quot fuerunt interruptiones, & reiterationes desideriorum, adeoque id aperiendum erit in Confessione. Adverte etiam, quod si desiderium voluntate contraria non interruptum duret ad longum tempus, puta per hebdomadam, hæc temporis longitudo aperienda est.

5. Si fornicator peccavit cum muliere non parata ad peccandum, sed ab ipso disposita, teneturne hoc aperire?

Resp. Affirmative, quia non solum est peccatum luxuriæ oppositum temperantiæ, & castitati, sed etiam scandali, & ruinæ spiritualis proximi, oppositæ charitati.

6. Quid est stuprum?

Resp. Est defloratio puellæ virginis, per fractionem claustri virginalis; habet ergo peccatum hoc, ultra communem malitiam cum fornicatione, quod sit gravis injuria puellæ, cujus virginitas aufertur.

7. Deflorare virginem consentientem, estne peccatum stupri, an simplicis fornicationis?

Resp. Utraque sententia est probabilis, & quidem quantum ad stuprum, quia etiamsi virgo consentiat, tamen

tamen tollere virginitatem habet specialem malitiam; oppositam bono speciali integritatis; quantum ad simplicem fornicationem, habet etiam suas rationes, quia volenti & consentienti nulla fit injuria. Hoc certum est, quod si quis defloravit virginem volentem, & libere consentientem, consensu scilicet non extorto vi, & fraude, timore, vel deceptione, non tenetur eam dotare, esto enim stuprum differat a fornicatione, non ideo reducitur ad injustitiam tali casu, ratione cujus teneatur restituere, & recompensare damna: ad summum tenebitur hoc facere ad evitanda mala subsequentia, quibus ipse initium dedit, quæ obligatio est puræ charitatis. Si quis vero defloravit fraude, aut vi, aut promittendo se ducturum in uxorem, tenetur eam ducere, nisi sit magna disparitas inter personas, unde timeantur gravia damna ex tali matrimonio: & in tali casu sufficiet compensare damnum, eam congrue dotando, & procurando, ut nubat pari.

8. Amissio virginitatis ex parte viri estne stuprum?

Resp. Negative, quia non est speciale signaculum virginitatis in viris, sicuti in fœminis: sicut ergo primo peccans cum virginibus, & non frangens virginitatis signaculum, ejus peccatum non est proprie stuprum; ita in viris prima amissio virginitatis reducitur ad unam vel alteram speciem contra castitatem, juxta modum, quo contrahit ejus malitiam peccando.

9. Quid est adulterium.

Resp. Est peccatum luxuriæ, per quod persona conjugata violat fidem conjugalem datam alteri parti, contaminando, & participando alteri thorum conjugalem. Hinc hoc peccatum habet duplicem malitiam, alteram luxuriæ oppositam castitati, alteram injustitiæ contra datam fidem. Potest hoc peccatum tripliciter committi; primo, si culpa fiat inter conjugatum, & conjugatam; secundo, si sit copula liberi cum conjugata; tertio, si conjugatæ cum libero. In primo casu committitur duplex injustitia; & ideo in adulterio qualitas personæ est aperienda

Con-

Confessario quoad utrunque complicem. Sufficit ad hoc peccatum matrimonium ratum, sive adulteri, sive adulteræ, non autem sufficiunt sponsalia. Volunt aliqui, quod habere rem cum sponsa inducat etiam speciem injustitiæ, eo quia per deflorationem sponsa fit notabiliter vilior; non tamen tale peccatum ideo reducendum erit proprie ad adulterium, quod respicit injuriam factam conjugatis, non vero simpliciter desponsatis & promissis.

10. Quænam pœna debetur adulteris?

Resp. In foro fori debetur pœna mortis, maxime si adultera sit fœmina; in foro conscientiæ amittit jus petendi debitum matrimoniale, non autem reddendi. Potest insuper vir ratione adulterii separare thorum, & includere in Monasterio uxorem, nisi tamen consenserit ejus adulterio, quod est gravissimum peccatum. Adulterium fœminæ est gravius adulterio viri, non solum quia in hominum æstimatione ex hoc sequitur infamia, non autem ex illo viri: sed etiam quia reddit nimis incertam prolem.

11. Adultera, quæ ex alieno semine concepit filium, teneturne crimen suum revelare, ne noceat legitimis hæredibus?

Resp. Negative, quia nemo tenetur prodere se ipsum, & aperire tam grave crimen, ex quo resultat infamia, & periculum vitæ, etiam sine spe fructus, quia nec filius spurius, nec maritus tenentur hoc credere; si autem spes sit, quod credatur, & nullum subsit periculum, neque vitæ, neque honoris, puta quia jam sit malæ famæ, tenetur omnino revelare. Ordinarie ergo loquendo, tenetur adultera aliis viis, si potest, compensare damna legitimorum, ad quod etiam tenetur adulter.

12. Quid est incestus?

Resp. Est peccatum luxuriæ commissum cum copula in vase naturali inter propinquos, seu conjunctos in gradibus prohibitis consanguinitatis, vel affinitatis. Ejus malitia consistit in irreverentia facta sanguini, ac naturæ, quæ dictat reverentiam præstandam propinquis, inter quos ideo matrimonia

sunt

sunt prohibita. Licet incestus proprie sit solum inter marem, & fœminam in vase naturali; tamen etiamsi sit in alio non naturali, vel inter mares, probabile est, circumstantiam consanguinitatis, vel affinitatis aperiendam esse in Confessione, quia habet specialem malitiam irreverentiæ præstitæ proprio sanguini.

13. Estne necessarium exprimere in Confessione gradum, intra quem commissus fuit incestus?

Resp. Aliqui putant non esse necessarium, cum omnes incestus sint ejusdem speciei, eo quia omnes opponuntur eidem virtuti, scilicet reverentiæ debitæ propinquis: hinc, si quis confiteatur habenti auctoritatem absolvendi a quolibet incestu, sufficit dicere; Commisi incestum cum libera, vel cum conjugata; quod existimat probabile Bertau in casu, quo quis nequeat incestum in primo gradu, inter fratrem, & sororem, aperire Confessario, nisi detegendo complicem, quam Confessarius cognoscit, reservando confiteri hoc apertius alteri, illam non cognoscenti. Verum probabilius est, incestus in primo gradu consanguinitatis specie differre ab aliis, cum copula in hoc gradu habeat horrorem adeo specialem naturæ adversantem, ut Pontifex in hoc nunquam dispensaverit matrimonium. Immo communiter tenetur, incestus cum consanguineis specie differre ab incestibus cum affinibus, & incestus nedum in primo, sed etiam in secundo gradu, specie differre ab incestibus in tertio, & quarto gradu. Hinc incestuosus, ut bene consulat conscientiæ suæ, debet exprimere gradum consanguinitatis, vel affinitatis, in quo commisit incestum. Insuper incestuosus cum consanguinea conjugis potest tantum reddere, non autem petere debitum propter contractam affinitatem cum sua uxore. Debet ergo prius petere dispensationem, vel ab Episcopo, vel a Confessariis privilegiatis, uti sunt habentes privilegia Mendicantium.

11. Quid est raptus?

Resp. Est peccatum, quo quis abducit puellam invi-

invitam a domo sua, vel ab illa parentum, aut eorum, in quorum cura est, ad fornicandum, aut ad matrimonium ineundum. Ejus malitia consistit in violentia, quæ infertur; unde ratione gravitatis est impedimentum dirimens matrimonium. Est etiam raptus, si quis rapiat uxorem suam invitam, volentem uti privilegio Canonis, scilicet quadraginta dierum propter electionem status virginalis claustralis.

15. Quid est sacrilegium?

Resp. Est peccatum luxuriæ commissum cum persona Deo consecrata, vel per Ordinem, vel per Religionem, vel per votum simplex castitatis; aut commissum in loco sacro, puta Ecclesia, vel Cœmeterio. Ejus malitia consistit in irreverentia, quæ fit Deo, dum polluitur persona, vel locus Deo dicatus. Hinc si sit inter duas personas Deo dicatas, & in loco sacro, multiplex erit peccatum, ratione multiplicis irreverentiæ; adeoque circumstantia hæc est necessario exprimenda in Confessione. Oscula, tactus, aut quid simile redolens impuritatem externam, facta cum persona Deo dicata, aut etiam in loco sacro, sunt sacrilegium: opponuntur enim virtuti Religionis.

16. Habens rem cum uxore propria in loco sacro, peccatne sacrilege?

Resp. Si longo tempore cogeretur esse in loco sacro, puta, vel quia habuit refugium ratione delicti, vel alia de causa, potest sine sacrilegio uti matrimonio ad evitandam incontinentiam; tales enim actus in hac circumstantia nullam faciunt injuriam loco, & Deus est magis invitus de incontinentia, quam de actu matrimoniali.

17. Quid est prima species peccati contra naturam?

Resp. Cum peccatum contra naturam sit actus libidinosus extra, aut contra modum a natura institutum ad generandum, ejus prima species est mollities, quæ est voluntaria seminis effusio extra omne vas. Et potest etiam induere speciem aliam libidinis, si quis polluendo se cogitet aliquem alium

actum

actum inhonestum, ita de eo se delectando, ac si illum perpetraret, vel desiderando eum committere, si posset. Unde in Confessione tenetur quis aperire, nedum pollutionem, verum etiam qualitatem personæ, & actus, qui in mente volvebatur inter peccandum. Si etiam quis adhibeat pro hac culpa complicem, tenetur etiam qualitatem personæ adhibitæ explicare, quia hæc variat speciem delicti, cooperando actui inhonesto, & dando illi impulsum ad desideria similiter inhonesta. Malitia hujus peccati consistit in dispersione seminis, ordinati a natura ad generandum: & est peccatum gravissimum.

18. Si quis dormiendo hanc patitur impuritatem, peccatne?

Resp. Negative, quia effusio non est voluntaria; nisi forte quis vigilans eam procurasset, & dedisset illi voluntariam causam, aut expergefactus consentiret delectationi, quæ inde consurgit. Sentire tamen tunc aliquam delectationem, non est peccatum, quia videtur inpræscindibilis ab actu, & impediri non posse.

19. Confessarius debetne denegare absolutionem juveni qui frequenter cadit in hoc peccatum?

Resp. Si videat signa pœnitentiæ, & propositum emendationis, nequaquam; nam quamvis occasio hæc sit proxima, non tamen est voluntaria, neque quis potest eam amputare: injungat ergo salutares pœnitentias, eum severe objurget, & si nulla sit spes emendationis, deneget postea absolutionem; ita Bonacina, Coninch, & alii.

20. Adverte: quod si alicui danti operam rei licitæ, puta Confessario suscipienti Confessionem, vel Medicis, & Chirurgis eorum officia exercentibus, aut legenti ex necessitate materias istas lubricas, aut equitanti in itinere accidat pollutio, hæc utpote involuntaria nullum erit peccatum: & eodem modo de ea discurrendum est, sicuti de nocturna, quæ fieri potest peccaminosa per posteriorem delectationem, & consensum.

21. Quid est inordinatus concubitus?

Resp. Est modus extraordinarius habendi copulam, qui in duobus casibus est peccatum lethale: primo, si seminis effusio accidat extra vas: secundo, si sit impeditivus prolis. Circa hos duos casus, est tantum veniale, & quandoque nullum est peccatum, si necessitas ita exigat, ut in prægnantibus.

22. Quid est Sodomia?

Resp. Stricte accepta est actus libidinosus consummatus inter masculos in vase non naturali; large accepta, est actus libidinosus consummatus cum fœmina item in vase non naturali, vel etiam inordinatus concubitus, & coitus fœminæ cum fœmina in vase non naturali. Adverte ad verba *consummatus*; nam si effusio seminis fiat extra vas, tunc sodomia est imperfecta; & ut plurimum non cadit sub reservatione; nisi hoc specificetur ab Episcopis.

23. Quid est bestialitas?

Resp. Est coitus hominis cum bestiis; & probabile est specie differre, si bestia sit mas, vel fœmina. Ad hanc speciem etiam reducitur coitus hominis cum Dæmone, sive incubo, sive succubo; quia hic revera non habet corpus reale humanum, sed apparens, & assumptum.

Propositiones damnatæ, ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens, Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Ab INNOCENTIO XI. 48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere mali-

malitiam, & solum esse malam, quia interdictam; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

CAPUT VII.

De septimo & decimo Præcepto, Non furaberis, & Non concupisces bona proximi tui.

Sectio I. *De Furto.*
Sectio II. *De Restitutione.*
Sectio III. *De Usura.*
Sectio IV. *De aliis Contractibus.*
Sectio V. *De Venditione.*
Sectio VI. *De Eleemosyna.*
Sectio VII. *De correctione fraterna.*

Complectitur hoc præceptum omnia, quæ de Furto, de Restitutione resarcitiva furti, de Avaritia, Mutuo usurario, & fraudibus, quæ circa contractus occurrunt. Directe igitur hoc præcepto prohibetur ablatio rei alienæ, eam sibi appropriando; indirecte omne damnum, quod fit proximo in bonis fortunæ, diripiendo, devastando, aliisque modis minorando alterius rem familiarem.

SECTIO I.

De Furto.

1. Quid est Furtum?

Resp. Est ablatio rei alienæ invito domino occulte, & sine violentia. Sic enim transit furtum ad ra-

ad rapinam. Furtum etiam est injusta detentio rei alienæ invito domino. Malitia hujus peccati consistit in fractione justitiæ, quæ dictat dari unicuique quod suum est. Hinc ad rationem furti requiritur, quod dominus sit invitus; nam si aliquid acciperetur occulte, ut nummi ad ludendum, ab uxore, vel a filiis, discrete e peculio Patris surrepti, non sunt furtum, quia dominus est rationabiliter potius invitus de modo, quo surripiuntur quam de re. In dubio an dominus foret invitus, non debent bona surripi, nec retineri, quia generaliter nemo præsumitur velle spoliari re sua.

2. Quænam quantitas accepta constituit furtum lethale?

Resp. Alii voluerunt julium unum, alii duo, alii vero in divitibus usque ad sex, & in Principibus usque ad duo aurea extendi quantitatem, quæ constituit furtum lethale, illud extrahendo a parvitate materiæ. Mihi vero videtur, si persona non sit ex pauperibus, neque ex divitibus, sed status medii, tres Julios esse summam constituentem offensam gravem lethalem; nam tres julii sufficiunt ad comparandum multa pro statu cujuscunquæ personæ; si ergo surripiantur, fit illis gravis injuria.

3. Furari pauca per plures vices estne peccatum lethale?

Resp. Vel quis furatur pauca cum animo furandi plura, si se offerant; & tunc utique est peccatum mortale; nam animus, & desiderium committendi gravem offensam in quacunque materia est semper culpa mortalis. Vel sine animo furandi plura, & tunc, qnando quis pervenit ad summam notabilem, peccat mortaliter, non quia plura venialia constituant unum lethale, sed ratione injustæ detentionis rei alienæ, quæ constituit peccatum lethale. Hinc illi, qui injusto pondere vendunt merces, quando perveniunt ad quantitatem notabilem damnificativam proximi, peccant lethaliter.

4. Quando quis furatur summam venialem illi;

su-

cujus jam detinet ſummam accedentem ad peccatum mortale, peccatne mortaliter?

Reſp. Cum Sanchez, & Bonacina, affirmative, quia furans ſummam venialem habet animum detinendi ſummam notabilem, eamque gravandi parvis furtis ſubſequentibus. Hic ratione hujus deſiderii peccat mortaliter. Poteſt etiam dici, quod ex hac continuatione furtorum in ſe venialium reddit ſe magis impotentem, & difficilem ad reſtituendum, adeoque peccat mortaliter contra obligationem, quam habet procurandi reſtitutionem.

5. Quando plures furati ſunt ſummam notabilem, ſinguli tamen per parva furta, peccaveruntne mortaliter?

Reſp. Vel omnes unitim & collective conſpirati ſunt ad furandum, vel ſinguli abſque ulla unione furati ſunt: ſi omnes unitim, utique peccaverunt lethaliter, quia ſic conſtituunt unam cauſam totalem gravis damni: ſi ſinguli diviſim, nequaquam, illa enim unio plurium fuit caſualis, & damnum grave a nullo fuit intentum, & deſideratum: ſed ſinguli tantum ad ſuam portionem reſpexerunt.

6. Si quis furatus eſt ſummam notabilem, ſufficitne dicere in Confeſſione, Abſtuli ſummam notabilem, an vero tenetur dicere quantitatem valoris rei ablatæ?

Reſp. Tenetur dicere quantitatem valoris, ad hoc ut Confeſſarius habeat notitiam ſui criminis; diverſum enim eſt in re & hominum exiſtimatione furari centum aureos, a furto decem millium aureorum. Adde cum Bonacina, quantitatem furti conſtituere peccatum in individuo: cum ergo teneatur quis dicere peccata in ſpecie, & in individuo, tenetur etiam dicere, & ſpecificare quantitatem rei ablatæ.

7. Teneturne quis exprimere in Confeſſione quantitatem temporis, quo retinuit apud ſe rem alienam?

Reſp. Si habuit commoditatem reſtituendi, tenetur; nam potens reſtituere, & non reſtituens, ſemper damnificat proximum, & etiam dum dormit, peccat,

peccat, ut vult Leſſius; non quod eo tunc affective committat culpam, patet enim in dormiente rationem cum paſſionibus ſuis eſſe impeditam, ſed effective, quia effectus ſuæ injuſtæ detentionis perſeverat adhuc eo dormiente, tanquam executio ſuæ malæ voluntatis.

8. Extrema neceſſitas excuſatne a furto?

Resp. Affirmative, nam in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, quia diviſio introducta non poteſt præjudicare juri naturali, quod quis habet providendi ſibi neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem. Adverte, neceſſitatem debere eſſe extremam, in qua nullo alio modo poſſit quis ſibi conſulere, quam ſurripiendo. Neque tunc debet plus ſurripere, quam dicta extrema neceſſitas poſtulet. Finita extrema neceſſitate, ſi quis evadat dives, non tenetur reſtituere, quia non uſurpavit alienum, ſed ſuum.

9. Poteſtne quis ſibi occulte compenſare pro damno paſſo ab altero?

Resp. Compenſationem eſſe licitam, cum quis aliter non poteſt eſſe ſatisfactus, vel non poſſet habere ſuum, niſi cum maxima difficultate, tricis, litibus, perſecutionibus, & laboribus, tunc enim occulta compenſatione providet ſibi, & fugit magna incommoda. Si autem cum facilitate, vel etiam cum aliqua difficultate, & incommodo levi poteſt habere ſuum creditum, nequit ſe occulte compenſare, quia nemo eſt judex in propria cauſa. Advertendum eſt, tres eſſe conditiones juſtæ & licitæ compenſationis, nempe certitudo debiti, æqualitas, & gravis difficultas habendi id, quod eſt ipſi ex juſtitia debitum. Hinc in dubio credi nequit quis ſe compenſare acceptione certa. In ſecundo, debet æqualitatem ſervare, non ſurripiendo plus, quam poſtulet ejus creditum certum. Dixi, ex juſtitia; nam ſi aliquid debeatur ſolum ex congruitate, & æquitate, non datur locus compenſationi.

Pro-

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ, domestici possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

SECTIO II.

De Restitutione.

1. QUid est Restitutio?

Resp. Est actus justitiæ commutativæ, quo redditur alteri ad æqualitatem quod fuit ab eo injuste acceptum, vel detentum, vel quo compensatur damnum proximo injuste illatum.

2. Quot sunt radices restitutionis?

Resp, Sunt tres, scilicet res accepta, injusta acceptio, & damnum illatum. Tenetur ergo quis restituere ratione rei acceptæ, etiam sine peccato, quia res aliena semper clamat ad dominum: sic si quis accipiat rhedam, vel vestem amici pro sua, tenetur eam restituere. Tenetur a fortiori ratione injustæ acceptionis, qua accepit rem proximi cum peccato injustitiæ scilicet, vel usuræ, vel furti, vel rapinæ; tunc enim tenetur restituere quod ablatum est, vel æquale, si res non extat. Immo cooperatores hujus injustæ acceptionis singuli peccant, & tenentur in solidum restituere ratione damni illati. Tenetur etiam quis restituere proximo, licet inde nullum emolumentum habuerit, puta occidendo equum, incendendo domum, devastando, &c. Quia cum ex sua malitia sequatur damnum, & alterius ruina, justum est eam compensare.

3. Quænam differentia est inter rem acceptam, & injustam acceptionem?

Resp. Hæc est: ille qui tenetur restituere ex re acce-

accepta sine culpa, tenetur tantum eam reddere, si extet: tenetur etiam reddere fructus ejus naturales, aut mixtos, si extent, detractis expensis & laboribus pretio æstimabalibus, consumptis in illorum comparatione; si non extent fructus, & res, tenetur tantum restituere id, in quo factus est ditior. At qui tenetur restituere ex injusta acceptione, tenetur restituere rem, & fructus ejus, sive extent, sive non extent, detractis expensis; & item tenetur compensare omnia damna, quæ alius est passus ex tali injusta acceptione; Res declaratur sequenti casu.

4. Pistor bona fide emit triticum a fure, putans esse dominum, confecit panem, & coxit, ad quid tenetur, cum reperit verum dominum tritici?

Resp. Tenetur restituere farinam, & panem, qui de facto extant, detractis expensis, & laboribus in illis conficiendis; & si nihil extet, tenetur tantum restituere id, in quo factus est ditior. E contra vero pistor, qui furatus est triticum, & ex eo confecit panem, sive triticum extet, sive non, sive factus sit ditior, sive non, tenetur in integrum satisfacere domino, & insuper compensare damna, si quæ passus est propter tritici ablationem.

5. Quot sunt fructuum differentiæ?

Resp. Tres: alii sunt fructus naturales, ut partus pecorum: alii sunt mixti, qui aliquid habent naturæ, aliquid artis, ut fructus vinearum; alii sunt mere industriales, ut fructus ex ludo. Fructus primi & secundi generis cadunt sub restitutione detractis expensis; tertii generis autem nullo modo possunt restitui. Quod dixi de injusta acceptione, applicari etiam potest possessori malæ fidei: & quod de re accepta, applicari potest possessori bonæ fidei.

6. Res declaratur exemplo: Aliquis duo juga bovum emit a latrone, putans eum esse verum dominum: illa detinuit per annum, & ex iis habuit centum de fructu; postea scit boves esse furto ablatos, & cognoscit verum illorum dominum: hic tenetur tantum restituere boves, & si consumpsit omnes fructus melius se tractando, ad nihil tenetur, nisi forte ex

te ex fructibus factus sit in aliquo ditior; ut puta si emerit vas argenteum, tunc tenetur etiam illud restituere, sicuti & omnes alios fructus, si extent, detractis tamen expensis, & laboribus consumptis in manutentione boum. Adde, ipsum posse bovem restituere furi ad recuperandum pretium, quia possessori bonæ fidei satis est, quod ponat rem in eodem statu, in quo invenit, neque tenetur reddere meliorem: si autem fur non compareat, tenetur rem restituere vero domino etiam cum amissione pretii, quia tenetur ex re accepta, quæ extat, & continuo clamat ad dominum. Si autem sit possessor malæ fidei, & furatus sit juga boum, tenetur ea restituere; vel pretium illorum, si non extent, & perierint (nisi forte eadem infirmitate periissent etiam apud dominum,) insuper tenetur restituere omnes fructus perceptos, sive extent, sive non extent, sive factus sit ditior, sive depauperatus sit, detractis tamen expensis consumptis in manutentione boum; insuper tenetur compensare domino damna, quæ passus est propter boum amissionem, puta, si hinc non potuit agrum colere, merces ducere ad Civitatem, ubi utilius vendantur. Cum ergo quis accedit ad Confessarium cum onere restitutionis, prius videndum est, ex qua radice teneatur, deinde juxta illius qualitatem judicanda est restitutio.

7. Unum moneo: quandoque possessorem bonæ fidei, vel obligatum ad restitutionem ex re accepta, post aliquod tempus transire in possessorem malæ fidei, & esse obligatum ad restituendum ex injusta detentione; puta, quis emit a fure, quem præsumebat dominum; post annum scit esse furem, neque ideo restituit, culpabiliter. Hinc pro tempore subsequenti servandæ sunt leges injustæ acceptionis, vel possessoris malæ fidei.

8. Turpe lucrum estne necessario restituendum?

Resp. Turpe lucrum est pretium acceptum ex actione turpi & mala, hoc non est restituendum, nisi sit excedens valorem actionis turpis, aut intercedat

 alia

alia injustitia obligans ad restitutionem; sic meretrix potest retinere pretium meretricium non excedens; item si quis accipiat pecuniam pro occisione, ea adimpleta potest pecuniam sibi retinere, quia vendidit operam suam licite malam, pretio tamen æstimabilem, & eo plus æstimabilem, quo plus industriæ, vel periculi fuit in illa exequenda: tenetur tamen resarcire damna occisi: & ante occisionem tenetur rescindere contractum, & pretium restituere. Si quis autem tenetur facere opus gratis, & illud vendit, obligatur ad restituendum acceptum; sic Judex, qui accipit pecuniam pro ferenda sententia justa, ad quam tenetur, debet illam omnino restituere.

9. Si quis inveniat aliquid pretio æstimabile, puta annulum, potestne sibi illud retinere?

Resp. Præmissa sufficienti diligentia, si dominum non inveniat, debet dare pauperibus: si inventor pauper sit, potest sibi retinere, maxime de consilio Confessarii. Si adhibita diligentia inveniat dominum, tenetur restituere, neque potest exigere ab eo pretium pro inventione rei perditæ, nisi forte laborem, & expensam aliquam fecerit in inquisitione domini. Alii volunt, quod facta debita diligentia possit sibi retinere tanquam rem derelictam, quæ est primi invenientis. Si adhibita diligentia, non invento domino, dederit pauperibus, etiamsi postea inveniatur dominus, ad nihil tenetur; juste enim dominus fuit re sua privatus; si non adhibuit diligentiam, tenetur dominum compensare. Fera domestica, quæ libertatem acquisivit, est primi occupantis.

10. Ex calumnia alteri illata teneturne quis ad compensandum damnum honoris oblata aliqua quantitate pecuniæ?

Resp. Si sit pura læsio in bonis honoris, non tenetur compensare pecunia, quia sunt bona in diverso genere: si autem per calumniam quis impeditus est in consecutione bonæ fortunæ, puta dignitatis valde lucrosæ, tenetur compensare; non autem si impedivit per preces, & consilia, quia tunc casu,

quo

quo peccaverit, peccavit solum contra charitatem, non contra justitiam.

11. Ille, cui datum est rem vendere pretio infimo, v. g. si vendat pretio rigoroso, & summo, teneturne restituere illum excessum, aut potest retinere, tanquam propria industria sibi acquisitum?

Resp. Lessius, & de Lugo tenent, famulos mercatorum hunc excessum retinere non posse, quia merces illis dantur vendendæ meliori modo, & tenentur adhibere industriam in utilitatem domini. Quantum ad famulos Civium, vel nobilium, nonnulli putant distinguendum esse juxta modum, quo eis committitur a dominis res vendenda: vel enim committitur, ut vendant quamplurimi, & sive hoc consequantur sine industria, vel cum industria, puta consilio, precibus, laude mercis, & similibus modis, in hoc casu nihil possunt retinere; totum enim pretium est domini, licet ex servi industria fiat pinguius, juxta regulam: Quidquid in solo alieno ædificatur, cedit solo: Si dominus commisit, ut rem vendat tanti; & reliquum pretium, si habeat, suum fit; vel si dixit: tantum volo, de reliquo tu cogita, aut restitue mihi rem meam: tunc lucrum excedens pretium taxatum a domino est famuli. Item addit Molfesius; si dominus commisit servo, ut vendat in aliqua parte Civitatis, puta in tali platea, & ibi servus facta sufficienti diligentia inveniat tantum pretium infimum mercis, & circumeundo Civitatem in alio loco inveniat pretium summum, potest excessum illum supra infimum inventum in loco designato sibi retinere; nullam enim injuriam ei facit dando tantum, & non plus, quantum invenit in ea platea, in qua dominus commisit mercis venditionem.

12. Si servus, cui commissa est venditio mercis pro quinque aureis, facta sufficienti diligentia inveniat tantum quatuor cum dimidio: hinc rediens ad dominnm dicat, se non invenisse nisi quatuor cum dimidio, & dominus respondeat, ut det pro illo pretio; potest ne retinere sibi dimidium au-

reum, casu, quo inveniat emptorem, qui solvat quinque?

Resp. Negative, quia dominus commissionem vendendi pro quinque aureis in tantum minuit, in quantum credit solutionem hanc inveniri non posse; si ergo inveniatur, contra ejus voluntatem famulus sibi retinet medium aureum, proinde restituere tenetur.

13. Possuntne sartores ementes pannum pro iis, quibus vestes conficiunt, & quibus pannus venditur minoris, quam aliis, eo quod sæpe a tali mercatore emant, retinere partem pretii sibi remissam, imponendo domino solutionem panni ad pretium ordinarium, & justum?

Resp. Filliucius, & Diana tenent affirmative, dummodo alias fideliter agant, quia nulli fit injuria; cum enim plurimum intersit mercatoribus, ut tales ad ipsorum potius, quam ad aliorum officinas veniant, censentur in eorum gratiam remittere partem pretii, & eam sartoribus donare. Contrariæ sententiæ est Salas, eo quod mercatores, ut plurimum falso dicant se remittere partem pretii in gratiam sartorum, ut eos sibi benevolos faciant; de cætero parati sunt eodem pretio dare omnibus, casu, quo accedant.

14. In nonnullis locis sunt aliqui homines, qui vulgo vocantur emptorum *sensali*, eo quod maxime pro advenis regionibus merces emant; isti advenæ dant pretium congruum pro eorum labore, & insuper mercatores, a quibus merces emunt, dant aliquid pro singulis ulnis panni, quem emunt: hi possuntne sibi retinere pretium, quod a mercatoribus trahunt?

Resp. Molfesius distinguit sic: vel illa quantitas pretii, quæ traditur sensali, extrahitur ab ementibus, quibus ideo venduntur merces ultra pretium summum, vel quibus propterea traduntur merces vitiosæ, & in his duobus casibus tenentur restituere emptori; vel illud pretium traditur gratiose, ut frequentius ad eorum officinas accedant, & tunc possunt sibi ipsis retinere, cum nulli faciant injuriam. Considerent tamen sensali, se in hac negotiatione

agere

agere ex justitia ex parte ementium, & valde caveant, ne supra justum gravent emptores.

15. Si quis pluribus titulis sit diversis creditoribus debitor, teneturne servare aliquem ordinem in restituendo?

Resp. Si valet omnibus satisfacere æque, ac primo, non est necesse, ut in restitutione servet ordinem. Si autem non valet, tenetur prius satisfacere debitis certis præ incertis & dubiis, & rursus in debitis certis tenetur præmittere anteriores creditores posterioribus; & si omnes sunt ejusdem conditionis, tenetur pro rata cum proportione geometrica satisfacere omnibus quantum potest; si quis autem non servavit hunc ordinem, adhuc creditor potest retinere, quod illi datum fuit.

16. Quinam tenentur restituere?

Resp. Omnes illi, qui retinent rem alienam, vel cui fuerunt injusta causa damni in bonis fortunæ proximo suo; isti autem comprehenduntur in istis duobus carminibus, quorum explicatio allata est in capite de homicidio; carmina sunt:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Sollicitans, mutus, non obstans, non manifestans.

Inter istos jubens principaliter tenetur restituere: cæteri secundario, & in defectu jubentis. Inter quos principalem locum tenet executor, post sequitur consulens, postremo impediens, qui potest, & ex justitia tenetur impedire.

17. Quid est obligari in solidum?

Resp. Est; cum plures concurrunt ad damnum inferendum, non sufficit, quod aliquis restituat juxta quantitatem damni a se illati: sed si socii non restituant, tenetur damnum reparare in integrum. Igitur si jubens reparet damnum totaliter, executores & consiliarii ad nihil tenentur; si ipse deficiat, tenentur alii: si inter hos unus tantum velit suæ conscientiæ consulere, tenetur totum damnum reparare.

18. Danturne causæ excusantes a restitutione?

Resp. Dantur plures: primo, si quis sit impotens, ad impossibile enim nemo tenetur: neque quis tenetur

notabiliter cadere a suo statu, ut restituat, nisi forte talis status fuerit acquisitus ex furtis; tunc enim non dicitur cadere a suo statu, sed restitui in pristinum. Porro qui est impotens ad restituendum, tenetur tollere omnia superflua statui, & totis viribus conari, ut fiat potens restituere. Secundo, propter compensationem, si aliunde ipse sit creditor: debet autem compensatio fieri cum tali cautela, ne alius putans se adhuc esse debitorem, hinc patiatur detrimentum. Tertio ex usucapione, seu præscriptione, cujus conditiones in Sectione quarta de Contractibus apponam.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

SECTIO III.

De Usura.

1. Quid est Usura?

Resp. Est lucrum proveniens ex mutuo ratione mutui. Dico ratione mutui, quia si proveniret ex alio titulo, puta donationis liberæ, omnino usura non esset. Dividitur in mentalem, realem, & palliatam. Mentalis est, qua quis sine ullo pacto externo mutuat cum animo determinato recipiendi lucrum ex mutuo: si quantitas, quam vult accipere, sit notabilis, est peccatum lethale; actus enim internus est ejusdem malitiæ cum externo: si autem non sit voluntatis determinatio, sed pura spes recipiendi aliquid ex gratitudine, & liberalitate alterius, nul-

nullum erit peccatum. Usura realis est, qua cum pacto lucri quis dat mutuum, sive pactum sit expressum, sive implicitum, sufficienter tamen declarativum intentionis usurariæ: ut v. g. Tu scis modum, quo ego soleo dare pecuniam meam mutuo; vel, spero meam pecuniam non reversuram esse solam in crumenam. Usura palliata est, qua sub prætextu aliquo, puta donationis, venditionis, vel alterius ficti, & colorati contractus, aliquid exigitur supra sortem. Usura in quantitate notabili, quæ in furto sufficit ad lethale, est peccatum mortale. Usurarius publicus absolvendus non est, nisi satisfaciat creditoribus, seu illis, adversus quos commisit usuram, & insuper Ecclesiæ.

2. In dubio, quod aliquid ultra sortem datum sit ex vi mutui, an ex gratitudine, & liberalitate donantis, teneturne quis restituere?

Resp. Bonacina vult retineri non posse: ne quis se exponat periculo usuræ. Cajet. vero Navar. & Filliuc. volunt posse retineri, dummodo innotescat evidenter, quod dans det ex liberalitate: duobus autem modis innotescet dantem libere dare; primo, cum homo solet esse liberalis, & gratus; secundo, cum alacri animo dedit. Si vero e contra persona tenax est, & dedit ægre cum murmure, & renisu, tunc censendum est dedisse titulo mutui, non titulo liberalitatis: hinc omnino restitui debet. Secundo modo, cum donum est parvi valoris, & non inferens magnum incommodum donatori, qui solet ex gratitudine etiam in aliis casibus talia donare: secus si sit cum magno incommodo, præsumitur datum ex mutuo.

3. In ullo casu excusaturne aliquis ab accipiendo pretium in mutuo ultra sortem?

Resp. In tribus casibus excusatur, ob lucrum cessans, ob damnum emergens, & ob labores, expensas, & pericula subeunda ratione mutui.

4. Quid requiritur ad lucrum cessans?

Resp. Cum lucrum cessans sit emolumentum, quod quis cessat percipere ratione mutui, requiritur pri-

mo, quod sit practice probabile, non pure imaginarium, & speculativum: tunc autem censetur probabile, cum quis ex una parte habet animum determinatum, & ex alia promptam occasionem impendendi suam pecuniam in negotiatione sibi utili, & lucrativa: secundo, quod non accipiatur tantum, quantum lucrum speratum valeret: sed detrahatur aliquid respectu impensarum, discriminum, & laborum, quæ quis in negotiatione cogeretur subire.

5. Quid est damnum emergens, & quid ad illud requiritur?

Resp. Damnum emergens est detrimentum, quod quis patitur in bonis suis, præcise ob rationem mutui. Ad hoc requiritur, quod damnum non aliunde proveniat, quam ex ratione mutui, puta quia defectu pecuniæ mutuatæ agrum colere non potuit, aut damnum resarcire, quod utrumque facere paratus erat; si enim hoc accideret ex negligentia, vel malitia mutuantis, non teneretur illud resarcire mutuatarius. Secundo, ut lucrum non excedat damnum secus, excessus statim esset ratione mutui. Tertio, si damnum acciderit etiam ex dilata solutione ultra tempus præfixum a mutuante: nam retardatio illa fuit causa damni, & tempus præfixum ad solvendum fuit pactum tacitum, quo mutuatarius se obligavit ad reparanda damna ex sua infideli dilatione provenientia; supposito tamen, quod potuerit restituere; secus, cum ad impossibile nemo teneatur, neque tenetur reparare damna provenientia ex tali impossibilitate.

6. Quid est ultimus titulus laborum, expensarum, & periculorum?

Resp. Iste titulus non est communiter ab omnibus admissus; ab illis autem, a quibus admittitur, sic explicatur, videlicet, est cum ratione mutui mutuans subit labores, pericula, & expensas; hæc enim omnia sunt pretio æstimabilia, nec quis tenetur hæc subire gratis, ut alteri mutuet; ita Bertau cum Sylvestrina; requiritur tamen, ut hæc sint vera, & realia, non pure imaginaria.

7. Ad

7. Ad hos tres titulos insuper requiritur, quod mutuans faciat pactum expressum de quantitate lucri dandi pro lucro cessante, vel pro damno emergente, vel pro periculo; nam si nulla facta fuit mentio, nescitur, utrum mutuatarius voluisset hunc contractum celebrare cum conditione adeo onerosa.

8. Si facto pacto lucri ob aliquem ex dictis titulis, is postea fortuito non purificetur, puta, quis prudenter habebat occasionem alicujus negotii lucrosi, quod per accidens factum non fuisset: teneturne tunc ad restitutionem lucri?

Resp. Negative ex Bonacina, quia pretium ultra sortem non sumitur pro mutuo, sed pro periculo damni, vel spe probabili lucri, quæ revera extabant, & erant pretio æstimabilia: secus si ad casus accidentales, & fortuitos, qui accidere possunt, reflectendum esset, nullus unquam daretur locus talibus titulis communiter ab omnibus admissis.

9. Potestne mutuator pactum cum mutuatario inire, ut si statuto tempore non solverit, solvat in posterum interesse pro toto tempore, quo differt solutionem?

Resp. Ex Lessio citato a Bertau, affirmative; quia mutuatarius negans solutionem tempore præfixo, peccat contra justitiam, adeoque ex mutuo consensu potest imponi pœna solutionis interesse pro mora. Ad hoc ut talis pœna sit justa requiruntur quatuor conditiones; primo, ut mutuatarius pro tali tempore sit potens solvere, secus si sit impotens, neque potest puniri, cum nulla sit culpa. Secundo, ut sit proportio inter pœnam, & culpam; sicque istud interesse debet esse moderatum ad taxam pœnæ, quam judex civilis solet imponere debitoribus non solventibus. Tertio, ut terminus præfixus non sit nimium brevis, sed ad minus trium, vel quatuor mensium. Quarto, ut interesse petatur; cum enim non sit debitum ante condemnationem, petitio tenet locum sententiæ Judicis,

10. Potestne mutuans obligare mutuatarium ad aliquid pretio æstimabile, puta ad colendam vineam

meam tali pretio inferiori, vel ad frequentandam meam officinam, & tabernam vel similia?

Resp. Negative, quia tunc tollitur libertas, quæ est pretio æstimabilis: excipit tamen Alarius casum, quo mutuatarius solebat colere agrum mutuantis, vel alium contractum cum eo celebrare, pro quo necessaria erant centum, quæ ideo mutuans illi mutuat. Adverte tamen in hoc secundo casu, servandas esse alias leges justitiæ, nec minus dandum pro laboribus mutuatarii, quam daretur alteri colono.

11. Estne usura mutuare triticum, vel alias segetes cum pacto, ut tempore solutionis mutuatarius reddat illud ad pretium, quo tunc valebit?

Resp. Si mutuans erat servaturus usque ad illud tempus, non est usura, sed venditio cum dilatione solutionis.

12. Mutuare cum pacto, ut mutuatarius tempore messis, vel vindemiæ vendat mutuanti triticum, aut vinum pretio tunc currenti, estne usura?

Resp. Molina tenet usuram non esse, sed emptionem anticipatam justo pretio. Alarius vult esse usuram, quia forte mutuatarius eo tempore venditurus non erat, cum ut plurimum tunc segetes sint vilioris pretii: unde mutuans sumit lucrum, & mutuatarius patitur damnum. Verum isti contractus forte ex hoc redduntur liciti, quia si mutuans tunc in arca, vel vindemia solutionem non accipiat, perquam difficile sortem principalem poterit obtinere.

13. Committiturne usura ab eo, qui cum non sit campsor, accipit aliquid pro mutatione unius monetæ in aliam?

Resp. Negative, si sumat parum pro rata laboris, & molestiæ; item si privet se auro, vel alia moneta, quæ valde utilis, & sibi commoda est pro suis negotiis melius agendis.

14. Si usurarius donet aliquid alteri, vel dotet filiam ex bonis usurariis congregatis, potestne quis licite ea retinere?

Resp. Negative, quia sumit ab eo, qui nec dare, nec dotare potest. Si tamen quis nesciat rem esse

ex

ex usura congregatam, & dum erat in bona fide consumpsit, tenetur solum restituere id, in quo factus est ditior. Quoad dotem, retinere potest quantum ad alendam uxorem est necessarium, quia ex una parte hæc alimenta sunt debita, & ex alia videtur impossibile, quod inter bona usurarii aliqua non sint, quæ licite fuerint ab eo possessa; ita Alarius.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

24. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

SECTIO IV.

De Contractibus.

1. QUid, & quotuplex est contractus?

Resp. Est conventio inter duos, vel plures, ultro, citroque obligans, vel saltem obligans alterutram partem. Contractus nominati sunt quinque, mutuum, commodatum, locatum, emptio, & venditio. Mutuum est traditio pecuniæ, vel alterius rei, cum translatione dominii, ad tempus restituendæ in æquivalente. Commodatum est traditio usus alicujus rei sine translatione dominii, certo tempore restituendæ, & sine adhibito aliquo pretio. Depositum est traditio alicujus rei custodiendæ cum pretio, vel sine pretio. De emptione, & venditione fuse dicam in sequenti Sectione. Contractus innominati reducuntur ad quatuor species, scilicet, do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias.

2. Si quis eadem die recipiat pecuniam mutuo; & equum commodatum, vel locatum, & utroque spolietur in via per latrones, teneturne omnia restituere?

Resp. Tenetur ad restitutionem pecuniæ, non autem equi commodati, vel locati, quia res perit domino: ratione mutui mutuatarius factus est dominus pecuniæ; ratione commodati, vel locati non fuit factus dominus equi, sed solum translatus fuit usus, cum retentione dominii apud commodantem, vel locantem.

3. Si res commodata, vel locata pereat, aut deterioretur, semperne perit, & deterioratur domino?

Resp. Si pereat, vel deterioretur sine culpa illius, cui commodata, aut locata est, res perit domino, nec qui commodavit, tenetur restituere: si autem intervenerit culpa, tenetur pro modo culpæ restituere, & damna resarcire. Unde si quis, cui commodatus, aut locatus est equus, divertat ab itinere, pro quo eum expresse locavit, vel eat cursu citato, & violento, vel quid simile agat contra intentionem locantis, unde equus pereat, aut notabiliter deterioretur, tenetur pro modo damni illati restituere, & resarcire: si autem equus pereat ratione laboris ex itinere ordinario, ad nihil tenetur.

4. Quænam culpa intervenire debet, ut quis ad restitutionem obligetur?

Resp. Culpa, alia est theologica, hoc est cum peccato: alia civilis, & legalis, & est defectus custodiæ etiam sine peccato: utraque, alia est lata, alia levis. Culpa lata est defectus illius custodiæ, quam homines prudentes solent adhibere in conservandis propriis, vel aliorum rebus; culpa levis est defectus custodiæ, quam solent adhibere homines cautissimi, qui abundare censentur in cautela. Si culpa sit lata, tenetur quis ad restitutionem: si levis, non tenetur. Placet hic per oppositionem ad culpam describere diligentiam, quæ triplex est: maxima, & est illa, quam adhibent homines cautissimi: media est illa quam adhibent homines pruden-

tes:

tes: minima est illa, quam adhibent homines quicunque. Hinc si quis in custodiendo omittat diligentiam maximam, ad nihil tenetur; si omittat mediam, tenetur restituere. Diligentia ergo media sufficiens est ad hoc, ut quis non teneatur ad restitutionem, si res illi commodata, vel locata pereat. Adverte tamen, quod in nonnullis locis depositarii publici se obligant ad restituendum in omni eventu, & locantes promittunt in quocunque casu restituere. Pro his non militat hæc doctrina; ratione enim promissionis, sive cum culpa, vel sine culpa res pereat, tenentur semper restituere.

5. Si quis pecunia deposita ludat, & lucretur; teneturne restituere lucrum domino depositi?

Resp. Negative, quia lucrum ex ludo est fructus mere industrialis; si autem quis utatur re deposita, puta, vestibus, quæ ideo deteriorentur, tenetur compensare dominum, quia in deposito non transfertur usus.

6. Contractus societatis suntne liciti?

Resp. Affirmative; sunt enim conventiones inter duos, vel plures ponentes sortem in negotio aliquo, cum obligatione dividendi fructus, vel damna, si quæ forte acciderint: sed debet videri, ut cum proportione dividantur: ita ut sicuti se habet sors ad sortem, se habeant etiam fructus, & lucrum, ad fructum, & lucrum. Hinc si sors sociorum sit æqualis, & æqualia pericula, æqualiter debet dividi lucrum: si inæqualis, inæqualiter est dividendum ad ratam inæqualitatis sortis principalis.

7. Estne licitum locare animalia, puta oves, & boves ad certa pascua?

Resp. Affirmative: societatis enim contractus licitus est, quo quis locat sua animalia, & alter impendit suum laborem & industriam ad lucrum inde hauriendum, quod inter illum & locantem dividi debet cum proportione. Ad hoc autem, ut in hoc contractu servetur æqualitas pretii, & vera ratio passi & contrapassi, debet primo servari consuetudo legitime introducta cujuscunque regionis, quæ in hac re

judex

judex est: nam diversitate pascuorum, & bonitate animalium, & fructuum inde capiendorum, res in una, ac in alia regione est toto cœlo diversa. Hinc si notabiliter excederetur pretium, iste excessus esset restituendus. Primo igitur animalia debent vere existere; si enim daretur pecunia alteri ad emenda animalia cum probabili opinione, quod illa non esset empturus; committeretur usura palliata, & reciperetur lucrum ex mutuo sub prætextu societatis animalium: Secundo, ut animalia stent sub periculo apponentis, qui est illorum dominus. Unde si pereant sine negligentia recipientis, domino utique perire debent. Nec potest in pactum deduci, quod animalia semper debeant extare in quocunque eventu etiam fortuito, cui humana prudentia occurrere non potest: nisi forte cum pacto melioretur conditio recipientis, recompensando hoc periculum, quod subit, aliquo alio lucro: ita Grassius juxta Constitutionem Sixti V. Hinc bene attendatur, maxime cum locantur animalia pauperibus, qui necessitate pressi ea accipiunt eo pretio, quo desideratur, etiamsi sit excedens, & injustum; in quo casu non sufficit illos non declarare se invitos, sed omnino domini resarcire debent, ne pauper defraudetur justo lucro suis laboribus debito.

8. Contractus trium contractuum est ne licitus?

Resp. Contractus trium contractuum, primo est contractus societatis, puta tritici, & abundantiæ: secundo cum assecuratione capitalis, & ecce secundus contractus; tertio, cum assecuratione fructuum, & ecce tertius contractus. Plurimi ergo existimant, contractum hunc esse usuram palliatam sub prætextu societatis, ideoque illicitum, sed revera Bonacina sustinet hunc licitum esse, si debito modo fiat, scilicet, si primo quis habeat sinceram intentionem ineundi contractum societatis: secus, si non sit hæc intentio, quis præsumitur sub hujus contractus prætextu sumere lucrum ex mutuo: secundo, si detur pretium proportionatum ad periculum capitalis, quod assecuratur: tertio, si in assecuratione fructuum

dema-

dematur aliquid de fructibus ad ratam laboris, & expensarum, quæ in fructibus colligendis a socio sunt impendendæ. Defectu primæ conditionis contractus est usurarius, defectu secundæ & tertiæ est injustus. Ex quolibet ergo defectu quis tenetur ad resarcienda damna.

9. Quid est contractus mohatra?

Resp. Est contractus venditionis ad pretium summum, pecunia credita cum pacto retrovenditionis ad pretium infimum pecunia numerata. Hic contractus est illicitus, & ejus malitia consistit in lucro ex mutuo palliato sub prætextu venditionis & retrovenditionis.

10. Quid est cambium?

Resp. Est negotiatio in commutatione, & transportatione numismatum, & ut plurimum fit per litteras. In hoc cambio debet Mercator habere correspondentiam in nundinis, ut litteræ re ipsa mittantur, & remittantur; secus erit cambium siccum, & vere usura palliata.

11. Poteстne qui campsarius non est, recipere aliquid pro commutatione numismatum de una in aliam speciem?

Resp. Ex Lessio potest ob laborem, & molestiam, quam subit in numeranda, & supputanda pecunia, & ratione monetæ pretiosioris, & magis commodæ, qua se privat, quæ omnia pretio æstimabilia sunt, aliquid recipere.

12. Quid est census?

Resp. Ex Garzia, est contractus innominatus: do, ut des, do scilicet tantam pecuniam, ut des mihi tantum fructuum pecuniæ ex tali fundo tibi utili & fructifero. Ex Alario sic definitur: est contractus venditionis, qua tradita pecunia emitur jus ad percipiendum annuum reditum super rem aliquam fructiferam securitati pecuniæ subjectam. Ad validitatem censuum, ne in istis committatur injustitia, plures conditiones apposuerunt Nicolaus V. Gregorius XIII. & Pius V. Conditiones ex Pio V. sunt istæ; Primo, oportet rem, cui census imponi-

tur,

tur, esse ex natura sua fructiferam, immobilem, aut pro immobili habitam, & certis finibus designatam; secundo, quod totum pretium recipiatur coram Notario, & Testibus in celebratione instrumenti, non autem prius; tertio, non posse augeri aut minui pretium, aut censum augeri; quarto, perire censum pro rata, re pereunte, aut sterili facta; quinto, posse semper redimi censum eodem pretio denuntiatione facta per bimestre, & post denuntiationem posse etiam ab invito intra annum repeti; sexto, si res censui subjecta vendenda sit, præferendus semper sit dominus census, eique explicandæ omnes conditiones, & per integrum mensem expectandus; septimo, non posse creari novum censum super eadem re, aut super quacunque alia in favorem cujuscunque personæ pro pensionibus non solutis, aut in futurum non solvendis; octavo, non teneri ad aliquod interesse aut onera ante solutionem, aut pœnam, in casu, in quo alias non tenebatur; nono solutiones anticipatas fieri, in pactum deduci non posse; decimo, conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenebatur, apponi non posse.

13. Qui ex casu fortuito, puta ex sterilitate communi eo anno, vel bello, & peste, annuos fructus non percipit ex fundo censui subjecto, teneturne ad solutionem pecuniæ debitæ ex censu?

Resp. Cum Alario, si res non reddatur perpetuo infructifera, hujusmodi casus fortuiti per unum aut aliquot annos continuati non excusant, quia per censum non emuntur fructus rei, sed jus ad eos percipiendos, quod jus perseverat in supradictis eventibus; si vero reddatur tantum fructifera pretii censui alligati, tenetur illud reddere; & sic cum proportione, si minus fructificet, illud saltem minus.

14. In ludo est species contractus incerti lucri. Unde ex violatione justitiæ in ludo tenetur quis ad restitutionem: sic ludens cum maxima peritia contra eum, qui imperitus est, sciens certo se victurum, tene-

tenetur restituere; si autem eum moneat, & nihilominus alter ludere velit, ad nihil tenetur; volenti enim, & consentienti non fit injuria. Item si quis ludat cum filiofamilias, vel cum paupere, qui nihil potest perdere, si alteruter vincat, lucrum retineri nequit; non enim sortes sunt æquales; nisi forte alter sciat socium impotentem ad solvendum, tunc enim militat supradicta ratio: Volenti, & consentienti non fit injuria.

15. Estne licitum alium in ludo decipere?

Resp. Sunt aliquæ artes licitæ, & quibus ordinarie utuntur lusores honorati, & sunt illæ, quæ si postea innotescant, non sunt causæ verecundiæ aut ignominiæ; ut si quis v. gr. habens punctum infimum, fingat se habere optimum; vincens cum hac arte ad nihil tenetur. Sunt aliæ illicitæ ut signare aleas: quæ si innotescant, sunt causa ignominiæ, & verecundiæ; si quis utatur istis artibus, & vincat, tenetur restituere, vel etiam si minus perdat, quam perdidisset, tenetur damnum compensare.

16. Si quis a tergo ludentis indicet qualitatem alearum alterius socii, peccatne?

Resp. Affirmative; & obligatur in solidum ad restitutionem cum vincente.

17. In ludo etiam qui dicitur *scommessa*, sortes ludentium debent esse æquales, & æqualia pericula; secus si quis rem futuram, vel præteritam certo sciat, non potest super illius veritatem sponsionem facere; & si vincat, tenetur restituere: nisi forte moneat socium, qui ex obstinatione adhuc ludere velit. Si duo ludunt tantum dandum ei, qui hoc prius faciat, v. g. currendo attingat talem terminum: si post factam, ut dicitur, *la scommessa*, alter pœniteat, & currere nolit, adhuc tenetur solvere; ille enim est, qui deficit circa id, circa quod alius suum jus acquisivit.

18. Quid est monopolium?

Resp. Est conventio; seu pactum mercatorum, ut nemo illorum talem rem vendat infra tale pretium. Aliam etiam speciem monopolii solent mercatores præcipue in nundinis committere, & est cum unus, vel plu-

plures conveniunt ad emendum merces omnes alicujus speciei, puta lanæ, ut earum pretium augeatur; vel etiam omnes pecunias cambiis expositas accipiunt, ut accedentes alii non inveniant, & hac fraude valor pecuniæ in eorum utilitatem augeatur. Lato modo sumptum monopolium est etiam conventio duorum vel plurium emptorum, ne talem rem emant supra tale pretium; hoc tamen non subjacet pœnis monopolii venditorum, neque est culpabile, nisi conventio sit infra pretium infimum.

19. Estne peccatum mortale monopolium?

Resp. Affirmative, & quidem contra justitiam; propter notabile populorum damnum, etiamsi conventio sit, ut nullus vendat nisi pretio justo summo: & non solum obligat mercatores ad damnorum compensationem; verum etiam punitur aliis pœnis a legibus civilibus, scilicet pœna exilii, & privationis omnium bonorum. Per Navarrum etiam, qui impetrat a Principe, ne talis res ab alio, quam a se vendatur cum notabili damno Proximi, peccat mortaliter, & compensare tenetur.

20. Cum pretium rerum crescit ex monopolio plurimum, ille, qui non est monopola, potestne vendere juxta incrementum crescens ultra valorem naturalem?

Resp. Negative, cum Diana & Rebello, quia nequit idem pretium esse simul injustum pro monopoliis, & justum pro non monopoliis. Reginaldus tamen affirmat, quia qui non fuit auctor monopolii, vendit pretio eo tunc communi, quod proinde justum est, quamvis creverit fraude monopolarum. Adde, quod secus crescente segetum pretio quis semper venderet cum maximo scrupulo, potens dubitare, num creverit ex aliquo monopolio occulto; hinc sententia Reginaldi mihi non videtur improbabilis.

21. Quid est usucapio, seu præscriptio?

Resp. Est acquisitio dominii alicujus rei per continuationem possessionis toto tempore a lege præfinito. Iste modus introductus est a lege civili, ne do-

minium aliquarum rerum semper ita incertum sit; ut interminabilibus litibus subjaceret, & ut in rebus suis curandis homines sint diligentiores. Hinc sentiunt Diana, & Alarius contra Rugerium, rem alienam bona fide præscriptam, etiam si post tempus a lege determinatum adveniat mala fides, & scientia, quod sit aliena, posse retineri, quia translatum est ejus dominium in præscribentem & usucapientem a legum conditore habente auctoritatem hoc faciendi in bonum publicum. Hinc cum remedium usucapionis præcipue inventum sit in bonum publicum, non vero in pœnam negligentiæ veri domini, licet hic non fuerit notabiliter negligens, proinde nulla pœna dignus; adhuc si servatæ sint omnes conditiones, viget contra ipsum usucapio, & præscriptio. Sume hic hæc duo tamquam Synonima cum Diana, licet rigorose usucapio dicatur de mobilibus, & præscriptio de immobilibus.

22. Qualenam est tempus a lege præfinitum pro usucapione?

Resp. Contra Supremos Principes, Respublicas, & Summum Pontificem sola centenaria admittitur tamquam sufficiens ad præscribendum. Contra bona aliarum Ecclesiarum quadraginta anni. Contra Laicos in rebus corporalibus immobilibus cum titulo decem anni inter præsentes, viginti inter absentes; sine titulo cum bona fide triginta anni: in incorporalibus, ut sunt jura & servitutes, requiruntur viginti anni inter absentes, decem inter præsentes. Nomine præsentium veniunt illi, qui habent domicilium in loco, vel Provincia, in qua fit præscriptio; nomine absentium, qui domicilium non habent; sicuti nomine Ecclesiæ veniunt loca pia omnia, etiam hospitalia, & virginum seu fœminarum Conservatoria: non autem bona Patrimonialia Clericorum, contra quæ præscribitur eodem modo, quo de Laicis: ita Alarius verbo Præscriptio n. 7.

23. Quot conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?

Resp. Quatuor: Prima est possessio continuata, nul-

nullo modo interrupta, per totum tempus a lege præfinitum. Hinc qui possidere nequeunt, nec possunt præscribere: sic servus legalis, Monachus, & qui nequeunt habere verum dominium, neque possunt legitime præscribere; furiosus, qui ante furorem cœpit possidere, potest continuare, & præscribere in furore; non enim per furorem amittit dominium, quod antea habebat sæcularis, cum nequeat bona Ecclesiastica possidere, nec potest contra ea præscribere. Advertit tamen Alarius num. 3. & 21. Laicum posse præscribere contra quotam solvendi decimas de hoc, vel alio prædio, dummodo Ecclesiæ Ministris supersint ex aliis bonis congrua alimenta; in quo casu sustinet Moneta præscribi posse totam decimam; requiritur tamen possessio continuata per annos quadraginta. Item si Ecclesia succedat Laico, contra ipsum currit dicta præscriptio, sicuti contra privatum, sed alio modo; pro tempore enim præterito utitur Ecclesia jure laici, pro futuro utitur privilegio, & jure suo: sic quando contra Laicum privatum præscribitur spatio viginti annorum, si eo vivente elapsi sunt decem anni, & proinde medietas temporis requisiti ad præscribendum, satis est contra Ecclesiam succedentem loco Laici complere aliam medietatem juxta privilegium Ecclesiæ.

24. Secunda conditio est bona fides, qua quis possidet rem tanquam suam, & hæc trahit secum etiam conditionem, quæ est bonus titulus, cui necessaria est justa actio transferens dominium in perpetuum. Hæc usurarii & fures nequeunt præscribere, quia ex injusta acceptione possident. Etiam mutuata, locata, pignorata, deposita præscribi nequeunt, quia istis vel non transfertur dominium, vel non transfertur in perpetuum, neque res empta non soluto pretio, bene tamen in perfecta emptione soluto pretio, donatione, hæreditate, quia istæ actiones de se transferunt perpetuum dominium.

25. Quarta conditio se tenet ex parte rei præscribendæ, quæ debet esse talis, ut non prohibeatur a legibus præscribi. Hinc res furto ablatæ violenter possef-

possessæ, sacræ, religiosæ, servus fugitivus, & homo liber præscribi nequeunt. Adde cum Alatio, bona pupillorum & minorum præscribi non posse, nam durante pupillari, & minori ætate dicitur dormire præscriptio, quæ postea expergiscitur illis completis. Hinc si contra patrem incœpta sit præscriptio, usque dum ejus filius est in pupillari & minori ætate, non computatur tempus requisitum ad præscribendum: elapsa autem pupillari & minori ætate conjungitur tempus præteritum in vita Patris cum futuro in vita filii egressi a pupillari, & minori ætate; & si non reclamet, cointegratur possessio requisita ad præscriptionem.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 40. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis, prævie inito cum intentione lucri.

SECTIO V.

De venditione, & emptione.

1. QUid sunt venditio, & emptio?

Resp. Emptio est contractus, quo emens solvit pretium pro merce. Venditio est contractus, quo merces pro pretio a venditore traditur emptori. Hinc est mutua translatio dominii, nempe venditor transfert dominium rei in emptorem, & emptor transfert dominium pretii in venditorem. Ut ergo isti contractus justi sint, debent esse æquales ratione passi, & contrapassi, scilicet, quod tantum utile ex pretio transferatur in venditorem, quantum damnum patitur in translatione mercis. Proinde omnis fraus abesse debet, ut contractus iste justus sit. Fraus autem ex duplici capite provenire potest. Primo in alteratio-

ratione valoris, cum pluris venditur res, quam valeat. Secundo in alteratione mercis, cum res vitiosa & vilis pro bona & pretiosa venditur.

2. Quotuplex est pretium rerum?

Resp. Duplex, aliud legitimum, seu legale, & est valor mercis a Principe, vel Magistratu taxatus; & hoc consistit in indivisibili, cum enim a lege sit definitum, unum & idem invariatum est, ut v. gr. dentur triginta nummi argenti pro modio tritici: Pretium naturale est valor mercis juxta communem opinionem hominum mensuratus; & hic non consistit in indivisibili, sed dividitur in medium, supremum, & infimum: v. g. Ulna panni habet pro pretio summo viginti quinque, pro medio viginti tria, pro infimo viginti. Quodlibet ex istis pretiis est justum, ita ut si absque legitimo titulo alteretur, vel a venditore accipiendo supra supremum, vel ab emptore dando infra infimum & utique absque legitimo titulo, injustitia gravis, vel levis committitur juxta gravem, vel levem pretii alterationem. Ratione hujus injustitiæ quis tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ, licet in foro externo non cogatur ad restituendum, nisi læsio sit enormis, & defraudaverit ultra dimidium. Et si rerum alterator a Judice punitus sit, & solverit pœnam, non ideo est liber a restitutione excessus.

3. Possuntne Clerici, vel personæ Civitatis conspicuæ alterare in venditione propriarum rerum pretium legitimum, & taxam communem?

Resp. Negative: quia omnes obedire debent legi in bonum publicum conditæ, immo Navarrus sentit neque Principem, qui taxam imposuit, posse sine injustitia illam excedere in venditioue propriarum rerum.

4. Excusatne alterationem pretii legalis, eo, quia quis vendat pecunia credita, non vero numerata?

Resp. Negative, nisi forte interveniat causa lucri cessantis, & damni emergentis. Neque excusat alterationem pretii legalis juxta Molinam, si quis vendendo rem alibi emptam perderet multum in vendi-

tio-

tione ad pretium taxatum; sibi enim imputare debet, si carius alibi emit, quod hic minoris vendit, libere enim periculosam negotii sortem elegit. Neque justitia pretii commensuratur a damno, vel lucro Mercatoris, sed vel a valore taxato a Principe, vel a naturali; quos excedere peccatum est contra justitiam, ideoque obligans ad restitutionem.

5. Excusatne alterationem pretii, quia taxa victualium facta tempore abundantiæ, relaxata non est tempore sterilitatis?

Resp. Bene distinguit Molfesius sic. Si taxa sit universalissima, & facta a Principe cum consideratione, & respectu ad annos sterilitatis, & abundantiæ, tunc alterari nequit, magna enim utilitas tempore abundantiæ compensat damnum, quod quis patitur tempore sterilitatis; si vero taxa fiat de anno in annum; illa, quæ fasta est tempore abundantiæ, servari non debet in conscientia tempore sterilitatis; & tunc quis non attenta lege, tamquam parum rationabili, sequi potest pretium commune, naturale, & vulgare.

6. Excusatne alterationem pretii legalis eo quia Provisor Civitatis, ad quem spectat taxare, ex odio particulari adversus venditorem notabiliter minus taxavit mercem, quam valeat?

Resp. Ex Molina, si quis habeat evidentiam injustæ pragmaticæ, & taxæ factæ ex odio, poterit sine peccato vendere ad taxam justam alio tempore factam. Intellige in casu, quo nullus sit recursus pro moderatione taxæ, & pragmaticæ: si enim recurrere potest ad Superiorem, propria auctoritate taxam mutare nequit.

7. Quis sciens post paucos dies faciendam esse taxam viliorem suæ mercis, potestne procurare, ut cito illam vendat taxa majori ea tunc currente?

Resp. Affirmative: hæc enim industria nullam involvit fraudem, sed quis utitur jure proprio vendendi ad taxam legalem currentem, donec moderetur. Adverte tamen, quod Mercator habens mandatum a Principe moderandi taxam, non potest dis-

differre moderationem, donec pretio majori vendat suas merces.

8. Excusatne alterationem pretii taxati, eo quod macellarii vendant carnes electas pretio majori, & deteriores pretio taxato?

Resp. Cum Filiucio, negative, quia taxa fit permixtim pro carnibus deterioribus, & bonis, itaut unum compenset aliud; ille ergo excessus est contra justitiam, secus carnes deteriores deberent vendi infra taxam. Possent tamen recipere plus, si hoc detur ab emptoribus gratis; sed ut notat Rodriguez, communiter nihil datur ex gratitudine, sed quia emens, alioquin carnes electas non haberet. Quod dicitur de macellariis, dicendum est de venditoribus fructuum, piscium, & aliarum rerum taxatarum.

9. Vendens res, quæ non habent pretium legitimum taxatum a Principe, sed solum naturale, sive eas vendat pecunia credita, sive eas vendat pecunia numerata, potest eas vendere intra latitudinem pretii supremi, medii, & infimi. Hinc non licet venditori plus vendere ultra pretium summum propter dilatam solutionem: neque emptori vilius emere infra pretium infimum præcise ob anticipatam solutionem: quia in venditionibus, quæ fiunt pecunia credita, vel anticipata, est virtuale mutuum, & ideo committitur usura, si aliquid ultra sortem accipiatur. Potest ergo solum aliquid pretii alterari, cum intervenit titulus lucri cessantis, & damni emergentis; ut dixi de mutuo.

10. Potestne quis vendere supra pretium supremum præcise, quia res, quæ illis parum utilis est, e contra emptori est valde utilis, & necessaria?

Resp. Negative, quia utilitas tota emptoris est, non venditoris: nequit ergo sumi pretium pro eo, quod suum non est. Adverte rem, quæ valde utilis venditori non est, posse tamen esse ei valde charam, ita ut habeat in ea affectum singularem, puta in domo, quia ibi natus est, & retinet monumentum avorum: quia recepit a Principe, vel quia in

ea sit

ea sit aliquid singulare, & rarum: si de istis moneatur emptor & dicatur, venditorem propter hæc motiva nolle vendere pretio currente, licet tunc carius vendere: non enim majus pretium tunc respicit utilitatem ementis, sed commodum vendentis, qui ægre se privat re pretiosa & rara. Hac eadem ratione licet carius vendere peregrinos flores, aves, feras, picturas, numismata antiqua, & similia, quæ ad ornatum, & delicias tenentur, & quibus quis nonnisi cum molestia se privat.

11. Suntne alii tituli, propter quos possit vendens carius vendere?

Resp. Affirmative, & præcipue lucrum cessans; damnum emergens, incommodum & molestia obventura ob celerem venditionem: hinc qui res minutim vendunt, possunt carius vendere, quia debent majores labores & expensas subire in conservandis rebus; & hac ratione excusantur caupones, tabernarii, stabularii, qui ova, gallinas, vinum, avenam carius vendunt, quam alii; dummodo horum pretium non sit taxatum a Principe. E contra, emptores, qui summam notabilem emunt, hac eadem ratione excusantur, si vilius emant, quia nimirum exonerant venditores pluribus expensis & laboribus in rerum conservatione necessariis.

12. Qui vendit merces pecunia credita solvenda post sex menses, potestne vendere juxta pretium naturale, quod tunc habebunt: an vero tenetur vendere juxta pretium præsens, quod nunc habent, dum venduntur?

Resp. Si probabiliter erat servaturus merces usque ad illud tempus, potest pacisci de pretio futuro tempore solutionis, quo moraliter speratur vendentis utilitas; ut evenit in tritico servato usque ad mensem Januarii; si autem non erat servaturus, debet vendere pretio præsente currente: secus committitur usura palliata, & illud plus recipitur titulo dilatæ solutionis. Pro hoc autem generalius stabiliendo, nota sequentem doctrinam.

13. Sotus advertit esse res aliquas, quæ credito

tantum vendi possunt, ut juste vendantur: exemplum harum est in serico, quod in tanta quantitate ad nonnullas Civitates transfertur, ut si numerata pecunia vendantur, & ob emptorum inopiam vilius venderetur, quam valeat: in istis ergo & similibus rebus statuitur pretium, non eo tempore, quo traduntur merces, sed tempore solutionis. Aliæ merces e contra, nisi anticipata solutione emantur, emi nequeunt: exemplum est de mercibus lanarum, quas mercatores habere nequeunt, nisi pecuniam pastoribus tribuant, qui oves alant hyberno tempore: & harum pretium statuendum est tempore solutionis pecuniæ, non tempore solutionis lanarum. Hinc, qui vendit pecunia credita, quam erat expositurus certe; & determinate in negotiationibus sibi lucrativis, potest plus recipere ratione lucri cessantis, vel propter expensas, quas facturus est probabiliter, ut mercis suæ pretium consequatur: non autem propter periculum, quod emptor reddatur impotens ad solvendum, quia hoc est palliare usuras, non evitare periculum: si enim reddatur impotens, neque potest repetere illud plus, neque quod est justum; si autem remaneret potens ad justum pretium, quare gravatur illo excessu? Vide ergo, quod in stabiliendo ly plus nullum est periculi remedium, sed usuræ pallium.

14. Emens teneturne servare justum pretium in emptione?

Resp. Affirmative: proinde res taxatas tenetur emere pretio legitimo, & alias pretio naturali: unde si emat infra pretium infimum, peccat, & tenetur ad restitutionem; maxime si emat a fœminis, pueris, rusticis, vel ab habente maximam necessitatem, ratione cujus rem vendit vilius; ægre tamen.

15. Danturne excusantes emptorem pretio vili, & infra infimum?

Resp. Dantur plures. Primo, eum excusat Lessius, eo quod multa simul emat, quia tunc liberat venditorem a multis curis, & eum reddit expeditum ad alia comparanda in negotio. Secundo, eum excusat,

cuſat, ſi merces emat in gratiam venditoris; puta; quia ipſe non indiget, neque ſunt illi commodæ, ſed potius emit a venditore eximie rogatus. Neque obſtat venditorem vendere propter neceſſitatem, quia, ut reflectit Bonacina, nihilominus venditio remanet voluntaria. Tertio, cum excuſat, ſi emat rem publice expoſitam ſub haſta, ut ſolet dici *all' incanto*, quia, ut notat Molfeſius, in tali modo vendendi ex conſenſu publicæ auctoritatis pretium juſtum eſt illud, quod intra tantum tempus juxta leges cujuſcunque loci invenitur. Adverte tamen, quod ſi emptor minis & præpotentia impediat alios offerre, vel alio modo minuat, aut auferat libertatem ſponte offerentium; peccat contra juſtitiam, & tenetur venditori damnum reſarcire.

16. Aliquis expoſitis mercibus vendendis ſub haſta *all' incanto* plus offerenti, adunat amicos non habentes intentionem emendi, ut offerant primo plus, quam res vendenda valet: hinc accedentes alii ſic decepti augent pretium, & lucratur ultra valorem mercis, peccatne?

Reſp. Peccat mortaliter ipſe, & omnes alii, qui obtulerunt pretium ultra valorem naturalem ſine intentione emendi, & ratione talis fraudis, & injuſtæ acceptationis tenentur omnes in ſolidum ad compenſandum damnum emptoris.

17. Eſtne peccatum alterare ſubſtantiam mercis, & vendere vitioſam rem pro bona?

Reſp. Eſt peccatum contra juſtitiam vendere pro bona rem vitioſam, vel in ſubſtantia, ut auricalchum pro auro; vel in quantitate, ut libram unam pro una & dimidia: vel in qualitate, ut equum cæcum pro non cæco, vinum lymphatum pro mero: ſi ergo quis vendat rem vitioſam pro ſana, & tanti quanti valeret res ſana, committit peccatum contra juſtitiam, cum onere reſarciendi damnum.

18. Res vitioſa poteſtne vendi tanti, quanti valet cum ſuo vitio, non detegendo emptori vitium illud?

Reſp. Si emptor adhibita ſolita diligentia vitium

illud detegere potest, venditio illa est licita; non tenetur venditor vitium revelare, si enim emptor diligentia solita non utatur, sibi imputet: si vitium sit occultum, & etiam cum diligentia solita nequeat detegi, tenetur illud venditor revelare in sequentibus casibus; primo, cum scit vitium illud futurum esse damno emptori, vel rem tali vitio affectam fore emptori inutilem, & forte gravosam; secundo, cum scit emptorem illam emere, ut aliis vendat; tunc enim tenetur revelare vitium, ne forte tanti ipse vendat aliis, quanti sine vitio valeret; tertio, cum scit emptorem conservaturum ad longum tempus talem mercem, quæ cum vitio diu conservari nequit, sed debet statim quis ea uti. Extra istos casus, remoto mendacio, & juramento, poterit rem vitiosam vendere justo pretio, vitio non detecto: quod ut facilius percipiatur, usitatores casus mox appono, in quibus vitium detegendum est. Unum moneo, illis casibus, in quibus venditor tenetur vitium occultum revelare, non satisfacere revelando in genere tantum, sed debet illud aperire in sua specie: sic venditor interrogatus de vitio occulto equi; non satisfacit respondendo, Est cæcus, claudus, & omnia vitia habet; dum enim hoc modo affirmat illud, quod emptor videt aperte non esse, magis decipit, quam tegendo illud, quod occultum est.

19. Hinc casus usitatiores, in quibus venditor tenetur revelare vitium occultum, sunt: primo quis vendit militi equum, qui nullo modo sustinere potest fragorem tympanorum, & strepitum armorum, sed tunc furiose se erigit; secundo, quis vendit vinum mixtum aqua, quod propterea conservari nequit, tabernario, qui indiget illud vendere tempore æstivo, vel triticum defectuosum in magna quantitate pistori, qui debet illud detinere in horreo usque ad annum novum; tertio, pharmacopola, qui vendit medicinam vitiosam infirmo; quarto, vendens domum, quæ ex defectu occulto fundamentorum ruinosa est; quinto, vendens pannum, vel corium

adu-

aduſtum mercatori, qui in officina per multum tempus illud debet conſervare: iſti omnes venditores, etſi vendant rem ſolum tanti, quanti valet cum proprio vitio, & defectu, non ſunt in conſcientia ſecuri, ſi vitium occultum non detegant; quia tales merces non ſerviunt emptori, immo ſunt ipſi nocivæ, adeoque fraudulenta venditio reſcindenda eſt, quia emens nullo modo habuit intentionem emendi rem, vel inutilem, vel perniciosam. Neque ſufficit contractum reſcindere, ſi emptor jam paſſus ſit aliquod damnum ex re empta: ſed inſuper tenetur venditor illud compenſare.

20. Si quis immiſcuerit merci aureæ aliquid ſerici, vel ſericæ lanam, quæ non appareat, poteſtne illam vendere pretio juſto proportionato defectui, & vitio?

Reſp. Si emptor ſit uſurus tali merce in proprium commodum, poteſt vitium tacere, quia nullum inde detrimentum patitur. Si autem emptor ſit mercatori revenditurus mercem, debet hoc vitium revelare, ne revendens merces aliis emptoribus pretio rigoroſo, & quanti valerent ſine tali vitio, damnum notabile illis inferat.

21. Poteſtne tabernarius vino generoſiſſimo addere tantum aquæ, quantum ſufficit ad illud reddendum æqualem vino ordinario, & illud vendere pretio vini ordinarii?

Reſp. Rebellius ſentit negative, quia tunc vendit aquam ad taxam vini ordinarii: ſic, ſi in tribus amphoris vini miſceat unam aquæ, vendit quatuor amphoras vini, proinde ſumit pretium doloſe contra voluntatem ementium, qui intendunt emere vinum purum, & non mixtum; & ubi imponitur taxa a Principe, facit etiam contra legem, quæ taxat res puras, & naturales, non vero mixtas. Leſſius ſentit hoc poſſe fieri; nam tabernarius nullam injuriam facit emptori, dando ipſi pro pretio ordinario vinum æquale ordinario; cum enim valor, & æſtimatio ordinaria ſumatur in ordine ad uſus humanos, & tale vinum lymphatum, æque ac vinum ordinarium,

utile sit ad usus humanos, potest eodem cum illo vendi pretio; Hanc Lessii sententiam Diana vocat probabiliorem, & eo maxime, cum experientia constet euntes ad tabernam ut plurimum bibere usque ad ebrietatem vinum generosissimum, unde eis lymphare, & æquare ordinario, nedum damnosum non est, verum etiam utilius. Caveant tamen tabernarii, ut quod dicitur de generosissimo, ab ipsis non usurpetur pro ordinario; quod utique tolerari non potest.

22. Si quis ex ignorantia vendat rem vitiosam tanti, quanti valeret, si esset integra, & sana, peccatne?

Resp. Negative: ignorantia enim eum excusat; tenetur tamen, ut notat Molfesius, ex re accepta restituere ly plus, quod accepit, quodque non accepisset, habita vitii notitia.

23. Venditor nesciens vitium occultum rei, ratione cujus conservari non potest, puta nesciens in vino esse plurimum aquæ, protestatur tamen emptori, se illud vendere tale quale est, nec ullo modo velle stare periculis; casu quo non conservetur: quid de illo?

Resp. Cum Molfesio, protestatio cum ignorantia vitii excusat a restitutione venditorem, qui accepit tantum pretii, quantum in illis circumstantiis verisimiliter res valebat; emens enim sub tali protestatione, assumit supra se periculum cujuscunque eventus futuri, casu quo merces ex defectu occulto pereat; quæ tamen protestatio non excusat venditorem, si vitium sit illi notum, quia tunc intervenit fraus & dolus cum damno tertii.

24. Venditurus triticum collocat prius in loco humido, ut intumescat; vel aliam rem, quæ venditur ad pondus, ponit in cella vinaria, ut ex humiditate ponderet, peccatne?

Resp. Tenetur ad restitutionem propter damnum, quod causat in emptore ex tali dolo, & fraude.

25. Quis vendit, nesciens pretium justum alicujus insignis picturæ emptori, qui etiam ignorat excel-
len-

lentiam tabulæ; si casu talis res valeat multo plus, vel minus, teneturne alteruter ad compensationem damni?

* *Resp.* Negative cum Molfesio, quia in hac negotiatione uterque se exposuit incerto, & æquali periculo.

16. Qui gemmam a rustico, qui nescit ejus valorem, emit pretio vilissimo, ad quid tenetur?

Resp. Cum Molfesio, tenetur ad restitutionem juxta quantitatem pretii, saltem infimi; implicite enim unusquisque habet voluntatem vendendi rem tanti quanti valet, non autem donandi illum excessum infra pretium infimum: unde quod rusticus acquiescat pretio exhibito, non suffragatur emptori, qui monere eum debebat de valore rei. Cajetanus in Summa, *verbo Emptio*, putat sufficere, quod emptor dicat rustico: Ego volo emere sine scrupulo, dabo tibi tantum, cæterum illud plus, quod valet res, concede mihi: & si rusticus acquiescat dicto, emptor ad nihil tenetur.

17. Quomodo vendi, & emi possunt credita, seu chirographa?

Resp. In emptione creditorum non emitur creditum, sed jus, seu actio ad creditum exigendum: hinc ex parte venditoris, ut venditio sit licita, debet creditum esse exigibile, si enim quis sciat creditum nullo modo exigi posse, & hoc abscondat emptori, tacet vitium intrinsecum substantiale rei, proinde committit injustitiam, ratione cujus tenetur contractum rescindere. Posito ergo, quod creditum sit cum magno, vel etiam sine magno labore, & difficultate exigibile, vendi potest. Hinc ex parte emptoris, ut juste emat, hæc observanda sunt, si creditum sit certum, & facile exigibile suo tempore, illud minoris emere solutione anticipata, est usura, quia hæc emptio est implicita mutuatio, & mutuat implicite minorem pecuniam pro exigenda majori: poterit ergo solum minoris emere, si interveniat titulus lucri cessantis, & damni emergentis. Si autem solutio crediti sit difficilis, periculosa, &

etiam dispendiosa exigenti ; tunc juxta quantitatem talis difficultatis possunt credita minoris emi, cum tali enim difficultate minoris valent ; ita Bonacina.

28. Hinc quia credita adversus Reges, & Magnates, sunt semper difficilioris exactionis, possunt etiam emi viliori pretio ; non tamen a Quæstoribus, & Regum ministris, ad quos pertinet solutio ; in ipsorum enim manu est sumere tantum, quanti valet integrum creditum. Adde, Quæstores Regum, & alios ministros, quibus competit solvere debita principalis, peccare graviter contra justitiam, quando ipsi sunt causa difficilis solutionis; ipsi enim causa sunt injusti damni creditorum, & eorum culpa creditum minus valet: tenentur ergo ex proprio damna creditorum reparare : insuper cum aliquid sumunt, ut uni potius, quam alteri solvant credita, tenentur pretium acceptum restituere, quia injuste acceptum est ; & etiam ipsi tenentur servare ordinem restitutionis, quando ex bonis Regum nequeunt omnibus in solidum satisfacere : hinc debent præferre creditores anteriores posterioribus, & inter æquales solvere omnibus pro rata.

29. Quid est Negotiatio?

Resp. Est emptio alicujus rei, ut eadem invariata, & immutata, vel permutetur, vel revendatur carius, & cum lucro. Negotiatio est Clericis constitutis in Sacris, & Religiosis prohibita, & hi si negotientur, peccant mortaliter contra Ecclesiæ præceptum. Si Clericus semel, vel iterum negotietur in materia non gravi, emendo, & revendendo Cruces, libros, & similia in parva quantitate, cum aliquo parvo lucro, occulte tamen, secundum Dianam non peccat mortaliter. Neque peccat, si negotietur per alium, quia Clerico, ut sentit Lessius, prohibitum est negotiari per se. Beneficiatus, qui in Sacris non est, per Salas, & plures alios, si negotietur, peccat mortaliter; Molina tamen excusat ; nihilominus hoc certe parum laudabile est. Excusatio subjacet pluribus limitationibus, quæ referuntur a Barbosa, Trullo, & aliis.

30. Pos-

30. Possunt tamen Clericus, & Procurator Religiosus, pro prædiis propriis emere oves, & animalia, quæ saginata revendantur cum lucro, quia sic non negotiantur, sed vendunt fructus suorum agrorum. Neque etiam illis illicitum est greges alere, ut lanam, lac, & fœtus vendantur. Neque etiam, ex Diana, est illicitum Clerico triticum, & cæteras fruges, quas colligit ex propriis agris, alio asportare, ut carius vendantur: neque illicitum est emere agrum cum fructibus jam maturis, ut vendantur, quia tunc non negotiatur, sed vendit fructus agri sui, neque illicitum est, si id, quod emerat ad proprios usus, mutato consilio carius vendat, quia negotiatio proprie est emere cum intentione revendendi: est tamen illicitum Clerico locare agros aliorum, ut fructus vendat, quia hoc, ut testatur Cardinalis de Lugo, prohibitum est a Concilio Carthaginensi.

31. Estne licitum famulo negotiari cum pecunia domini eo inscio?

Resp. Si habet pecuniam paratam dandam domino toties, quoties petat, non est illicitum, quia nullam injuriam ei facit; neque detrimentum ille patitur, si servus ex propria industria comparet sibi lucrum cum pecunia domini otiosa, & quiescente; ita Diana, qui insuper adducit Molinam permittentem famulo, qui cum pecunia aurea mittitur ad solvendum debitum domini sui posse, cum argentea commutare, & lucrum ex minuto cambio provenìens sibi retinere.

SECTIO VI.

De Eleemosyna.

1. Quid est eleemosyna?

Resp. Est opus ex misericordia procedens, quo indigentiæ alicujus subvenitur. Certum est certitudine fidei, extare in Ecclesia Dei præceptum obligans ad faciendam eleemosynam, & aliquando,

in casibus infra exponendis, obligat sub lethali. Hoc præceptum est affirmativum naturale, divinum, Ecclesiasticum, saltem quoad Beneficiatos, hinc obligat tam fideles, quam infideles, sicuti præceptum honorandi parentes.

2. Quotuplex est necessitas proximi, cui quis succurrere tenetur?

Resp. Triplex; alia extrema, alia gravis, alia communis. Necessitas extrema est ea, ex qua imminet proximo periculum vitæ, vel etiam gravis & diuturni morbi. Necessitas gravis est illa, ex qua imminet periculum gravis mali, puta captivitatis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, vel status: ex qua fit, ut cum difficultate se possit sustentare, vel non possit vivere secundum suum statum; ut si nobilis cogatur artes mechanicas exercere, & aliis famulari. Communis est illa, quæ reperitur in pauperibus trivialibus, & ordinarie mendicantibus.

3. Quotuplex est bonum superfluum, de quo quis tenetur eleemosynas facere?

Resp. Duplex, aliud est superfluum statui: aliud superfluum naturæ. Superfluum naturæ est id, quod superest demptis iis, quæ sunt necessaria ad vitam propriam, & suæ familiæ sustentandam. Superfluum statui est id quod superest demptis iis, quæ necessaria sunt, non solum ad vitam sustentandam, sed etiam ad decentem statum servitutis, & ornamentorum, juxta conditionem personæ, & usum, seu morem suæ patriæ.

4. Quinam tenentur facere eleemosynam?

Resp. In aliquibus casibus mox distinguendis omnes, qui habent superflua, & inter istos, magis personæ publicæ, quam privatæ, magis Clerici, quam sæculares, & inter Clericos, magis beneficiati, quam non beneficiati, & inter beneficiatos, magis qui habent jurisdictionem, & curam animarum, quam habentes Beneficium simplex.

5. Quonam ordine facienda est eleemosyna?

Resp. Debet proportionari pauperum indigentiæ; unde

unde prius succurrendi sunt extreme indigentes, deinde graviter, & postremo communiter egentes; & cæteris paribus prius consanguinei, deinde affines, & postea alii, inter quos Clericus præferendus est sæculari: si indigens est persona publica, & valde utilis Reipublicæ, cunctis est præponenda.

6. Teneturne habens superflua statui, inquirere pauperes, quibus subveniat?

Resp. Negative, nisi forte sit persona publica, & multo magis si sit animarum Pastor, & Episcopus, qui ex officio Pater pauperum est.

7. Habens superflua statui satisfacitne, si pauperi existenti in extrema necessitate succurrat cum onere restituendi, quando factus sit ditior?

Resp. Sententia Navarri affirmativa est: hæc tamen videtur Alario improbabilis; si enim sufficeret mutuare cum jure ad restitutionem; quando extreme indigens erit ditior, nullum extaret præceptum eleemosynæ: hæc enim dicit liberam donationem, non vero mutuationem. In extrema ergo necessitate, non solum habens superflua statui tenetur facere eleemosynam; sed etiam habens superflua naturæ, licet hæc sint statui necessaria. In gravi necessitate unusquisque tenetur succurrere proximo cum modico detrimento sui status, quia cum parvo suo incommodo tenetur ex charitate maximum, & grave incommodum proximi impedire: nemo tamen, ex Divo Thoma, tenetur pro vita pauperum totum suum statum exponere. In ordinaria necessitate, habens superflua statui, tenetur aliquid eleemosynæ dare pauperibus, ne ordinaria necessitas transeat in gravem, & deinde gravis in extremam.

8. Teneturne quis succurrere Civitati obsessæ, in extrema necessitate defectus ciborum positæ?

Resp. Si bellum est justum, & Civitas juste sit obsessa, non solum non tenetur quis ei succurrere, sed peccat succurrendo. Neque est irroganda eleemosyna illis pauperibus, qui ex eadem ansam peccandi accipiunt: nec damnatis a Judice, ut fame &

sui pereant, nisi forte sit Minister justitiæ, qui sicut legem tulit, ita potest dispensare.

9. Quænam est eleemosyna sufficiens?

Resp. Eleemosyna ex duplici capite potest esse sufficiens; primo, ex parte accipientis, & est illa, quæ aufert a paupere omnem præsentem angustiam, & necessitatem; secundo, ex parte dantis, quando qui dat parum, habet cordis latitudinem, & donat quantum patitur ejus conditio: Eleemosyna est semper sufficienter danda: si qui dat, est valde dives, tenetur dare extreme, vel graviter indigenti sufficientem ex parte recipientis; si tamen multi dant, potest unusquisque dare suam partem, quæ simul cum aliis integret sufficientem; si autem & ipse secundum proprium statum pauper sit, satisfaciet dando sufficientem ex parte dantis.

10. Teneturne quis pauperibus communibus, qui mendicant, & ostendunt ex nuditate, & morbo signa extremæ necessitatis, tradere pinguem eleemosynam, quæ sufficienter occurrat omnibus istis malis?

Resp. Negative ex Diana: quia ut plurimum ad molliendos spectatores ista necessitas vel fingitur, vel exaggeratur, & cum a pluribus probabiliter sint juvandi, sufficiet eleemosyna ordinaria.

11. Si quis dives, & habens superflua statui, diu neget omnes eleemosynas, cum animo congregandi multa bona, ut meliori tempore hæc convertat in pium usum, & celebrem aliquam fundationem, peccatne?

Resp. Negative, quia negat eleemosynam non defectu charitatis, sed ut plenius charitatem exerceat. Intellige tamen, si non sit casus extremæ necessitatis: in hac enim circumstantia tam gravi tenetur consulere pauperibus de præsenti. Layman monet, divites repellentes a se inhumaniter omnes pauperes sine rationabili causa, eos versari in malo statu: non tamen illis facile est deneganda absolutio propter dissensum Auctorum in hac obligatione eleemosynæ: inquirat ergo Confessarius, antequam neget absolutionem, an ab eis assignetur causa rationabi-

nabilis negandi eleemosynas. Magistratus etiam excludentes ab eorum territoriis pauperes peregrinos, & exteros, non sunt damnandi, si hoc ex rationabili motivo faciant.

12. Uxores possuntne facere eleemosynam inscio marito?

Resp. Ex Toleto affirmative, in his casibus: primo cum sciunt conjuges gaudere de suis eleemosynis: secundo, cum maritus est amens, aut profectus in longinquam regionem, & ejus bona administrat uxor: tertio, cum uxoribus est assignata certa summa pro expensis, & ex hac sibi aliquid subtrahunt, pauperibus erogandum: quarto, cum mariti sunt nimis avari, & nolunt tradere, quam tenentur, eleemosynam; tunc enim charitas uxoris supplet duritiem cordis sui viri: quinto, si habeat bona præter dotem: sexto, si habeat lucrum aliquod proprium, quod non cedat in utilitatem mariti juxta stylum regionis, puta, si ex serico, vel alia arte: potest etiam ex turpi lucro adulterii, hoc enim est facere sibi amicos ex mammona iniquitatis: potest etiam cum moderatione facere ex bonis marito communibus, dummodo ex hoc maritus non depauperetur.

13. Quid dicendum de famulis, & tutoribus?

Resp. Famuli in extrema alicujus pauperis necessitate, etiam sine licentia, possunt de bonis domini sufficientem eleemosynam facere: sicuti enim tunc pauper licite surripit, ita famulus licite dat: in gravi debet omnino petere licentiam, nisi forte, quod erogatur, sit adeo tenue, puta frustum panis, ut a domino non curetur. Tutores, & Curatores, & qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere tenues eleemosynas, quales teneretur facere principalis.

Tro-

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

AB INNOCENTIO XI.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

SECTIO VII.

De Correctione fraterna.

1. Quid est correctio fraterna?

Resp. Est admonitio ex virtute charitatis procedens, qua quis conatur proximum revocare a peccato, in quod lapsus est. Extat præceptum correctionis fraternæ, tum naturale, quo membra unius corporis se mutuo adjuvare tenentur; tum divinum positivum, contentum in his verbis *Matth.* 8. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Transgressio hujus præcepti in materia gravi, & cum certo debito corripiendi, est mortalis: in materia levi, est venialis. Hoc præceptum est solum per se obligans; nam per accidens ex pluribus circumstantiis infra assignandis quandoque non obligat.

2. In quibus circumstantiis obligat præceptum correctionis?

Resp. In istis: primo, si tibi certo, non autem probabiliter tantum, aut ex suspicione constet proximi peccatum; secundo, si probabile sit non esse emendatum, & multo magis relapsurum; tertio, si alius æque, aut forte magis idoneus non extet, qui correcturus certe judicetur; quarto, si sit spes emendationis: desperato enim fine, cessant media; quinto, si ex correctione non immineat grave damnum correctori, qui non est Pastor, ex officio obligatus dare animam pro ovibus: quia ergo difficile omnes

omnes istæ circumstantiæ combinatæ inveniuntur; ideo Alarius citans Divum Augustinum *de Civitate Dei* docet omittere correctionem, communiter esse veniale.

3. Ex quanam virtute tenetur quis corrigere?

Resp. Privati tenentur corrigere ex charitate: Prælati & Superiores tenentur corrigere ex officio, proinde ex justitia; hinc etiam cum proprio damno & incommodo; immo delicta publica, & scandalosa, etiam cum periculo vitæ, quia cum Christo pacti sunt curam Gregis, & ille exquiret sanguinem eorum de manibus Episcoporum. Adhibere ergo debent solicitudinem, & diligentiam, ut peccata nedum publica, sed etiam privata impediant. Hinc tenentur inquirere mores, & vitam eorum, quorum curam gerunt; & Layman docet eos posse peccare etiam graviter, venialem aliquam culpam non impediendo, si ex hoc vigor Christianæ disciplinæ minuatur.

4. Est servandus ordo correctionis fraternæ?

Resp. Affirmative, scilicet, ut prius corripias private, deinde coram testibus, postea ad Superiores deferas. Possunt quandoque, immo debent omitti testes, si magis præstet vitium indicare Superiori, qui facilius tale malum avertat. Peccata infectiva, ut hæresis occulta, & doctrina perniciosa, statim Prælato deferenda sunt: item ea, ex quibus imminet grave damnum, si statim illis non occurratur: qualia sunt proditiones, & machinationes contra Principem, & Rempublicam.

5. Si Prælatus præcipiat denuntiari sibi crimen statim, ante correctionem fraternam, obediendum ne illi est?

Resp. Licet alii doceant Prælatum peccare, hoc præcipiendo contra regulam nobis datam in Evangelio, & subditum non teneri obedire; alii velint hoc præceptum tenere, cum est de denuntiatione privata facienda ipsi tanquam privatæ personæ, non vero ipsi ut personæ publicæ: mihi tamen videtur existimandum esse, Prælatum non devenire ad hoc præce-

ptum,

ptum, nisi ex maxima causa, quam non expediat omnibus explicare: hinc cum subditis non constet evidenter contrarium, tenentur obedire, & denuntiare.

6. Estne statim post notitiam criminis facienda correctio?

Resp. Negative, nisi immineat grave damnum vel tertio, vel peccatori: potest ergo expectari opportuna occasio temporis, & loci, aliarumque circumstantiarum, ex quibus prudenter speretur major fructus correctionis. Nec sufficit semel correxisse, sed durante peccato, quoadusque est spes emendationis, debet iterum, iterumque renovari. De correctione patrum erga filios jam dixi in præcepto honorandi parentes,

CAPUT VIII.

De octavo Præcepto Decalogi: Non dices falsum testimonium.

Sectio I. *De Testibus.*
Sectio II. *De Revelatione secreti.*
Sectio III. *De Detractione.*
Sectio IV. *De Judicio temerario, & suspicione.*
Sectio V. *De Derisione, cavillationibus, & jactationibus.*
Sectio VI. *De Susurratione.*

HOc præcepto prohibetur, primo dicere falsum testimonium, sive in præjudicium, sive in utilitatem proximi; cum enim pro quacunque utilitate mentiri non liceat, neque licet mendacium approbare, & illud testificari: secundo, hoc præcepto prohibetur diffamatio proximi, sive per detractionem, sive per murmurationem, suspiciones, judicium temerarium, cavillationes, irrisiones proximi, revelationes secreti, & quidquid verbale offendit justitiam, ex cujus gravi læsione peccatur mortaliter.

S E-

SECTIO I.

De Testibus.

1. Teneturne testis respondere omnibus, quæ Judex interrogat?

Resp. Affirmative, si Judex legitimus sit, & servatis formulis juris legitime interroget: quod si super his Judex adhibeat juramentum, & testis æquivoce respondeat, est perjurus, ut dixi, ubi de juramento.

2. Testis, qui per suum falsum testimonium posuit aliquem innocentem in periculo vitæ, vel honoris, teneturne juridice retractare suum testimonium?

Resp. Si sciens, & volens imposuit falsum crimen, & speret per retractationem se profuturum innocenti, cum æquali periculo tenetur se retractare, quia melior est conditio innocentis, quam delinquentis, cum majori periculo non tenetur; si autem bona fide falsum testificatus est, putans esse verum, non tenetur cum tanto suo incommodo dictum retractare; ita Toletus.

3. Quid est hoc æquale periculum?

Resp. Æquale periculum est periculum damni; quod quis passurus est propter falsum testimonium, comparatum ad damnum, quod passurus est innocens, contra quem quis dixit falsum testimonium. Hinc si damnum innocentis sit deputatio ad triremes, verbi gratia, & damnum falsi testis sit exilium tantum, dicitur periculum damni minoris; si triremium, dicitur damni æqualis; si vitæ, dicitur damni majoris. Facta ergo hac comparatione, cum æqualis, vel minoris damni periculo, tenetur quis se retractare? Cum periculo majoris damni, non tenetur; nihilominus ad compensationem damnorum, quæ subit innocens ex injusta actione falsi testis, semper est obligatus. Si quis innocens sine tali testimonio adhuc condemnatus fuisset, non est necessaria retractatio, neque damnorum compensatio.

4. Si

4. Si teftis ex inadvertentia dicat falfum teftimonium, peccatne?

Resp. Si adhibuit diligentiam moralem, accurate fcilicet refpondendo Judici, & confiderata re, fupra quam interrogabatur, & nihilominus ignoranter dixerit falfum pro vero, non peccavit, & ad nihil tenetur; peccatum enim non eft, nifi fit voluntarium: fi inadvertenter, & incaute refpondit, peccavit, & ex injufta actione tenetur damnum compenfare.

5. Si quis fciat aliquem cudere monetam falfam, vel aliud grave malum moliri contra Rempublicam, teneturne etiam non citatus exponere fe ad examen, licet prævideat grave malum fibi ex examine proventurum?

Resp. Si poteft probare, id quod deponit, tenetur fub lethali etiam cum gravi incommodo illud denuntiare ex regula charitatis, quæ vult publicum bonum præferri privato.

6. Poteftne teftis fe occultare, vel ponere in loco facro, ne teftimonium dicere cogatur?

Resp. Si grave malum illi immineat ex teftimonio in caufa, quæ non pertinet ad publicam utilitatem, non peccat, & fi inde oriantur damna in proximo, non tenetur ad reftitutionem, quia cafu quod peccet, erit tantum peccatum contra charitatem, & obedientiam Magiftratui debitam, non contra juftitiam.

7. Si teftis fumat pecuniam, ut examinetur, & deponat teftimonium verum, peccatne, & tenetur ad reftitutionem pecuniæ?

Resp. Teftis, qui pro teftimonio ferendo patitur damnum, puta, vel iter longum arripiendo, vel defiftendo a labore quotidiano fibi lucrofo, & utili, poteft legitime pro hoc damno pecuniam fecundum ratam damni fumere; extra hunc cafum, peccat, quia cum teneatur veritatem dicere, nequit ex hoc aliquid lucrari; non tenetur tamen ad reftitutionem pecuniæ, nifi poft fententiam Judicis, quia hæc reftitutio eft pœnalis: ita Clavis regia.

8. Teftis infcius de aliquo facto vero, puta, quod

quod Petrus mutuò dederit Paulo mille, testatur se fuisse præsentem largitioni pecuniæ, peccatne?

Resp. Affirmative, & est sacrilegus; mentitur enim, & deponit id, quod nescit; non tenetur tamen ad restitutionem damni, quia revera factum est verum, & justum.

SECTIO II.

De revelatione Secreti.

1. TEnetur quis secretum servare jure naturali, ex cujus læsione perturbatur civile hominum commercium, tollitur amicis, & afflictis commoditas petendi consilium; hinc si revelatio secreti sit in materia gravi, erit lethale peccatum; si levis, veniale: & licet nullum sequatur damnum, sed solum gravis tristitia ex divulgatione secreti, adhuc erit peccatum lethale: injuste enim notabiliter affligitur proximus. Si autem quis non adeo indigne, & ægre ferret revelationem secreti gravis, nullum est peccatum; volenti enim, & consentienti nulla fit injuria. Si quis ex incuria revelaret secretum, pro modo, & mensura negligentiæ, & inconsiderationis, erit peccatum: si negligentia sit gravis, peccatum erit lethale: si levis, veniale.

2. Si quis revelaret secretum uni, vel alteri amico prudenti, & fideli, committeretne peccatum mortale?

Resp. Negative, nisi forte amicus esset unus ex illis, cui quis nullo modo vellet revelari secretum, & si sciret revelationem illi factam, notabiliter tristaretur.

3. Estne aliquando licitum revelare secretum?

Resp. Ad vitandum damnum publicum, est licitum, ad evitandum damnum particulare leve, nunquam est permissum: conservatio enim secreti est majoris momenti, quam damnum leve particulare. Si damnum privatum sit grave, & nullo modo impediri possit, nisi per revelationem secreti, tunc potest

test secretum revelari: lex enim secreti non est charitatis destructiva. Si autem commode fieri potest, prius monendus est, qui secretum commisit, ut tale damnum impediat: quod si facere nolit, non poterit juste dolere de revelatione secreti. Post damnum illatum non est licitum secretum violare, hæc enim violatio secreti ad nihil inservit, cum nequeat esse impeditiva damni, quod jam supponitur.

4. Estne licitum aperire litteras alterius?

Resp. Principes possunt aperire litteras non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli aliquid grave, & notabile continere judicantur. Hoc etiam præstare possunt ministri publici, quoties bono publico judicant necessarium videre aliqua, quæ in epistolis continentur. Paterfamilias; tutor, curator, & quicunque alterius curam gerit, potest litteras subditorum aperire, cum hoc judicat expedire pro bono regimine, ad impediendum aliquod malum imminens. Extra has personas, communiter non peccatur, si sit consensus expressus, ut legantur epistolæ, vel ab eo qui mittit, vel ab eo ad quem mittitur epistola. Neque est peccatum, si sit necesse ad divertendum grave damnum sibi, vel alteri imminens; ait tamen Cardinalis de Lugo, tunc non deberi plus legi de epistola, quam necesse sit ad talem finem obtinendum. Hinc qui ex curiositate, vel alio animo legit epistolas alterius, eo probabiliter invito, & renuente, peccat mortaliter contra publicum jus, quod habet unusquisque, ut eorum secreta litteris commissa non videantur, insuper si ex litterarum apertione sequatur alteri damnum, tenetur ad restitutionem ex injusta actione.

5. Estne peccatum litteras ab alio dilaceratas, & in publicum projectas, junctis partibus, legere?

Resp. Si fiat ex sola curiositate, est peccatum veniale. Immo volunt nonnulli per se nullum esse peccatum, quia quod pro derelicto habetur, in usum convertere licet. Notat tamen Layman, talem ex charitate saltem, teneri non manifestare secretum in

iis

iis contentum; maxime si inde prævideat oriturum damnum proximi, vel tristitiam.

SECTIO III.

De Detractione.

1. Quid est detractio?

Resp. Est injusta ablatio famæ alterius absentis, apponendo ei crimen falsum, vel occultum. Dico, absentis; si enim esset præsens, jam non esset detractio, sed contumelia. Ex genere suo est peccatum mortale contra justitiam, & charitatem, obligans ad damnorum compensationem. Hinc si quis dicat gravia crimina alterius, qui de iis gloriatur, puta, quod sit fornicarius, vel percussor, & vindex suarum offensarum; non tenetur ad restitutionem famæ, quia cum ille hanc famam non reputet, neque est invitus de ejus oblatione; detractor ergo in tali casu non peccat graviter, nisi hæc dicat animo nocendi.

2. Quot sunt modi detrahendi?

Resp. Octo: quatuor versantes circa bonum proximi nomen, quod denigratur; & quatuor circa malum, quod imponitur, vel augetur: & continentur in duobus carminibus. Primum circa malum est.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Ly *imponens*, significat detractorem apponentem innocenti crimen falsum. Ly *augens* significat eum, qui narrando crimen verum addit circumstantiam falsam, vel cum modo energico illud ita describit, ut majus appareat. Ly *manifestans* significat eum, qui occultum crimen alicujus sine necessitate propalat. Ly *in mala vertens* significat eum, qui bona opera unius coram aliis interpretatur in malam partem,

3. Carmen complectens modum detrahendi circa bonum nomen alicujus est.

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse.

Ille dicitur *negans*, qui coram aliis negat veritatem operis boni sui proximi, ne acquirat famam, & lau-

& laudem: ly *minuit*, significat illum, qui opus magna laude dignum ita describit diminute, ut parvam tantum laudabilitatem acquirat: ly *tacuit* significat eum, qui aliis laudantibus proximum laude dignum ipse tacet, quasi quod silentio suo demonstret se nolle alterius justæ laudi subscribere: ly *remisse laudat*, coincidit cum ly *minuit*, scilicet, qui verbo, vel gestu, vel signo maxime laudabilem virum, vix vel parum commendat. Juxta qualitatem damni honoris, vel famæ, quod aliquo ex istis modis proximo infertur, mensuranda est quantitas peccati.

4. Poteftne detractio fieri aliquando venialis?

Resp. In duobus casibus; primo, cum Toleto; ex indeliberatione, cum quis subitanee, vel ex levitate recenset crimen occultum alterius, absque eo, quod reflectat talem revelationem futuram esse perniciosam illius famæ: tenetur nihilominus famam integrare: Secundo, cum revelatur crimen veniale, vel vitia naturalia, quæ ordinarie non multum lædunt proximum, sicque ratione parvitatis materiæ crimen erit veniale.

5. Differuntne specie detrahere per appositionem falsi criminis, & per appositionem veri, sed occulti?

Resp. Licet Molina censeat specie non differre, eo quia malitia detractionis sumitur a læsione famæ, quæ eadem est, sive crimen verum sit, sed occultum, sive falsum: Nihilominus puto, quod differant: quia in crimine falso ponitur malitia mendacii, quæ non est in revelatione veri. Unde detractor per appositionem falsi criminis tenetur etiam jurare se falsum dixisse, si hoc necessarium sit ad famæ restaurationem; tenetur etiam pro integritate confessionis explicare circumstantiam immutantem, scilicet falsitatem criminis appositi.

6. Differuntne specie detractiones circa materiam specie diversam, puta, detrahere dicendo aliquem esse furem, vel esse homicidam?

Resp. Negative: unde qui in materia gravi detraxit, satisfacit integritati confessionis dicendo, læsi in ma-

materia gravi famam proximi, absque eo, quod addat, apposui ei crimen furti, vel homicidii.

7. Si quis eodem contextu sermonis plura gravia crimina apponat uni personæ, committine multiplex, an unum peccatum detractionis?

Resp. Unicum, quia unicus est actus ablativus famæ: Si vero quis eodem sermone detrahat multis, tot sunt peccata, quot personæ, quibus detrahit: si tamen illæ personæ non constituant unum totum morale, puta unam familiam, unam Religionem; tunc enim sufficit in confessione dicere, murmuravi de una familia, absque eo, quod explicet numerum personarum, quæ in eadem sunt. Detrahere coram pluribus, vel paucioribus, licet aggravet detractionem, quæ longe magis damnificat famam, si sit coram multis; nihilominus cum non transferat ad aliam speciem, non est necessario exprimendum.

8. Estne peccatum mortale revelare uni, vel alteri amico prudenti crimen occultum notabile proximi?

Resp. Primo, si hoc fiat ob finem bonum, puta ut caveat se ab illius amicitia, quæ nociva est, vel ut eum non recipiat in famulum, qui fur est, tunc nullum est peccatum, cum finis sit consulere bono amici, ad quod quis tenetur; alius ergo propriæ malitiæ imputet, si revelatio cedit illi in damnum; Secundo, si hoc fiat animo confabulandi, probabiliter non est, nisi veniale; cum enim fama sit quædam opinio bona generalis in mente plurium personarum, leve detrimentum est, eam offuscare in mente unius amici prudentis, quem novimus taciturum. Item peccatum detractionis non est, si quis recenseat injuriam gravem injuste ab alio receptam ad petendum consilium, vel sublevandam tristitiam: non autem si hoc faciat animo vindictæ, ut se compenset de injuria, denigrando famam offensoris.

9. Estne detractio, crimen infame, & publicum in uno loco, revelare in alio, ubi quis bonam famam jam acquisivit?

Resp. Aliqui volunt esse peccatum mortale contra cha-

charitatem; non contra justitiam, quia per suum publicum crimen amisit jus bonæ famæ. Toletus vult esse peccatum contra justitiam, quia ille dependenter a suis bonis moribus famam sibi denuo acquisivit, quam alius proinde injuste aufert: & hoc videtur probabilius.

10. Estne detractio, cum quis in una familia crimen aliquod patravit, propter quod ex Judicis sententia suspenditur, rememorare ejus avum etiam propter simile crimen suspensum fuisse?

Resp. Negative, factum enim publicum est, & nulli tollitur fama: est tamen contra charitatem. Si autem e contra vir honorabilis bene vivat, cujus pater fuit suspensus, rememorare quod beneficio temporis transierat in oblivionem, est peccatum mortale contra justitiam; aufertur enim fama, ad quam habet jus; ita Clavis regia.

11. Interrogatus senex de moribus alicujus familiæ, cum qua quis matrimonium inire vult, potestne in hoc casu infamiam illius oblivioni jam traditam, revelare?

Resp. Affirmative, cum hoc sit ad bonum finem; secus tolleretur de medio utilitas publica consulendi senes: quod foret majus Reipublicæ detrimentum.

12. Interrogatus de virtutibus alicujus puellæ ab eo, qui eam ducere vult, malitiose eas tacet, & nihil boni, vel mali dicit, peccatne contra justitiam?

Resp. Si interrogatus sit Superior, puta Parochus, ad quem spectat notitiam dare de vita, & moribus puellæ, peccat contra justitiam, & tenetur resarcire damna: si autem sit alius, ad quem hoc ex justitia non spectat, peccat contra charitatem, & ad nihil tenetur.

13. Aliquis laudat cum excessu alium ad præsentiam suorum inimicorum, ut inde illi sumant occasionem aperiendi ejus crimina occulta: & de facto res ita succedit; peccatne contra justitiam?

Resp. Affirmative, quia studiose occasionem dedit infamationi: unde tenetur in solidum famam resarcire.

14. Est-

14. Estne peccatum audire aliquem detrahentem?

Resp. Si audiens det ansam & occasionem detrahendi, aut de detractione sui proximi se complaceat, peccat juxta qualitatem detractionis, quam audit; si autem audiat solum curiositatis, vel levitatis gratia, si Superior non est, ad quem spectat corrigere proximum male operantem, solum peccat venialiter. Quicunque ergo ille sit, ne videatur detractioni consentire, debet ita se gerere, vel recedendo, si commode potest, vel intermiscendo alium sermonem, vel rogando detrahentem, ut desistat, vel tacendo cum debita modestia, idest nullum signum dando, quo detrahens conjecturare possit illi placere suam detractionem. Si autem Superior sit, & prudenter non timeat pejus malum ex correctione, omnino corrigere tenetur.

15. Quid est murmuratio ut a detractione distincta?

Resp. Est confabulatio de factis publicis, quæ possent in bonam partem sumi; vertendo ea in malam partem, exaggerando rem ultra meritum causæ, ponderando subtiliter circumstantias, ex quibus omnibus persona aliqua denigratur in suo honore. Est peccatum lethale, vel veniale, prout ex hac gravis, vel minus gravis injuria proximo fit.

16. Quomodo detractor, vel murmurator se gerere debet in restitutione famæ?

Resp. Si alterius famam læsit, apponendo vitium verum, sed occultum, non tenetur, nec debet dicere se mentitum esse; hoc enim est mentiri; sed debet eum laudare in eodem genere, in quo illum diffamavit, & procurare, quantum in se est, ut hoc reddatur credibile, & fama restauretur. Dixi, in eodem genere; si enim quis dixit aliquam fœminam esse inhonestam, non satis compensaret infamiam dicendo esse eleemosynariam, & piam; sed debet dicere compertum illi esse, quod sit proba, & modesta: intelligendo, ad fugiendum mendacium, ita compertum illi esse, quantum attinet ad communem

hominum existimationem. Si autem apposuit crimen falsum, tenetur se retractare, dicendo se mentitum esse, & confirmando id juramento, si necessarium sit ad famæ restaurationem.

17. Si quis detraxit defuncto, teneturne eodem modo restituere?

Resp. Aliqui volunt debere compensari famam per suffragia, aliaque opera pia directa ad utilitatem defuncti: sed hæc sententia videtur falsa, quia restitutio facienda est in bonis ejusdem, non diversi generis ab eo, in quo facta est læsio; sic ergo, si detractio defuncti redundet in infamiam familiæ, & hæredum viventium, isti compensandi sunt in honore læso; si vero solum dehonoratus sit defunctus, hic compensandus est eodem modo, ac si fuisset vivens.

18. Teneturne quis ad restitutionem famæ per hoc quòd narret crimina audita sine ulla exaggeratione, aut asseveratione, quod vera sint?

Resp. Si non narret crimina gravissima, ut sunt sortilegia, bestialitas, & similia; quorum mera suspicio valde denigrat, vel persona, de quo narrantur crimina audita, gravia quidem, sed non enormia, non sit adeo venerabilis, ut sola suspicio gravis criminis eam valde diffamet, non peccatur contra justitiam, sed solum contra charitatem; adeoque narrator non tenetur famam compensare. Caveant autem referentes audita, ne testentur se audivisse a teste irreprehensibili, & omni fide digno: sic enim diffamarent proximum: inducunt enim audientes, non solum ad suspicandum, sed etiam ad credendum vera esse crimina quæ referuntur: hinc tenentur ad restitutionem famæ.

19. Danturne causæ excusantes a restitutione famæ?

Resp. Sunt plures; primo, compensatio: quando aliqui se ad invicem diffamarunt, si apposita crimina sint æqualia, neuter tenetur compensare: si autem in aliquo sit excessus, tenetur compensare secundum illum excessum. Secundo, cum detractio fuit inefficax; & nullam fidem invenit apud audientes;

tes; proinde cum nullum secutum sit damnum, neque tenetur illud compensare. Tertio per condonationem, si diffamatus cedat juri suo. Quarto, per oblivionem, quando infamia transit in oblivionem, unde per restitutionem potius renovaretur suspicio criminis, quam repararetur infamia præterita. Quinto, cum fama diffamati recuperata est testimonio hominum prudentum, & proborum, apud quos pro eo tunc quis est in magna existimatione. Sexto, si quis non revelavit nisi crimina necessaria ad arcendum aliquod malum. Septimo, cum restitutio alienæ famæ obtineri nequit, nisi cum majori detrimento famæ propriæ: dico cum majori, nam cum æquali innocens est semper præferendus.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 43. Quid si nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in tota Theologia.

S E C T I O IV.

De judicio temerario, & suspicione.

1. QUid est judicium temerarium?

Resp. Est assensus firmus de infamia proximi, fundatus in conjecturis levibus ac frivolis, sine ulla hæsitatione. Hinc ad dignoscendum, utrum quis judicaverit temerarie, an solum dubitaverit, & suspicatus sit; solent directores conscientiæ scrupulosæ petere a pœnitente, num cum judicavit, paratus fuisset jurare, quod res ita se habuit: si hunc animum non haberet, signum est suspicionis, non judicii. Malitia judicii temerarii consistit in hoc,

quod cum unusquisque habeat jus bonæ famæ apud alios, usque dum hoc non amittit per publicum delictum, vel per graves & rationabiles conjecturas delicti, temerarie judicans ex fundamento futivolo, illum injuste privat hoc Jure respectu sui.

2. Estne judicium temerarium judicare ex conjecturis probabilibus, & rationabilibus de delicto, quod revera non extat?

Resp. Si quis non excedat in judicando id, quod inferunt conjecturæ, nullum est peccatum: prudenter enim, & non temere se gessit: regula enim judicii interni est apparentia rerum, non earum existentia.

3. Quale peccatum est judicium temerarium?

Resp. Est grave, vel leve, secundum qualitatem materiæ, de quis judicat. Hinc si materia gravis sit, peccatum est lethale: gravem enim injuriam facit proximo, male judicando de ipso fine sufficienti fundamento. Unde quis tenetur proximum compensare, retractando judicium, & bonam illius famam denuo concipiendo.

4. Quid est suspicio.

Resp. Est opinio mali orta ex levibus indiciis, & cum formidine oppositi. Regulariter non est nisi crimen veniale defectu indeliberationis voluntatis, & injuriæ tantum levis, quæ fit proximo: suspicando cum dubio aliquod crimen de ipso. Dico regulariter; nam si persona, de qua quis suspicatur crimen aliquod nefandum ex debili conjectura, esset valde decora, & venerabilis; tunc quis committeret peccatum lethale: gravis enim injuria est tantum nefas suspicari de viro, in publica æstimatione irreprehensibili.

SECTIO V.

De derisione, cavillationibus, & jactationibus.

1. QUid est derisio?

Resp. Est actus dehonorativus proximi per verba, vel gestus, cum intentione illum confundendi,

di, & pudore afficiendi. Differt a contumelia, quia irrisio fit ex joco, contumelia fit serio, & profertur ex ira, & indignatione. Cavillatio est frequentia parvularum litium ex frivolo & æquivoco fundamento, super qualibet re, quæ audiatur: unde cavillosus desumit argumentum contradicendi. Derisio, contumelia, & cavillatio sunt peccatum lethale, quando quis prævidet ex his proximum graviter tristari, & multo magis quando per derisum objicitur grave crimen, si prætextu jocandi habeatur intentio graviter proximum confundendi. Parvæ derisiones in materia levi, & ordinaria, excusare nequeunt a veniali: non enim sunt reducibiles ad virtutem eutrapeliæ moderatricis ludi, & jocorum; cum virtus nullius sit offensiva.

2. Deridere ex joco res sacras, puta ceremonias Ecclesiæ, facta vel dicta Sanctorum; scurriliter adducere Sacram Scripturam: suntne peccatum lethale?

Resp. Sunt sacrilegium profanativum rei venerabilis.

3. Deridere ex joco, & recreationis gratia aliquem, quod collum contorqueat, vel similem levem defectum naturalem habeat, estne peccatum?

Resp. Ex Filliucio, si derisio hæc sit sine verbis pungentibus, & ex his proximum non prævideatur offendendus, nullum peccatum est.

4. Derisioni opponitur vanagloriatio, quæ si fit de opere bono, est peccatum veniale vanitatis, si sit de opere malo, est peccatum ejusdem speciei cum opere, de quo quis gloriatur; unde si quis glorietur de puella seducta, vel de socio inebriato, committit peccatum lethale, nisi forte glorietur tantum de circumstantia ingeniosa, seu de industria adhibita in istis actibus; tunc enim affectus non est circa peccatum, sed circa abusum ingenii, qui regulariter est venialis. In artibus tamen mechanicis gloriari de ingenio, quo quis proximum decepit, & damnificavit, lethale, quia hujusmodi ingenii abusus lethalis est.

5. Estne peccatum lethale recensere cum delectatione peccatum vitæ præteritæ?

Resp. Ex Sanchez, si hoc fiat ex motivo levitatis, & solum animo confabulandi, sine ulla approbatione, aut complacentia de delicto, sed solum delectando se de confabulatione, non est nisi veniale, quia motivum delectationis veniale est. Advertit tamen Bertau istos narratores non debere loqui de præteritis delictis, nisi cum animi compunctione, & cum verbis exprimentibus culpæ detestationem, ne sint proximo occasiones scandali, aut ne excitent eorum approbationem.

SECTIO VI.

De Susurratione.

1. Quid est Susurratio?

Resp. Est peccatum linguæ recensentis defectus proximi ad excitandas rixas, & querelas inter amicos. Hinc ratione finis differt a contumelia, quæ habet pro fine confusionem proximi, & a detractione, quæ habet pro fine denigrationem honoris, ubi susurratio habet pro fine disseminare discordias, unde si finis sit discordiæ gravis, erit peccatum lethale, si discordiæ levis, & levium querelarum inter amicos, est peccatum veniale.

2. Levis susurratio, seu dilatio alicujus defectus levis alterius ad alterum, ex qua sequitur gravis divisio animorum inter amicos, est peccatum lethale?

Resp. Si gravis divisio prævisa fuit, est peccatum mortale; si non fuit prævisa, veniale: quia maxima illa tristitia, & amicorum divisio imputanda est malitiæ audientium, non vero efficaciæ susurrationis, quæ ad tantum non valebat.

3. Potestne aliquis curare, ut dirimat duorum amicitiam, cum fine sibi conciliandi alterutrius benevolentiam, & eum sibi reddendi amicum?

Resp. Si hoc fiat modis illicitis, male loquendo de uno, revelando ejus vitia & defectus ut separet ad in-

ad invicem amicos, & hinc alium sibi reddat benevolum, est peccatum lethale contra charitatem. Si fiat mediis licitis, scilicet precibus, gratificationibus, obsequiis, quibus quis studeat aucupari alterius gratiam, nullum est peccatum; sic enim quis habet pro fine amicitiam & benevolentiam unius, ex qua solum per accidens, & directe sequitur exclusio tertii.

CAPUT IX.

De Peccatis capitalibus.

1. Quid est peccatum capitale?

Resp. Peccatum capitale sumit denominationem a capite, quod in animalibus directivum est totius corporis. Hinc per metaphoram omne principium directivum plurium dicitur caput. In materia ergo vitiorum, illud secundum Divum Thomam capitale est, ex cujus fine intrinseco oriuntur plura vitia: unde sic definiri potest: Est habitus malus in anima positus, ex quo tanquam a fine intrinseco plura vitia frequenter oriuntur. Hæc septem sunt, nimirum Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia; & Acedia. Ne repetam, quæ sparsim dixi in toto opere, solum hic afferam definitiones vitiorum capitalium in particulari, & alia vitia, quæ ex illis originantur, & dicuntur a Summistis vitii capitalis filiæ.

2. Quid est Superbia?

Resp. Superbia dicitur a super, & volo, & superbire est velle super alios ire. Definitur sic: Appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ratione cujus quis vult super alios ire, & extolli. Est peccatum mortale ex genere suo, si sit determinata, & perfecta cum contemptu proximi, & æqualium, supra quos velit extolli, vel cum contemptu Superiorum, & Dei, quibus nolit subesse: si sit autem imperfecta, qua tantum quis plus justo se magnificat

fine aliorum fpretu, eft venialis ex Cajetano: item mortalis eft, fi quis determinate appetat, & quærat dignitates, & officia, quæ propter fuam imperitiam exercere non valet fine aliorum natabili detrimento.

3. Quot funt filiæ fuperbiæ?

Refp. Tres, vanagloria, præfumptio, & ambitio. Vanagloria eft inanis cupiditas æftimationis ex manifeftatione propriæ excellentiæ, five veræ, five fictæ. Præfumptio eft cupiditas aggrediendi aliquod magnum, & arduum fupra proprias vires. Ambitio eft inordinata cupiditas dignitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris. Hinc ambitiofi, qui ex inordinato appetitu parati funt per fas, & nefas, dignitates acquirere, funt in peffimo ftatu falutis. Dic de filiis, quod dixi de matre; fcilicet, cum fpretu, contemptu, vel damno proximi, funt materia peccati mortalis.

4. Quid eft Avaritia?

Refp. Eft appetitus inordinatus divitiarum. Hæc inordinatio appetitus poteft effe, vel contra juftitiam, quo quis per fas, vel nefas, determinate velit bona temporalia congregare; vel contra charitatem, quo quis non fatisfaciat proximo extreme indigenti: & etiam hoc modo ex genere fuo lethalis eft; tertio, contra liberalitatem, & ex genere fuo eft tantum venialis, nec tranfit in mortalem, nifi opponatur juftitiæ, vel charitati in re gravi.

5. Quot funt filiæ avaritiæ?

Refp. Septem; obduratio cordis, qua quis claudit pietatis vifcera in egentes; inquietudo cordis, qua quis inordinate applicatur in comparandis, vel confervandis divitiis, cum vano timore non acquirendi, aut dimittendi: violentia, qua quis rapit, vel retinet aliena, invito domino: fallacia, five dolus in verbis; fraus, five dolus in facto, quibus quis cum detrimento aliorum congregat; proditio, quæ eft deceptio contra fidem datam, vel debitam proximo, cum detrimento facultatum illius. Hæc omnia

jux-

juxta mensuram mali, quod intendunt proximo inferre, lethalia, vel venialia sunt.

6. Quid est luxuria, & quot ejus filiæ?

Resp. Est appetitus inordinatus venereorum. Ejus filiæ plurimæ sunt; prima, cæcitas mentis, quia venereis serviens non cogitat quæ Dei sunt: secunda, præcipitatio, qua quis a venereis dementatus sine consilio operatur; tertia, inconsideratio, ratione cujus, statui indecentia sine rubore suspicit exequenda: quarta, inconstantia, qua quis statim deficit in bonis propositis, si quæ illuminatus a Deo quandoque stabilivit: quinta, amor sui, ratione cujus figens in se ipso ultimum finem, sibi in omnibus placere studet: sexta, odium Dei, quo abhorret a divinis, imo Deo tamquam concupiscentiæ illicitæ inhibitore, & vindice; septima, affectus præsentis sæculi, cui tanto amore est addictus, ut paratus esset Beatitudini renuntiare, ut fruatur venereis in hoc mundo: octava, horror futuri sæculi, quo venereis immersus mortem inordinate timet, & de ea neque cogitat, neque aliquid sibi commemorari vult, & vitam, si posset, etiam illicitis mediis sibi prolongaret: isti omnes appetitus inordinati, ut plurimum veniales sunt propter actuum indeliberationem, & defectum determinati consensus.

7. Quid est ira?

Resp. Ira dicitur ab eundo, quasi homo ex ira extra se eat. Ira ergo physice, prout est passio quædam communis hominibus, & brutis, est alteratio & ebullitio sanguinis circa cor, ex qua nascitur appetitus inferendi malum ei, a quo quis damnum accepit: & hæc residet in potentia sensitiva: moraliter autem, prout est unum ex vitiis capitalibus, definitur appetitus inordinatus vindictæ. Hæc inordinatio potest dupliciter contingere: primo, ex parte modi irascendi, ut si quis nimis excandescat, & exaggeret cum ardore culpam proximi, quæ meretur reprehensionem, & castigationem: & hæc ira ex genere suo venialis est, nisi addatur blasphemia, maledictio, vel scandalum. Secundo modo, est inordi-

nata ex parte objecti, quatenus irascens appetit vindictam injustam, scilicet vel non propria auctoritate ferendam, vel ferendam quidem a Judice, sed multo majorem, quam culpa meretur; vel eam appetit non ex motivo justitiæ, ut culpa proximi juste puniatur: sed ut faciat malum animo conceptum contra offensorem. Hinc offensus determinate appetens, ut Judex juste puniat offensorem zelo justitiæ, ne culpa sit impunita, non peccat: sed zelat super iniquos, quod bonum est, juxta ordinem divinæ providentiæ, quæ ideo instituit Judices, ne crimina maneant sine pœna: Quapropter vulneratus, qui ex hoc motivo negat pacem vulneranti, ne evadat impunitus, non peccat. Si autem ex odio appetat castigationem, ut saltem a Judice castigetur inimicus, contra quem ipse nequit vindictam sumere, peccat mortaliter. Quapropter vulneratus, qui ex hoc motivo negat pacem vulneranti, non est absolvendus, nisi illam concedat, aut mutet animum.

8. Quot sunt filiæ iræ?

Resp. Septem, indignatio, tumor mentis, clamor, blasphemia, contumelia, opprobrium, rixa. Tumor mentis consistit in hoc, quod quis morose excogitet diversas vias vindictæ, quibus cogitationibus dicitur animus tumefacere; & hic est peccatum mortale, vel veniale, juxta qualitatem deliberationis, & mali, quod recogitat. Hinc qui determinate recogitat malum grave, peccat mortalitrr. Eodem modo cum proportione dic de cæteris filiabus iræ. Maledictiones quæ transmittuntur a patribus in filios, & a mulionibus in mulos, ut plurimum ratione indeliberationis sunt veniales.

9. Quid est gula?

Resp. Est inordinatus appetitus cibi, & potus. Ejus duæ sunt species, altera immoderati cibi, & dicitur crapula: altera immoderati potus; & dicitur ebrietas. Ex genere suo gula venialis est, quia neque opponitur charitati Dei, neque opponitur charitati proximi, ut patet ex quinque modis, quibus committitur; nempe primo circa substantiam cibi, & po-

& potus; quando sunt immoderate pretiosa, & lauta; secundo, circa quantitatem, cum quis vescitur, aut bibit plusquam egeat; tertio, circa qualitatem, cum quis cibos nimis delicatos, & nimis exquisite præparatos suscipit; quarto, circa modum edendi, vel bibendi, si quis nimis voraciter, vel cum immoderata delectatione vescatur; quinto, circa tempus, cum tempore indebito sumitur cibus. Edere usque ad vomitum, vomitum provocare, ut quis iterum edat, vel bibat; edere cum conscientia, quod talis cibus, vel tanta quantitas nimis noceat valetudini, vel ita gravet, ut notabiliter fiat ineptus functionibus, ad quas quis tenetur; continuæ potationes, & comestiones lautæ, ut nonnisi ad gulam quis recogitare videatur, & reputetur unus ex illis, quorum Deus venter est, excusari nequeunt a lethali. Nonnulli tamen excusant a mortali edere usque ad vomitum, quando non prævideatur inde grave damnum valetudini. Cætera diximus in Capite de Jejunio, ubi reperitur Sectio peculiaris de gula.

10. Quot sunt filiæ gulæ?

Resp. Quinque, mentis hebetudo, inepta lætitia, multiloquium, scurilitas, & immunditia, quæ consistit in vomitu, & similibus.

11. Quid est invidia?

Resp. Invidere, dicitur a non videre, quia invidus nollet videre bonum in proximo suo: hinc invidia directe opponitur charitati, quæ desiderat omnibus bonum. Est ergo ex genere suo mortalis, licet per accidens defectu plenæ advertentiæ; & deliberationis sit tantum venialis. Hæc definitur tristitia de alterius bono, prout est diminutivum propriæ excellentiæ. Pro intelligentia hujus definitionis sunt distinguendæ plures tristitiæ, quas quis habere potest de alterius bono, quæ cum invidia ut plurimum confunduntur, neque tamen ad eam pertinent.

12. Primo ergo contingit multoties tristari de dignitate alicujus sibi infensi & inimici, eo quod ab eo timeatur notabile damnum in propria persona, & familia; & hæc tristitia est effectus timoris, non

invidiæ; neque est peccatum per se, sed solum si sit inordinata. Si quis autem tristetur, eo quod elevatus ad dignitatem sit juste suum, vel suorum reatum castigaturus, hæc tristitia deliberata ex Toleto, si sit in materia gravi, est mortalis: si in levi, venialis.

13. Secundo, contingit tristari de bono alterius, eo quod quis tali bono, & honore careat, quem videt in proximo concive, & familiari. Hæc tristitia est æmulatio, quæ si sit de bono proportionato, est bona, juxta illud, *Æmulamini charismata meliora*; si de bono improportionato, est mala, & reducitur ad superbiam; adeoque ejus malitia regulanda est juxta dicta de superbia.

14. Tertio, contingit tristari de bono alterius, quia judicat illum indignum tali bono; puta, magistratu, præfectura, beneficio; & hæc vocatur zelus: vel quia prævidet ex tali bono illum sumere occasionem peccandi, & est effectus charitatis; utroque modo hæc est bona, per accidens & ex nimio excessu mala est; scilicet si quis doceat tunc de divina providentia, & blasphemando in eam, illam voces injustam. Ut plurimum in istis dicteriis, quibus solet, quis videns impios exaltatos dicere: Qui male agit, prosperatur: non reflectit supra Dei providentiam, quam utique non intendit accusare.

15. Quarto, contingit tristari de bono alterius cum actu odii, operando malum habenti bonum: & hoc mortale est, si grave malum proximo desideretur: veniale, si leve.

16. Quinto, contingit tristari de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ: quod evenire solet cum aliquis inferior, vel æqualis, ita feliciter crescit, ut fiat te superior, & proinde ejus incrementum apprehenditur, ut tibi malum, & diminutivum propriæ excellentiæ. Hæc tristitia est invidia proprie dicta; & hæc si sit plena, & deliberata, & de re gravi, mortalis est, si vel indeliberata, vel de re levi, venialis, qualiter peccant mulierculæ, invidendo alteri ornatum, formositatem, & similia.

17. Quot

17. Quot sunt filiæ invidiæ?

Resp. Quinque, nimirum odium, susurratio, detractio, gaudium in adversis proximi, & tristitia in prosperis.

18. Quid est Accedia?

Resp. Accedia est Græcum nomen, quod translatum ad Latinum idem sonat, ac sine labore, & cura. Definitur a Toleto, tristitia de bono spirituali, ut ad ipsum hominem spectat. Dico, ut ad ipsum hominem accediosum spectat. Tristari enim de bonis spiritualibus, ut respiciunt Deum, non curando amicitiam Dei, Sacramenta, & legem ab eo latam, pertinet ad odium Dei; & tristari de bono spirituali, ut in proximo, puta, quia plures convertuntur, & agunt pœnitentiam, quam ipse agere renuit, est invidia: tristari autem de bono spirituali, ut pertinet ad ipsum, accedia proprie est. Hæc tunc est mortalis, cum ex hac vel omittitur aliquid sub mortali præceptum, vel advertenter odio habentur lex, gratia, Sacramenta, & cætera opera spiritualia, ut spiritualia. Dixi, advertenter, & ut spiritualia; nam si quis vel sine pleno consensu, vel de ipsis tristetur, ut certo tempore gravosis, puta de jejunio æstivo, non est lethalis.

19. Quot sunt filiæ accediæ?

Resp. Sex: desperatio, qua quis desperat consecutionem salutis æternæ, & hæc est mortalis: pusillanimitas, qua quis non audet aggredi perfectionis viam, quam Deus inspirat, & hæc est venialis: torpor, quo homo negligit adimplere divina præcepta, & hic est mortalis: malitia, qua quis odit bona spiritualia in se, pœnitendo bene fecisse, & abstinuisse a mortalibus, optando non esse natum, aut baptizatum, & hæc est mortalis; rancor, quo sunt ei fastidio homines spirituales, & eorum media, quibus homines convertunt, puta missiones, conciones, Missæ longæ, & hæc venialis est; evagatio mentis, qua quis distrahitur aliquaptisper ab attentione in orando, & hæc venialis est.

Finis Secundæ Partis.

APPA-

APPARATUS

PARS TERTIA:

De Præceptis Ecclesiæ, de Sacramentis, & de Censuris.

Præliminaria ad Tertiam Partem.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ in communi.

CUM ex Divo Thoma præceptum sit motio Superioris, aut legis imperativa aliquid faciendi, vel omittendi ex debito, id est ex necessitate salutis, patet præceptum Ecclesiasticum esse motionem Superioris Ecclesiastici, imponentis aliquid fieri, vel omitti ex debito, seu ex necessitate salutis.

1. Quomodo distinguitur præceptum a consilio?

Resp. Quod ut plurimum distinguuntur per verba, quibus res mandatur, vel prohibetur; præceptum enim exprimitur per verba, præcipimus, jubemus, teneantur, sint obligati; item prohibemus, inhibemus, vetamus, & interdicimus: & verba imperativa istis æquipollentia. Consilium autem exprimitur per verba, suademus, faciant, & dicant. Ita Alarius *verbo præcepto* 10. In dubio autem interpretandum de consilio, Castro *de lege pænali*, *lib.* 1. *c.* 6. *monumento* 4. Quod intelligi debet, si nulla adjuncta sit pœna, quæ transgredientibus consilium injungi non potest.

2. Obligatne semper præceptum Ecclesiasticum sub lethali?

Resp. Affirmative, si materia gravis sit, vel pœna apposita sit gravis, puta excommunicationis, suspensionis, aut interdicti; sic plures apud Alarium.

Caje-

Cajetanus tamen vult obligare tantum sub mortali, quando pœna est excommunicationis latæ, non vero ferendæ; Toletus vult comminatoriam non obligare sub lethali, quando transgressio non pervenit ad hoc, quod ille sit dignus excommunicari; tunc enim non peccat mortaliter, nisi post legitimam monitionem.

3. Daturne aliquis casus, in quo præceptum Ecclesiasticum non obliget?

Resp. In casibus metus cadentis in constantem virum, infamiæ, & scandali. Etenim Ecclesia tanquam pia mater non censetur obligare cum tanto incommodo, nisi tamen interveniat Ecclesiæ, aut fidei contemptus. Ita Alar. *punct.* 20. *verb. præc.*

4. Quæcunque parva legis Ecclesiasticæ transgressio, estne peccati lethalis materia?

Resp. Cum Divo Thoma, quod in præceptis affirmativis saltem, quæcunque parvitas materiæ excusat a lethali: nisi forte Ecclesia ob grave periculum damni majoris etiam parvitatem materiæ excludat, ut declaravit in collocutione cum Monialibus.

5. Si Episcopus sub pœna excommunicationis prohibeat fœminis, ne se ornent, peccantne, si taliter se ornant?

Resp. Si alioquin ornatus licitus sit, & non inhonestus, & maritus jubeat uxori, ut ita se ornet, non peccat. Sylv. *verbo ornatus* 9. 10.

6. Tolliturne per non usum, aut per usum contrarium in aliqua regione lex Papæ?

Resp. Ad hoc ut tollatur, requiritur scientia Papæ, illius tolerantia, & acquiescentia, & cursus quadraginta annorum. Ita Rota apud Tannarium *part.* 1. *decis.* 19. & 223.

7. Si quis putet se habere causam rationabilem ad faciendum contra præceptum Ecclesiæ, peccatne si faciat?

Resp. Negative, Ita Navarrus *cap.* 21. *n.* 10.

8. Violare Episcopi præceptum extra suam Diœcesim, estne peccatum lethale?

Resp.

Resp. Ordinarie loquendo negative; limita tamen in his casibus. Primo, cum præceptum originat causam in Territorio proprio, ex facto negativo, cujus contrarium positivum in Territorio proprio faciendum erat, ut si cavetur, quod quicunque fecerit, ubicunque illud fecerit, nisi infra mensem a die commissi criminis coram Judice comparuerit, sit excommunicatus, talis delinquens ligatur, non quia fecit, sed quia non comparuit. Secundo, quando præceptum respicit principaliter rem subjectam præcipienti, ut cum excommunicantur Clerici non residentes. Tertio, cum quis tenetur ad aliquid faciendum in Diœcesi præcipientis, ut cum mandatur Clericis, ut Synodo intersint. Quarto, cum factum inchoatur in Diœcesi præcipientis, & alibi consummatur. Ita Alarius *verbo præceptum n.* 50. qui citat pro se alios.

9. Si Episcopus præcipiat aliquid exequendum sub pœna excommunicationis, & executor in actuali executione prævideat imminens scandalum, vel aliquod grave inconveniens, & absurdum, teneturne illud in conscientia exequi?

Resp. Negative cum Panormitano *in cap. de rescript. n.* 2. rationabiliter enim censere debet ratihabitionem suspensionis executionis in tali circumstantia, quæ si fuisset prævisa, præceptum emanatum non fuisset.

10. Potestne Ecclesia præcipere actus internos?

Resp. Directe eos præcipere non potest, sicuti nec judicare, nec punire; potest tamen indirecte, cum actus externus, qui cadit sub præcepto, ita conjunctus est cum interno, ut sine eo salvari nequeat: ut patet de attentione in Horis Canonicis recitandis.

11. Quandonam obligat præceptum Ecclesiæ?

Resp. Obligat scientes statim a promulgatione, nisi forte aliud tempus assignetur in tenore præcepti.

12. Quotnam sunt Ecclesiæ præcepta?

Resp. Ultra illa particularia, quæ Papa in toto Orbe, & Prælati Ecclesiastici in suis Territoriis man-

mandant, sex communiter assignantur Ecclesiæ præcepta, scilicet. Primo, statutos Ecclesiæ festos dies celebrare. Secundo, Sacrificio Missæ diebus festis intervenire reverenter, & devote. Tertio, indicta certis diebus jejunia observare, cum abstinentia a cibis his diebus vetitis. Quarto, peccata proprio Sacerdoti, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confiteri. Quinto, Sacrosanctam Eucharistiam semel in anno circa festum Paschæ sumere. Sexto, solvere decimas Ecclesiæ. Hæc præcepta tenetur quilibet scire sub lethali, ut diximus de illis Decalogi. Hic solum remanet agendum de jejunio; & decimis: de Eucharistia enim sumenda agemus infra suo loco, ubi de Sacramentis, & de aliis actum est in Secunda Parte.

CAPUT I.

De tertio Ecclesiæ Precepto.

SECTIO I.

De Jejunio.

1. Jejunium duplex est, aliud naturale, & est abstinentia a qualibet re sumpta per modum cibi, & potus. Difficilia, quæ scitu digna occurrent circa hoc, explicabuntur, cum agemus de Eucharistia. Aliud Ecclesiasticum, quod consistit in unica comestione continua ciborum non prohibitorum circa meridiem, cui addi potest serotina cœnula, seu collatio more Ecclesiastico. Qui nihil sumeret tota die, sed solum aliquid circa meridiem, perfectius Jejunaret; collatio enim non præcipitur, sed permittitur.

2. Quotnam requiruntur ad observantiam jejunii Ecclesiastici?

Resp. Tria: comestio unica, qualitas ciborum, & tempus refectionis. De his tribus ordine servato dicemus omnia, quæ occurrunt.

3. Quan-

3. Quandonam incipit, & quandonam desinit obligatio jejunandi?

Resp. Incipit vigesimo primo anno completo, & desinit ad sexagesimum completum, sive hæc jejunia sint communia toti Ecclesiæ, sive alicujus Diœcesis particularis, sive sint ex communi voto regionis; si autem ex voto particulari, consideranda est intentio voventis; a multis tamen, quos citat Diana, senes robusti non excusantur; nihilominus, ut notat ipse, robur senum est illusivum, & indiget repetito alimento.

4. Quibus diebus jejunandum non est?

Resp. A Paschate usque ad Pentecostem, omnibus diebus Dominicis, & in die Natalis Domini: his enim temporibus, propter spiritualem lætitiam, Ecclesia Catholica jejunare non consuevit.

5. Si quis voveat jejunare istis diebus, facitne contra Ecclesiæ præceptum?

Resp. Si quis voveat hoc jejunare ad carnem frænandam, vel in pœnitentiam suorum peccatorum, vel ob alium finem prudenter, & sancte regulatum, bene facit: si autem hoc faciat credens hoc ordine inverso jejuniorum sibi aliquid boni, puta divitias, sanitatem, prolem, vel quid simile perventurum, peccat peccato superstitionis.

6. Frangens jejunium ex duplici præcepto obligans, puta, & quia tempus quadragesimale est, & Vigilia Sancti Matthiæ, committitne duplex peccatum?

Resp. Negative; quia duplex præceptum est ex eodem motivo virtutis, & cadit supra eandem materiam: si vero quis teneatur ex præcepto, & ex voto, peccatum erit duplex, quia obligatio voti respicit virtutem Religionis, quæ est diversa.

7. Si quis non jejunet toto tempore Quadragesimæ, committitne unicum, vel plura peccata mortalia?

Resp. Tot esse peccata mortalia, quot diebus jejunare neglexit, quia jejunium est onus singulis diebus annexum.

8. Qui

8. Qui pluries in die jejunii frangit jejunium; committitne plura peccata mortalia?

Resp. Negative; sic qui summo mane sine necessitate jentaculum faciat, vel post prandium cœnet, facit tunc peccatum mortale per illam comestionem, qua se impotentem reddit ad jejunandum. Si autem manducet carnes, vel alios cibos tali die prohibitos, tot facit peccata mortalia, quot sunt sumptiones ciborum prohibitorum; abstinentia enim a carnibus est præceptum negativum, obligans ad semper, & pro semper. Ita Bonac. Et adde, per comestionem carnis una vice non reddit se impotentem ad abstinendum se a carnibus in posterum in eadem die.

9. Quis ob capitis debilitatem, vel stomachi, potestne aliquid sumere mane ad evitandum tam grave incommodum?

Resp. Cum Toleto affirmative: quia parva illa cibi quantitas sumitur per modum medicinæ.

10. Quis inserviens mensis Principum, vel Cardinalium, vel Religiosorum, potestne immediate antea ad vitandam inediam aliquid sumere, & post talem servitutem immediate postea prandium sumere?

Resp. Lessius, Cajetanus, Navarrus, Toletus; Filliucius, & alii apud Reginaldum, citati a Bonacina, putant jejunium non frangi, quia tunc prandium inchoatur, quod postea interrumpitur ex justa, & rationabili causa: ipse vero hoc probabile putat, cum inservientes nimium defatigarentur, vel debilitarentur, non enim sine causa licitum esset prandium dimidiare, vel plures refectiones sumere.

11. Coquus, aut alius ex officio debens cibos domini prægustare, frangitne jejunium?

Resp. Negative; quia Ecclesia vetuit refectionem ordinatam ad reficiendum: hæc autem prægustatio est ordinata ad servitutem domini, hinc etiam si essent carnes, vel ova, non peccat. Ita Toletus, & Bonacina.

12. Qui ob negotium aliquod interrumpit prandium, poteftne abfoluto negotio prandium reaffumere, & complere?

Resp. Si modica fit interruptio, puta quadrantis horæ, vel paulo plus, fentiunt Leffius, Filliuc. & Bonacina, quod etiamfi receſſerit a menfa animo non amplius comedendi, poteft denuo comedere, & prandium perficere. Si vero longa interceffit mora, puta mediæ horæ, fi receſſerit a menfa animo tedeundi ad illam, poteft redire; eft enim tunc prandium ratione intentionis moraliter continuatum, licet per accidens phyfice divifum; fi autem receffit fine intentione redeundi, nequit cibum reaffumere, nifi poft modicum tempus a receffu mutaverit voluntatem; tunc enim per talem voluntatis mutationem viget allata ratio continuationis moralis prandii.

13. Qui immediate poft prandium urbanitatis caufa aliquid fumit ab amico, peccatne?

Resp. Negative, parva enim diftantia non cenfetur moraliter multiplicare comeftionem & refectionem. Hinc etiam ille, qui receffit a prandio, animo non comedendi, fi ejus amici adhuc prandium continuent, poteft iterum ad illos redire; & prandium terminare cum aliis conviviis: cum enim prandium terminatum non fit, cenfetur unica comeftio. Ita Leffius, Valentia, & Bonacina.

14. Semel in die manducans, tantam quatitatem ciborum fumit, ut multum excedat in manducando; frangitne jejunium?

Resp. Hic poteft graviter peccare contra temperantiam, fi quantitas excedens valde eum gravet: non tamen contra obedientiam Ecclefiæ debitam: Ecclefia enim præfcribit qualitatem, non quantitatem ciborum.

15. Qui intra diem jejunii manducat parvum aliquem fructum ad extinguendam fitim, fcilicet unam, aut alteram amygdalam, ne potus noceat, frangitne jejunium?

Resp. Negative, nifi hoc idem toties in die replicetur, ut ad notabilem cibi quantitatem perveniat,

niat; scilicet ad excessum duarum unciarum ad summum.

16. Confectiones rosarum, electuaria, & quid simile ordinatum a medico ad refrigerandum edens, frangitne jejunium?

Resp. Negative, quia primario sumitur ad medicinam, non ad nutritionem: ad distinctionem aliquorum pulmentorum, quæ primario sumuntur ad nutritionem, licet aliquo modo etiam refrigerent, & hæc utique frangunt jejunium, ut sunt, lac, jusculum, & similia.

17. Qui bona fide matutino tempore aliquem cibum sumpsit, putans diem jejunii non esse, teneturne adhuc jejunare?

Resp. Affirmative: quia cum jejunium essentialiter consistat in comestione unica, adhuc est in potestate sua illud servare: quod si commode nequiret reliquum diei spatium sine nova comestione transire, obligatus non foret.

18. Estne permissum extra refectionem bibere?

Resp. Affirmative: Ecclesia enim noluit haustus prohibere propter multa incommoda, quæ inde sequerentur: unde bibens sine causa rationabili, peccaret contra temperantiam, non contra obedientiam.

19. Estne permissum facere collationem?

Resp. Ecclesia eam permittit; in qua tamen non adhibeantur, nisi fructus, vel legumina, & similia, quæ in tertiis mensis adhiberi solent; & non excedatur quantitas sex, vel octo unciarum Romanarum. Hæc cœnula potest mane præmitti ex justa causa, si prandium differatur usque ad noctem; immo Toletus vult cum pluribus, quod sufficiat ad talem permissionem facilitas commodius jejunandi: quod mihi videtur certum, quia iste ordo sumendi prandium mane, & collationem vespere, est accidentalis jejunio, quod essentialiter consistit in comestione unica.

20. Potestne quis in collatione sumere aliquid per modum liquidi, puta, panem coctum aqua cum parvo oleo, vel aliquibus amygdalis?

Resp.

Resp. Cum Alario, si non sit in quantitate excedente uncias sex, vel octo, & non sit cum industria conditum ad multum nutriendum, potest hoc facere.

21. Quonam tempore sumenda est refectio in die jejunii?

Resp. Prandium sumendum est sub meridie, non quidem mechanice sumpto, sed moraliter, collatio autem vespere.

22. Si quis per notabile tempus, scilicet duarum horarum, sine causa comestionem præveniat, peccatne mortaliter?

Resp. Prævenire per mediam horam, & probabilius secundum aliquos etiam per integram horam, non videtur tempus notabile, ita ut frangatur jejunium; excedere autem sine causa dictum tempus, secundum Navarrum, & plures alios, est mortale. Secundum Lessium, Toletum, & Busembaum probabilius est tantum veniale; Dixi, sine causa: nam si sit causa, puta, hospites dimittendi, vel iter, vel grave negotium faciendum, peccatum non erit.

23. Quinam cibi sumi possunt die jejunii?

Resp. Abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis, tempore Quadragesimæ, ubique fere præcepta est: in reliquis Vigiliis, est attendenda locorum consuetudo; & ubi solitum est eandem abstinentiam servare, qui eam non servat, peccat mortaliter, quia consuetudo habet vim legis.

24. Qui titulo infirmitatis dispensatur ab abstinentia a carnibus, teneturne jejunare?

Resp. Cum Bonacina *tom.* 3. *de præceptis Ecclesiæ disp. ultima*, *q.* 1. *punct.* 22. distinguendum est sic: vel privilegium comedendi carnes concessum est ob debilitatem naturæ, quæ indiget multiplici refectione, & in hoc casu non tenetur jejunare; vel concessum est ob nauseam piscium, & tunc tenetur adhuc jejunare; & hæc sententia, quam sustinet etiam Navarrus, & alii, mihi videtur rationi conformior. Azorius *lib.* 7. *cap.* 10 *quæst.* 1. Toletus *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. Filliucius *tract.* 27. *cap.* 3. *quæst.* 4. *n.* 52. & alii

& alii putant, abstinentiam a carnibus esse de substantia jejunii, consequenter eum, qui ex privilegio potest carnes manducare, nullo modo teneri ad jejunandum. Dispensatus a lacticiniorum abstinentia, quæ utique compatibilis est cum jejunio, tenetur jejunare, nisi propter debilitatem multiplici indigeat refectione.

25. Qui potest tertiam tantum partem, puta, Quadragesimæ jejunare, estne obligatus ad illam jejunandam?

Resp. Affirmative, quia jejunium est onus diei; unde tot diebus jejunare tenetur, quot potest.

26. Potestne mulier prægnans, cui incidit vehemens desiderium manducandi carnes, eas manducare in die jejunii?

Resp. Potest parum carnis manducare ad evitandum grave damnum prolis, si non manducaret.

27. Quinam excusantur a jejunio?

Resp. Primo, infirmi, qui jejunando incurrunt notabilem incommoditatem; ut sunt fluxiones, emicrania, deliquia, impotentia dormiendi, & similia; quod si aliquis dubitat non sufficientem habere caussam, tenetur adire Parochum, qui in dubio habet potestatem dispensandi. Ita Cajetanus, & Fagundez.

28. Secundo, qui pedetentim iter laboriosum conficiunt: pauperes, qui non habent media sufficientia ad unam bonam refectionem comparandam, ut jejunii molestias sustinere possint; fœminæ gravidæ, & nutrices: item illi, quibus Superiores severe jejunia nolunt permittere, ut sunt uxores, famuli, infantes. Domestica enim pax prævalere videtur Præcepto Ecclesiæ. Ita Bertau.

29. Tertio; Artifices mechanici, quorum ars laboriosa est incompatibilis cum jejunio. Sà cum Fagundez, qui allegant Privilegium Eugenii IV. in favorem Artificum, eximens ab obligatione jejunii, putant indifferenter omnes Artifices exemptos, etiamsi labor eorum levis sit, & concludunt esse expeditissimum, omnes Artifices habere excusatos a jejunio; & citant plures Auctores. Nihilominus communiter

Aro-

Aromatarii, Tonsores, Sartores, Pharmacopolæ non excusantur: item famuli sequentes dominum, nec valde gravati labore domestico.

30. Quid facere debet Confessarius cum eo, qui in conscientia sua credit se rationabiliter exemptum ab obligatione jejunii?

Resp. Non debet esse nimium rigidus erga pœnitentem, ne ipsum a bona fide, & probabili ratione, qua se credit a præcepto jejunii exemptum, avertat, atque ita in multa peccata præcipitem agat. Ita Cajetanus, & Layman citati a Bertau.

31. Quid facere debet Confessarius cum eo, qui confitetur se non jejunasse?

Resp. Debet eum interrogare, num fregerit per esum carnium, vel alterius cibi vetiti, vel solum per multiplicem comestionem cibi liciti: primo enim modo duplex peccatum commisit, secundo modo unicum tantum. In diebus tamen, in quibus quis tenetur jejunare tantum ex voto, manducando etiam carnes, unicum tantum peccatum committit.

32. Qui sibi blanditur de exemptione a jejunio & causam diligenter non examinat, peccatne?

Resp. Affirmative, quia adhibet negligentiam crassam & supinam in investigando valore rationabilis excusationis a præcepto.

33. Estne sufficiens causa exemptionis a jejunio, si quis Artifex hodie non laborans, crastina die laboraturus sit?

Resp. Cum Azorio; standum est ejus judicio: si enim ipse judicat hodiernum jejunium eum impediturum a labore crastino, non tenetur; si autem non impediat, tenetur.

34. Poteſtne quis apponere cibum illis, quos scit fracturos jejunium sine causa justa?

Resp. Si nulla sit causa rationabilis, qua ego obliger illis dare cibum, non possum; quia hoc foret præbere occasionem peccandi: si autem sit justa causa dandi, non pecco. Hinc coqui famuli, qui parant cibos domino non jejunaturo, non peccant: hoc enim tenentur præstare ratione famulatus, & offi-

officii, quæ actio de se licita est, licet dominus ea abutatur. Item caupo, qui apponit hospitibus cœnam, qui alioquin ipsum gravi injuria afficerent, vel apud alios cœnarent; tunc enim non cooperatur fractioni jejunii, sed nutritioni naturali; maxime ut damnum vitet: ita Sanchez. Ex usu tamen communiter recepto non potest in locis Catholicorum apponere carnes, nisi ei saltem probabiliter constet hospites justo titulo exemptos esse.

35. Paterfamilias, & dominus peccantne apponendo filiis, vel famulis cibos ad fractionem jejunii sufficientes?

Resp. Peccant, nisi forte timeant ex hac ciborum negatione aliquod sibi grave damnum proventurum. Non tenentur tamen, ut bene notat Azorius, claudere comestibilia, & violenter impedire fractionem jejunii: sed diligentiam moralem adhibere, & cum charitate eos monere, ut Ecclesiæ obediant.

36. Si sit dubium, num aliquis habeat sufficientem excusationem a jejunio, nullus ex justitia tenetur eum monere, nisi sit Superior.

Propositiones damnatæ; ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult subjacere præcepto.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui agunt iter equitando, utcunque iter agant,

 etiam-

etiamsi iter necessarium non sit, etiamsi iter unius diei conficiant.

SECTIO II.

De Gula.

1. Virtuti jejunii opponitur vitium gulæ, quod consistit in inordinato appetitu cibi, vel potus: hinc qui manducat extra necessitatem, & causam, vel aliquid pretiosius, & melius conditum, quam sua ferat conditio, vel aliquid plus cum levi damno suæ salutis, peccat tantum venialiter; qui vero prævidet grave damnum salutis, peccat mortaliter. Qui notabilem quantitatem pecuniæ insumit in cibo cum gravi damno suæ familiæ, ita ut reddat se impotentem ad satisfaciendum creditoribus, peccat mortaliter. Qui etiam talem ciborum quantitatem manducat, ex qua ipsa experientia constat cadere in peccatum mortale luxuriæ, peccat mortaliter, quia ut satisfaciat appetitui gulæ, nihili ducit ponere se periculo proximo peccandi.

2. Aliquis qui plus solito manducat cibos, qui ei neque nocent, neque proficiunt, peccatne peccato gulæ?

Resp. Nisi adsit causa rationabilis, peccat venialiter; hæc autem causa rationabilis esse potest lætitia honestæ recreationis cum amico, vel urbanitatis, ne videatur incivilis recusando, quod ei anteponitur, cum ei manducare sit res indifferens, transit in bonam ex quocunque motivo bono superaddito.

3. Aliquis cum tanta aviditate manducat, ut devoret potius, quam manducet; item semper conqueritur de cibo male condito: peccatne?

Resp. Peccat venialiter, quia inordinatus est in manducando.

4. Infirmus, qui ob nimiam sitim bibit aquam, quam prævidet ei nocivam, peccatne?

Resp. Si videat multum fore nocivam, peccat mor-

mortaliter, nisi forte eum excuset inadvertentia, vel passio vehemens sitis, quæ ei videatur intolerabilis, si autem prævideat parum nocivam, peccat tantum venialiter.

5. Infirmus requirit cibos bene, & pretiose conditos ad excitandum appetitum, peccatne?

Resp. Titulo sanitatis eum excusarem a culpa.

6. Qui manducans, valde delectatur de cibo, peccatne?

Resp. Negative: quia Deus delectabilitatem posuit in cibo, ut manducaretur. Ita Cajetanus: si tamen nimis avide, vel plus æquo manducaret, peccaret venialiter, ut dixi.

7, Qui tantum manducat, ut provocetur ad vomitum, peccatne?

Resp. Aliqui volunt ipsum peccare mortaliter. Toletus tamen cum communi, sentit ipsum peccare venialiter; quia vomere non infert grave damnum saluti. Si tamen nimis manducat, ut evomat, ad sanandam aliquam infirmitatem, nullum est peccatum, quia nimis cibus tunc est salutaris medicina.

8. Quid est ebrietas?

Resp. Est inordinatus appetitus & usus vini, ratione cujus quis se privat voluntarie usu rationis. Nomine vini intellige quidquid inebriare potest: hinc qui vinum nunquam gustavit, nesciens illam quantitatem vini posse eum inebriare, si de facto inebrietur, non peccat peccato ebrietatis: sicuti etiam cui ab amico datur vinum aliqua qualitate inebriativa conditum: quia isti involuntarie, non voluntarie, usu rationis privantur.

9. Si quis plus æquo bibat, nesciens illam vini qualitatem posse eum inebriare, peccatne mortaliter?

Resp. Negative: quia ignorans facit: peccat tamen venialiter, quia bibit cum excessu: sicut venialiter peccat, qui bibit paulo largius solito ad lætitiam, vel quia vinum valde suave est; malitia enim mortalis ebrietatis consistit in deperditione voluntaria usu rationis; cujus quis dominus non est; nisi tamen quis ita bibendo, & rebibendo, exponeret se

periculo proximo ebrietatis, quod quilibet declinare tenetur.

10. Infirmus, qui consulto Medico se inebriat sanitatis gratia, peccatne mortaliter?

Resp. Licet aliqui teneant hoc genus medicinæ non esse licitum: tamen Toletus cum communi sentit licitum esse, sicut licita sunt alia medicinæ genera causantia lætitiam; tunc enim solum materialiter, non formaliter, dicitur ebrius, cum non ob inordinatam vini delectationem privet se usu rationis, sed ob finem alioquin licitum; licet enim aliquo parvo tempore privare se usu rationis, ut diu, cum sanitate eam exerceat.

11. Unus bibit cum aliquo excessu, ita ut sentiat capitis debilitatem cum aliqua objectorum alteratione, ita ut ei videantur omnia sursum atque deorsum verti, peccatne mortaliter?

Resp. Non, quia non est perfecta amissio usus rationis, maxime si securus sit, quod inebriandus non est; vel si ad hoc nihil advertat, ut communiter in his casibus solet contingere. Ita Cajetanus. Quod si advertat, & dubitet bibendo cum excessu posse inebriari, & nihilominus bibere, & rebibere velit, peccat mortaliter, quia se exponit periculo proximo ebrietatis.

12. Qualenam peccatum est alterum provocare ad bibendum?

Resp. Cum advertentia, & intentione ebrietatis subsecuturæ est peccatum mortale, quia hic vere dicitur cooperari peccato mortali: sine intentione, & advertentia, sed ex motivo lætitiæ, quamvis ebrietas sequatur, non est nisi veniale: nam ebrietas censetur per accidens advenire. Ita Layman.

13. Estne licitum alios invitare salutationibus vulgo Bridensi, ad bibendum, vel illis correspondere?

Resp. Frequentes istæ salutationes, cum nunquam sint sine excessu, sunt venialiter illicitæ: si fiant cum intentione inebriandi, mortaliter illicitæ sunt.

14. Quis non correspondens hujusmodi salutationibus, subiturus periculum mortis, vel gravis injuriæ,

riæ; ut apud Germanos, poteſtne illis correſpondere cum periculo ebrietatis ſecuturæ?

Reſp. Cum periculo mortis, vel gravis injuriæ licet; ſicuti licitum eſt ad ſuam ſanitatem recuperandam inebriare ſe. Ita Leſſius.

15. Eſtne licita cauſa alium inebriandi?

Reſp. Ad defenſionem vitæ, puta, cum quis aggreſſus a latronibus, vel militibus, aliter ſalvare ſe nequit, niſi hoſtes inebriando; ex hoc motivo ſuæ defenſionis, quæ primario intenditur, ratione cujus poteſt cum moderamine inculpatæ tutelæ eos occidere, ita & eos uſu rationis privare.

16. Poteſtne quis dare ad bibendum illis, quos ſcit, velle inebriari?

Reſp. Sine juſta cauſa hoc fieri non poteſt, quia hoc forte ſubminiſtraret materiam intemperantiæ: ſi adſit juſta cauſa, licet: ſic in famulis reſpectu domini; in tabernario reſpectu hoſpitum, ad evitandas eorum minas, vel querelas, vel aliud detrimentum, quia ſubminiſtrare vinum ex officio eſt res indifferens, quo ſi quis abutatur, tribuendum eſt ejus malitiæ, & conſequenter dator non cooperatur intemperantiæ actui: niſi materialiter. Ita Suarez: & Layman: Excipe tamen caſum Superioris reſpectu ſubditi, domini reſpectu famuli, & Patris reſpectu filii, qui omnes cum teneantur vigilare, & cavere mala familiæ ſibi commiſſæ, cooperantur eorum malitiæ, ſi non arcent quod arcere tenentur. Hoc tamen non debet præſtari nimis rigide, & cum violentia, niſi cum filiis teneræ ætatis, qui adhuc degunt ſub patria poteſtate; non autem cum emancipatis, qui ſuaviter corrigendi, & monendi ſunt.

Propoſitiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

Ab INNOCENTIO XI. 8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

CAPUT II.

De Præcepto solvendi decimas.

1. DEcima est aliqua quantitas bonorum temporalium debita Ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium, & sustentationem; qui enim spiritualia seminant, juxta Apost. *ad Cor.* 9. temporalia metunt. Decima triplex est, personalis, prædialis, & mixta. Decima personalis est pars fructuum provenientium ex industria, & opera personæ, ut ex mercatura, venatione, piscatione, bello, & ludo, dum ex his quis percipit fructus, supra quos habet dominium. Decima prædialis, quæ dicitur etiam realis, est pars fructuum, qui ex prædiis proveniunt, ut triticum, vinum, oleum, & similia. Decima mixta est pars fructuum, qui proveniunt partim ex industria, & partim ex prædiis; ut fructus animalium, qui partim oriuntur ex pascuis, partim ex industria hominum; lac, lana, caseus, mel, cera, quæ ex apibus, & pecoribus colliguntur, & lucrum furni, quod fit a Pistore. Ex his omnibus juxta loci consuetudinem solvendæ sunt Ecclesiasticis decimæ.

2. Suntne aliqui exempti a decimis?

Resp. Primo, exempti sunt a decimis illi omnes, qui sunt in loco, ubi non est mos ea solvendi; item ad decimas non tenentur, qui habent a Papa privilegium non solvendi: Colonus tamen illorum, si privilegium sit personale, tenetur solvere pro parte sua; secus si privilegium sit reale, quia tunc percipit fructus ex terra privilegiata. Secundo, decimas non debet solvere Clericus ex fructibus Ecclesiæ, nec de patrimonio, si servit illi Ecclesiæ, cui deci-

decimæ solvendæ sunt. Tertio, agricola non debet solvere decimas de eo, quod periit sine sua culpa gravi. Regulares etiam de bonis emptis non tenentur ad decimas, juxta sententiam Congregationis Concilii, relatam ab Alario. Si tamen prædia, quæ prius solvebant decimas, donentur Ecclesiæ, & ex ea donatione propria Ecclesia magnum damnum recipiat, transeunt cum onere, *cap. de Decimis*, Cajetanus & Aragonius relati ab Alario.

3. In decimis solvendis deducunturne impensæ?

Resp. Quod in decimis personalibus deducuntur impensæ, juxta *Caput Pastoralis de Decimis*: in prædialibus non deducuntur impensæ, neque sementis, *cap. ex parte*, *&* *sequenti c. suo nobis*, *&* *c. Pastoralis de Decimis*.

4. Qui non solvit decimas, incurrit excommunicationem, non tamen ipso facto, sed post Judicis sententiam, Conc. Trident. *sess.* 25. *c.* 11. *non sunt ferendi*; ubi ait: *Qui eas subtrahunt*, scilicet decimas, *aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* Navarrus tamen de decimis putat posse absolvi eum, qui juste impeditus decimas non solvit.

5. Cuinam solvendæ sunt decimæ?

Resp. Circa hoc nulla potest assignari regula communis; sed quandoque Parochiæ, quandoque Ecclesiæ, ubi recipiuntur Sacramenta; quandoque personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, juxta consuetudinem legitimam in unoquoque loco præscriptam. De jure tamen communi debentur Ecclesiæ Parochiali, *cap. si de Parochia in 6.* Suarez tamen distinguit de decimis, quæ debentur ex fructibus animalium: hæ debentur propriæ Parochiæ, si in ea commorentur, & pascant: si vero alibi pascant, debentur illi Parochiæ pro rata temporis, quo ibi pascunt.

6. Decimas Papales teneturne quis solvere ex fructibus totius Beneficii, cujus pars est extra Diœcesim, in qua imposita est decima Papalis?

Resp. Juxta Monetam *de decimis tit.* 9. adhuc te-

netur, quia hæc decima non eſt onus prædiale, ſed Eccleſiæ.

7. Si Laicus non ſolvit decimas, & prædium vendidit, contra quem habet actionem Rector Eccleſiæ?

Reſp. Eſt in poteſtate Rectoris Eccleſiæ agere contra unum, vel contra alium. Eſt communis, ut teſtatur Azorius *in cap. cum ſint homines de Decimis, & in cap. ſi eo in 6.*

8. Sub hoc præcepto ſolutionis decimarum veniunt etiam primitiæ, & oblationes: Primitia eſt prima pars fructuum, vel frugum, Deo offerenda juxta conſuetudinem loci: Oblatio idem eſt, quod decima: differt ſolum, quod oblatio offertur immediate Deo, & decima Miniſtris.

9. Ad quemnam ſpectant oblationes fidelium?

Reſp. Spectant ad Parochum intra limites ſuæ Parochiæ, licet pictura ſacra, cui fit oblatio, ſit in domo alicujus privati: item ſit fiat Capellæ, vel Altari extra Eccleſiam Parochialem, fundato tamen intra Parochiam. Sic Panorm. *in cap. Theodoſius n. 4.* de ſtatu Monialium: Si hujuſmodi oblationes fiant in locis religioſis, iſtæ non cedunt Epiſcopo, aut Parocho; ſed ipſius loci Religioſis.

10. Quoſnam obligant oblationes?

Reſp. Ubi decimæ non ſunt, & Miniſtri Eccleſiæ aliunde non habent, unde vivant, obligatur major populi pars ad offerendum aliquid, juxta conſuetudinem legitime introductam, quæ habet vim legis: vel etiam ubi conſuetudo eſt offerendi aliquid in ſolemnitatibus, niſi hoc factum ſemper ſit per modum liberæ donationis, ut vult Sotus.

11. Suntne quandoque alicujus valde ſceleſti oblationes rejiciendæ?

Reſp. Rejici debent oblationes peccantium notorie, & opprimentium pauperes, *c. oblationes diſt.* 90. Item raptorum Eccleſiarum, qui ſani non reſtituentes, cum poſſint, in morte impotentes reperiuntur, *c. ſuper eo de raptoribus*, nec uſurariorum, *c. quia in omnibus de uſuris*: nec meretricum, ne videatur Eccleſia favere peccato, juxta Divum Thomam: nec vio-

violantis immunitatem Ecclesiasticam, qui emendari non vult; nec sacrilegorum, quousque ad Communionem recipiantur; *c. de virtutibus* 11. Quoad primitias nihil remanet dicendum, nisi quod juxta Divum Thomam, quantitas pendet a dantis voluntate.

CAPUT III.

De Sacramentis in genere.

1. Sacramentum in genere est signum sacrum; quod non solum significat rem sacram, scilicet gratiam, sed infallibiliter eam producit, nisi apponatur impedimentum: Sacramenta novæ legis, in qua sumus, sunt septem, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Ea instituit Christus Dominus per potestatem excellentiæ, quam habet ratione unionis hypostaticæ. Finis autem institutionis fuit, ut illa tanquam instrumenta deservirent ad communicandam gratiam, & homines sanctificandos; ideoque ea instituit in rebus sensibilibus, ut se accommodaret humanæ naturæ, quæ per sensibilia acquirit cognitionem rerum spiritualium.

2. Quænam sunt essentialiter requisita ad Sacramenti constitutionem?

Resp. Tria, scilicet materia, forma, & intentio ministri.

3. Quisnam instituit materiam & formam Sacramentorum?

Resp. Christus Dominus, adeoque Ecclesia nequit eas immutare.

4. Quidnam habet rationem materiæ in Sacramentis, & quid formæ?

Resp. Res sensibilis habet rationem materiæ, & verba formæ; & Minister habet rationem causæ efficientis.

5. Quisnam est Minister ordinarius Sacramentorum?

Resp. Homines viatores, quibus Deus hanc potestatem contulit; quod si in aliquibus vitis Sanctorum legendis reperiatur Angelos, vel Beatos contulisse Sacramenta, hoc factum est extraordinarie, Deo dispensante.

6. Si quis Minister dubitaret, utrum valide contulerit Sacramentum, quid tenetur facere?

Resp. Si dubium sit rationabile, grave, & prudens, debet illud reiterare cum conditione, sive mentaliter retenta, sive expressa per verba, puta, Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. Si autem sit scrupulus, & dubium leve, debet illud deponere, & nihil innovare; non enim est causa sufficiens reiterationis cum periculo rationabili reddendi Sacramentum nullum, & invalidum.

7. Estne necessaria in Ministro intentio conficiendi Sacramentum, ad hoc ut illud invalidum non sit?

Resp. Affirmative.

8. Quid & quotuplex est intentio?

Resp. Est actus liber voluntatis, quo illa se determinat ad aliquid faciendum, v. gr. Volo baptizare. Intentionis species sunt tres, scilicet actualis, virtualis, & habitualis. Actualis est; cum quis faciendo rem aliquam, actu voluntatis vult, & determinat illam facere. Virtualis est, quæ persistit; & perseverat in aliquo opere incœpto virtute actualis præcedentis, non retractatæ; & hoc contingit, cum quis in exercitio alicujus rei, puta in baptizando, distractus ad alia, non habet actualem intentionem baptizandi; quia tamen antecedenter habuit, dicitur moraliter, & virtualiter perseverare. Habitualis est illa, cum res fit sine ulla, nec actuali, nec præcedenti intentione, quæ moveat, & determinet ad rem illam faciendam, quam solum faciat ob consuetudinem; sicuti qui dormiens baptizaret.

9. Quænam harum intentionum necessaria est ad valorem Sacramenti?

Resp.

Resp. Actualis est optima, virtualis sufficiens, habitualis nequaquam. Quia intentio requiritur ad hoc, ut quis revera humano modo dicatur operans: ad hoc autem ut humano modo operetur, requiritur, vel quod actu respiciat, & velit facere id, quod facit, vel saltem quod antecedenter se determinaverit ad hoc faciendum, neque voluntatem retractaverit. Hoc totum obtinetur, vel per intentionem actualem, vel per virtualem; puta, quis indutus vestibus sacris egreditur e Sacristia, intendens Missam celebrare, incipit Sacram Liturgiam, inde, sicuti solet nostra infirmitas, distrahitur ad alia, & consecrat, Sacramentum hoc est valide confectum. Intentio habitualis non sufficit, quia sic homo non agit humano modo, ut solent dicere Scholastici, elective: sed solum profert verba sicuti psitacus, nihil omnino intendens.

10. Requiriturne, quod minister in statu gratiæ sit, ad hoc ut conficiat Sacramentum?

Resp. Non requiritur, ut conficiat valide; sed requiritur, ut conficiat licite; secus si existens in lethali conficiat Sacramentum, magnam ei infert irreverentiam, adeoque peccat lethaliter; habens ergo conscientiam lethalis, antequam conficiat Sacramentum, debet se disponere, vel per Pœnitentiam Sacramentalem; vel, si non sit commoditas, per contritionem.

11. Potestne suscipi Sacramentum a Sacerdote, quem petens scit existere in peccato lethali?

Resp. Sine ulla necessitate petere Sacramentum ab ipso, qui non est minister ex officio, puta, simplex Confessarius, non vero Parochus, est contra charitatem; quia sine urgenti necessitate inducitur alter ad peccandum: quod tamen intelligitur a Doctoribus, nisi Minister sponte sua hoc onus subire velit, quia si libere, & voluntarie se offert ad Sacramentum conficiendum, nulla afficitur injuria; cedit enim juri suo: Ita Cajetanus. Si autem sit Minister obligatus ex justitia ad Sacramenta ministranda, vel si necessitas urgeat ad Sacramentum recipiendum, potest sine

 culpa

culpa ab eo exigi, & peti; tunc enim petens utitur jure suo; & si Minister est indispositus, sibi imputet; vel sibi consulat contritione.

12. Percipiturne plus gratiæ, dum a meliori Ministro sumitur Sacramentum?

Resp. Negative, quia gratia datur intuitu meritorum Christi, cujus nomine agit Minister, non vero ob Ministri sanctitatem, quia solum potest conferre ad excitandam devotionem & pios motus in suscipiente, qui veneratur, & imitari contendit ministrantem.

13. Quomodo conferunt gratiam Sacramenta?

Resp. Eam conferunt ex opere operato, ac intuitu meritorum Christi Domini; opus ergo operantis, seu melior dispositio recipientis inservit majori intensioni gratiæ suscipiendæ, non vero gratiæ Sacramentali simpliciter.

14. Conferuntne Sacramenta aliquid aliud ultra gratiam sanctificantem?

Resp. Ex Divo Thoma, conferunt gratiam sacramentalem consistentem in auxiliis ordinariis ad obtinendum finem cujuscunque Sacramenti: qui finis cum diversus sit in Sacramento diverso, trahit etiam ad se diversa auxilia conducentia ad illum; puta per Sacramentum Ordinis quis recipit auxilia ad munus sacrum recte obeundum, pro illo matrimonii auxilia ad prolem pie educandam. Ultra gratiam Sacramentalem, & sanctificantem, tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo, producunt characterem in anima recipientis.

15. Quid est character?

Resp. Est signum, impressio, nota, seu indicium discernens Baptizatum a non Baptizato, & inter Baptizatos discernens fidelem positum in uno ordine, ab alio fideli in diverso ordine collocato: & definitur qualitas spiritualis indelebilis, divinitus infusa animæ, per quam homo redditur idoneus ad recipiendum, sive administrandum Sacramentum, & ad exercendum alia opera ad cultum divinum spectantia. Hoc melius explicatur in singulis Sacramentis,

cum

cum in particulari describuntur: pro nunc sufficiat dicere, quod per characterem Baptismi homo redditur capax ad reliqua Sacramenta recipienda, quorum non baptizatus est incapax: per Confirmationem proxime disponitur ad actus fidei eliciendos, & eam fortiter protestandam coram infideli, & alia Sacramenta recipienda: per characterem Ordinis qualificatur ad debitum sui Officii rite præstandum, & munus Ordinis decenter exercendum.

16. Suntne diversæ speciei hi tres characteres?

Resp. Affirmative; dantur enim ad significandam diversam potestatem, & diversa munera exercenda.

17. Deleturne character per peccatum mortale, aut mortem?

Resp. Negative; sed etiam in Beatis remanet ad coronam, & in damnatis ad ignominiam, & pœnam. Hinc si Sacerdos mortuus resuscitaret, iterum ordinandus non esset, & ex hac ratione hæc tria Sacramenta iterari non possunt.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. Prima propositio; Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.

29. Urgens metus gravis est causa justa, Sacramentorum administrationem simulandi.

CAPUT IV.

De Sacramento Baptismi.

1. QUid est Sacramentum Baptismi?

Resp. Est Sacramentum consistens in exteriori corporis ablutione, facta per aquam naturalem

cum

cum certa verborum forma a Christo Domino instituta. Ejus effectus est spiritualiter regenerare hominem, qui, cum ob peccatum originale nascatur filius iræ, per gratiam Baptismalem renascitur filius, & amicus Dei.

2. Quotuplex est Baptismus?

Resp. Est triplex, scilicet sanguinis, flaminis, & fluminis. Baptismus sanguinis est martyrium: flaminis est desiderium recipiendi Baptismum, cum est commoditas illud suscipiendi in re: fluminis est Baptismus supra descriptus, qui solus proprie est verum Sacramentum; reliqua autem sunt in supplementum, & defectum Baptismi fluminis. De hoc explicanda sunt, quæ ad materiam, formam, subjectum, ministrum, & affinitatem inde orientem, occurrunt.

3. Quare Sacramentum Baptismi dicitur janua Sacramentorum?

Resp. Quia sine ipso in re suscepto, neque validus, neque licitus est accessus ad reliqua Sacramenta.

4. Estne necessarium hoc Sacramentum ad salutem?

Resp. Est necessarium ad salutem necessitate medii in re, vel saltem in voto, si non sit commoditas suscipiendi in re. Talis necessitas arguitur ex Evangelio, ubi habetur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.*

5. Si Turca, dum accedit ad Sacramentum Baptismi, moriatur antequam baptizetur, salvaturne?

Resp. Cum Suar. *tom.* 3. *de Sacram. dist.* 23. Si hic conscientiam peccati mortalis non habet, vel si habet conscientiam lethalis, de eo tamen perfecte contritus sit, salvatur. Si autem sit in lethali, & attritus tantum, damnatur: quia est privilegium tantum Martyrii, & Sacramenti in re, de attrito facere contritum; non autem Sacramenti in voto.

6. Quænam dispositio requiritur ad hoc, ut quis recipiat gratiam per Martyrium, supplens vices Baptismi?

Resp.

Resp. In pueris nulla requiritur dispositio, sed sufficit, quod occidantur in odium fidei, & pro Christo moriantur, sicuti Sancti Innocentes; in adulto vero habente conscientiam lethalis, requiritur & desiderium Baptismi fluminis, & attritio lethalium: Martyrium enim facit ipsum de attrito contritum.

7. Potestne differri Baptisma Infantium?

Resp. Cum Bonacina, si subsit rationabilis causa, remoto omni periculo, potest differri per spatium quinque, vel sex dierum: quia tamen istud periculum est valde frequens, & facillime incurrendum respectu tenerrimæ illius ætatis; ideo parentes, qui nimium differunt, non possunt excusari a lethali.

8. Quænam est materia Baptismatis?

Resp. Materia remota Baptismi est aqua naturalis, qualis intelligitur aqua fluminis, fontis, pluviæ, & maris: non vero aqua artefacta, ut est aqua distillata ex rosis, floribus, herbis, sulphure, aut humana saliva. Aqua naturalis mixta artificiali in tanta quantitate, ut auferat speciem aquæ naturalis, seu eam naturaliter alterans; non est bona ad baptizandum; si autem sit in modica quantitate, erit bona ad validum Baptismum. Jusculum, cervisia, lutum, sunt materia inepta: non enim retinent amplius naturam aquæ usualis. Aquæ resolutæ ex nive, glacie, tempestate, e contra, sunt materia apta, quia resolutione acquirunt naturam aquæ usualis: extra tamen casum necessitatis utendo aqua impura, & modice alterata, ubi haberi potest pura, & benedicta, peccatur mortaliter ob magnam irreverentiam, quæ infertur Sacramento. Si quis dubitet de valore aquæ adhibitæ in casu necessitatis, in quo usus est aqua illa, quam primo præ manibus habuit, si puer postea convalescat, & dubium sit rationabile; debet rebaptizari sub conditione.

9. *Resp.* Secundo, materia proxima est ablutio; quæ tribus modis fieri potest, scilicet per immer-

mersionem, per aspersionem, & per infusionem juxta praxim cujuscunque Ecclesiæ; quolibet tamen modo abluatur puer, adhibita vera forma, & cæteris requisitis, erit baptizatus.

10. Quanta quantitas aquæ necessaria est ad Baptismum rite peragendum?

Resp. Tanta est necessaria, quanta requiritur ad ablutionem illius partis corporis, supra quam cadit. Unde quatuor, vel quinque guttæ tantum, quæ non decurrunt, sufficientes non sunt ad validum Baptisma.

11. Quænam est forma Baptismi?

Resp. Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Qui tamen relinqueret ly Ego, & ly Amen, valide baptizaret: tamen juxta Toletum peccaret.

12. Si quis voluntarie mutaret aliqua verba hujus formæ, peccaretne?

Resp. Certissimum est peccare mortaliter, quia facit contra usum Ecclesiæ in materia notabili, & gravi, etiam si baptizaret ritu Græco, scilicet, Baptizetur servus Christi in nomine Patris, &c. Quo ad validitatem dico, quod si mutatio sit essentialis, ut verba aliquid aliud significent, nec est validus Baptismus; si autem mutatio sit accidentalis, puta, quia intervenit error grammaticalis, significationem in communi prudentum existimatione non varians, Baptismus valet.

13. Si quæ fœmina baptizans diceret, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis, valeretne Baptismus?

Resp. Ex Suarez, si ly, Et B. Virginis, addatur solum ex simplicitate, vel fœminili devotione, valet: si autem addatur, credendo, quod eodem modo concurrat Beata Virgo ad Baptismum, sicuti Trinitas, Baptismus non valet, quia error est in substantia formæ.

14. Peccatne qui baptizat in lingua vernacula, puta Italica, vel Gallica?

Resp. Si sit mulier, quæ melius intelligit hanc for-

formam, quam Latinam, nullo modo peccat: si autem sit Parochus, qui est minister solemnitatis, peccat, quia usum Ecclesiæ non sequitur sine ulla necessitate.

15. Debentne esse simul ablutio, & prolatio verborum?

Resp. Affirmative; nam in hoc Sacramento forma significat materiam ut præsentem. Dicitur enim: Ego te baptizo, hoc est abluo. Debet ergo ablutio in re correspondere verbis: sed hoc non est ita nimis rigide, & scrupulose tenendum, ut eodem momento utraque incipiat, & absolvatur, quod necessarium non est ad significandam simultaneam præsentiam; sed sufficit, quod secundum aliquas sui partes sint simul, scilicet, quod non finiatur ablutio, quin incœperit forma, vel e contra, prius non finiatur forma, quin inceperit ablutio. Immo addit Panormitanus, quod sufficit etiam simultas mortalis: puta, si statim finita ablutione incipiat forma, non autem si longiori tempore una ab alia separetur.

16. Quisnam est capax Baptismi.

Resp. Est omnis homo nondum baptizatus, sive ante, sive post usum rationis, & quantum ad filios Christianorum, baptizandi sunt, etiam eorum parentibus invitis; quoad filios autem Paganorum, vel Hebræorum, si parentes sint inviti, expectandus est usus rationis; si autem puer, cum ad eum pervenerit, serio petat baptizari, explorata prius ejus voluntate, & constantia, baptizandus est, etiam parentibus invitis: quia in negotio Religionis puer est sui juris; in dubio autem perfecti usus rationis baptizandus est, si septem annos habeat. Ita Layman.

17. Si alter ex Parentibus fidelis sit, & alter infidelis? potestne puer baptizari, si exponatur ad Baptismum a parente fideli, invito altero infideli?

Resp. Cum Suario; Affirmative, cum hoc sit in favorem pueri; & in parentum dissidio eligenda est sententia, quæ est ipsis magis favorabilis, & utilis.

18. Puer mancipii infidelis, positi sub servitute do-

domini fidelis in terra Christianorum, debetne invitis parentibus baptizari?

Resp. Affirmative, quia cum nascatur in conditione servili, est sub dominio domini, non vero sub illo parentum.

19. Si puer infidelis sit morti proximus, potestne invitis, vel insciis parentibus baptizari?

Resp. Affirmative, quia ratione mortis tollitur periculum irreverentiæ, & injuriæ fidei, susceptæ propter educationem sub parente infideli, ratione cujus periculi maxime non licet eum baptizare; si prævideatur sanitati restituendus.

20. Si puer baptizatus in tali periculo, sanitati restituatur, quid faciendum erit?

Resp. In terris Christianorum vi arripiendus est a Parentibus, & Christiano more educandus; per Baptismum enim factus est Ecclesiæ subditus, & filius: ideo ad hanc spectat ejus saluti consulere. Item si quis bona fide putans hoc sibi licere, puerum infidelem surripiat, & baptizet, tenetur eum christiane educare.

21. Debentne baptizari pueri illorum infidelium, qui aliquando Baptismum suscepere, & postea in infidelitatem lapsi sunt?

Resp. Affirmative; quia lapsi in infidelitatem propter characterem indelebilem Baptismi adhuc sunt subditi Ecclesiæ, quæ de eorum infantibus, tamquam de subditorum filiis, disponere potest.

22, Amentes, adulti, surdi, & muti baptizarine debent:

Resp. Si quis perpetuo fuerit amens, computandus est in numero puerorum, & ideo baptizandus; si quis autem aliquando habuit rationis usum, & eo tempore Baptismum non petiit, baptizandus non est, & si ei conferatur, non valet: quia, ut infra videbimus, non habet dispositiones requisitas ad Baptismum adultorum. Quantum ad surdum, & mutum, si videns alios baptizari, petat suo modo Baptismum, instruendus est in fide, quantum fieri potest, & deinde baptizandus.

23. Quæ-

23. Quænam dispositiones requiruntur in adulto baptizando?

Resp. Aliæ dispositiones requiruntur ad Baptismum valide recipiendum, seu ad characterem illius: aliæ ad illum recipiendum cum fructu, seu ad gratiam justificantem, & emundantem a peccato originali, & actualibus, si quæ sunt. Pro secundo effectu requiritur fides in Christum, & præcipua mysteria necessaria necessitate medii, scilicet fides Dei unius, & Trini existentis, Remuneratoris, Vindicis, & incarnati, propterea ante Baptismum de his debet instrui. Item requiritur saltem attritio supernaturalis de peccatis venialibus antecedenter commissis: & pro utroque effectu requiritur intentio recipiendi Baptismum, & ingrediendi in Ecclesiam.

24. Si quis accedat sine attritione peccatorum lethalium antecedenter commissorum, vel cum affectu aliquo ad lethale, peccaretne?

Resp. Affirmative, propter gravem irreverentiam, & injuriam, quam infert Sacramento, cum ejus effectum præcipuum abluendi animam impediat; neque eum consequitur, nisi cum recedit fictio, scilicet illa indispositio, & elicit actum attritionis supernaturalis: neque in eo casu tenetur subdere clavibus peccata, Baptismum antecedentia, sed solum ea, quæ in Baptismi susceptione, & post illam commisit.

25. Infans monstruosus estne baptizandus?

Resp. Si foret certum illum habere animam rationalem, eo quod, puta, habet saltem caput humanum cum stomacho, baptizandus est absolute: in dubio, baptizandus est sub conditione; & propterea addit Comitolus, quod si infans haberet caput ferinum, reliquum vero corpus humanum, quod adhuc conditionate baptizandus est, scilicet: Si es capax, ego te baptizo: quia ut advertit Navarrus, si immineat periculum mortis, extra quem causam differendum est Baptisma, usque dum clare appareat, num sit homo.

26. Quomodo debet baptizari monstrum natum cum duobus, vel tribus capitibus?

Resp.

Resp. Si cum duobus, vel tribus capitibus sint duo, & tres stomachi invicem cohærentes, ac coagulati, tunc oportet illa capita distincte baptizare, ac si essent distincti homines: quia ex totidem capitibus, & stomachis clare apparet ibi totidem esse animas rationales. Si autem habeat solum geminata capita, non autem alia membra, cum rationabiliter dubitari possit, num sit unus homo, vel duo, tunc duplex Baptismus conferendus est, unus scilicet absolute, alius vero sub conditione, scilicet: Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.

27. Possuntne plures simul baptizari sub una forma, dicendo: Ego vos baptizo?

Resp. Affirmative, extra tamen casum necessitatis hoc faciendum non est propter periculum, quod forma, & materia simul non coexistant, & fiat aliquod Sacramentum invalidum.

28. Potestne reiterari Baptismus?

Resp. Reiterari non potest, & ex genere suo rebaptizare est peccatum mortale sacrilegii, quia confertur Sacramentum subjecto incapaci. Propterea in Jure Canonico, tam rebaptizans, quam rebaptizatus sunt irregulares, & in Jure Civili subjacent pœnæ mortis, quas pœnas incurrit, qui sine justa causa rebaptizat absolute, non vero qui baptizat conditionate, putans justam causam esse rebaptizandi, cum revera non sit: non videtur enim, quod scrupulus, vel ignorantia, tanta pœna punienda sit ab Ecclesia?

29. Quænam est justa causa rebaptizandi?

Resp. Grave, vel morale, & rationabile dubium, quod quis prima vice valide baptizatus non sit. Nec sufficit leve, vel metaphysicum dubium. Unde etsi quis non sit descriptus in libro Baptizatorum, dummodo sit natus, & educatus inter Catholicos apud Parentes, qui non sint pessimæ famæ, habet certitudinem moralem tantam, quæ impedit reiterationem Baptismi. Nec rebaptizandum censet Layman illum, de quo habetur testimonium oculare

unius

unius testis, licet fœminæ, dummodo hæc suspecta non sit, & aliud non obstet.

30. Sub conditione tamen baptizandi sunt, qui cum materia, & forma, aut intentione dubia sunt baptizati. Infantes etiam expositi, qui reperti sunt sine schedula testante de Baptismo. Et etiam pueri baptizati ab obstetricibus, & veneficis, quæ aliquando repertæ, vel fassæ sunt se ex ignorantia, vel malitia non rite baptizasse. Non licet ergo rebaptizare infantes omnes ob necessitatem baptizatos a fœminis cognatis, vel obstetricibus, quando istæ sunt bonæ famæ, & sufficienter instructæ censentur, quia tunc de valore Baptismi prudenter, & rationabiliter dubitari non potest. Layman tamen non audet damnare consuetudinem quorundam Parochorum, qui cum experientia didicerint, non raro fœminas deceptas fuisse a diabolo in collatione Baptismi, rebaptizant infantes sub conditione, ob grave periculum animæ, ratione cujus cessat titulus irreverentiæ. Et Diana cum pluribus censet ob hoc periculum rebaptizandos esse sub conditione baptizatos ab Hæreticis licet sint adulti.

31. Peccatne Parochus non rebaptizando sub conditione eum, de quo est rationabile dubium juris, vel facti, num sit rite baptizatus?

Resp. Affirmative; quia tenetur liberare proximum a periculo gravis mali: dum facile potest. Immo Layman censet eum peccare mortaliter, cum rogatus non adhibet diligentiam ad inquirendum de Baptismi valore, nisi hic aliunde habeat moralem certitudinem, & deprehendat, rogantem scrupulosum nimis esse.

32. Quisnam est Minister Baptismi?

Resp. In casu necessitatis est quicunque, sive homo, sive fœmina, sive Catholicus, sive Hæreticus, sive Paganus, habens usum rationis, & intendens facere id, quod facit Ecclesia: solemniter, & extra necessitatem est Sacerdos habens jurisdictionem Parochialem, vel commissionem: & ex commissione etiam Diaconus.

33. In casu necessitatis, si sit præsens Sacerdos, poteſtne Laicus licite baptizare.

Resp. Negative, & peccaret mortaliter, quia Laicus est Minister Sacramenti in defectu Sacerdotis: Eo ergo præsente usurpat officium illius, qui neque dare potest hanc licentiam, sine injuria sui Ordinis, & Sacramenti conferendi. Aliqui extendunt rationem peccati mortalis ad Laicum baptizantem in præsentia Diaconi; quod tamen non est adeo certum, cum Diaconus non sit Minister ex officio hujus Sacramenti.

34. Absente Sacerdote, præsentibus pluribus, debetne baptizare dignior, qui ibi reperitur?

Resp. Affirmative, & sic præferendus est Clericus Laico, vir fœminæ, fidelis infideli. Istum autem ordinem non servare est peccatum tantum veniale, quandoque nullum, si inferior, & minus dignus melius sciat modum baptizandi, vel si ob decentiam, quod infans nondum sit ab utero Matris perfecte egressus, convenientius sit, quod fœmina baptizet.

35. Poteſtne Parochus extra casum necessitatis baptizare extra suam Parochiam?

Resp. Sine alterius Parochi, vel Episcopi licentia, vel Vicarii illius loci, non potest: & si hoc facit, peccat mortaliter, quia jurisdictionem alterius ingreditur, & perturbat.

36. Si nullus alius sit præsens, quam Pater, vel Mater, in casu necessitatis possuntne baptizare proprium Infantem?

Resp. Possunt, extra tamen necessitatem peccant mortaliter, si baptizent, & amittunt jus petendi debitum.

37. Quinam excluduntur a collatione Baptismi?

Resp. Omnes Angeli, sive boni, sive mali; Animæ separatæ, Infantes nondum habentes usum rationis, Amentes, Ebrii, & omnes, qui incapaces sunt scire id, quod agunt, & referre propriam intentionem ad id, in quo consistit substantia hujus Sacramenti.

38. Pos-

38. Possuntne duo simul baptizare, itaut unus applicet materiam, & abluat; alter vero applicet formam, & proferat verba?

Resp. Negative: Quia non verificatur forma, scilicet, Ego te baptizo, & abluo, licet proferatur more Græcorum: Baptizetur servus Christi, vel baptizet te Christus; subintelligitur enim semper, Per me. Hurtadus tamen docet, quod in casu necessitatis sub conditione potest dari a duobus Baptisma, puta v. g. ut vel mutus, vel nesciens formam abluat, & cæcus proferat verba; elapso tamen periculo docet iterum rebaptizari debere puerum sub conditione.

39. Quænam requiritur intentio in baptizante?

Resp. Requiritur intentio baptizandi secundum id, quod præscribit, & intendit Ecclesia, vel saltem faciendi id, quod faciunt Catholici; & licet quis hoc faceret intuitu lucri, peccaret quidem, & esset simoniacus, tamen Baptisma esset validum. In regionibus, in quibus cohabitant Hæretici cum Catholicis, sentit Gamachius esse validum Baptismum collatum sub intentione faciendi id, quod intendit Religio illa noviter ab Hæreticis excogitata, dummodo actualiter habeat intentionem generalem faciendi id, quod Christus instituit, & vera Ecclesia sancivit; per hanc enim intentionem generalem corrigitur ille error particularis, qui est potius circa effectum Sacramenti, non circa rem, & substantiam ipsius.

40. Si quis putans baptizare puerum, baptizaret puellam, essetne validum hoc Baptisma?

Resp. Universaliter valet: quia intentio baptizantis cadit supra objectum præsens, capax Baptismi; sive autem sit puer, vel puella est semper objectum capax: & error hic accidentalis est, non tangens substantiam rei: Si autem hic habeat intentionem adeo restrictam, scilicet baptizandi masculum, & non fœminam, Baptisma non valeret, & baptizans peccaret mortaliter, quia non fungeretur bene, & recte munere suo.

41. Si

41. Si quis non baptizaret aqua benedicta reperta in Fonte baptismali, sed alia aqua naturali, peccaretne?

Resp. Qui utitur alia aqua, quam benedicta, in baptizando solemniter, peccat mortaliter, quia violat præceptum Ecclesiæ in materia gravissima: in baptizando autem privatim, & in casu necessitatis, nullum est peccatum.

42. Si quis est baptizatus privatim propter necessitatem, debentne ulterius in Ecclesia suppleri cæremoniæ?

Resp. Affirmative; si autem semel fuerint istæ cæremoniæ adhibitæ, non sunt reiterandæ, etiamsi esset reiterandum Baptisma, quod repertum fuit nullum, & invalidum.

43. Estne necessarium ad valorem Baptismi, quod interveniat Patrinus, qui teneat baptizandum ad Fontem.

Resp. Necessarium non est, sed sine gravi necessitate omitti non debet. Ex præcepto Concilii Tridentini debet Patrinus esse, vel unus tantum, vel una tantum, vel unus, & una.

44. Si Parentes plures assignentur ad infantem tenendum, suntne omnes Patrini?

Resp. In tali casu baptizans ex pluribus assignatis debet determinare duos, ne violetur id, quod est a Concilio præscriptum, contra quod tamen facere, non est nisi peccatum veniale, juxta Sanchez: hæc enim prohibitio non est adeo gravis, ut obliget sub lethali. Si autem Parochus baptizans, ex ignorantia, vel conniventia, nihil aliud determinet, omnes illi, qui tenent Creaturam, sunt Patrini contrahentes affinitatem spiritualem modo infra describendo: licet enim Concilium prohibeat pluralitatem Patrinorum, non tamen declarat nullam cognationem spiritualem, casu quo fiat id. ita Sanchez.

45. Si nullus sit assignatus ad tenendum Creaturam neque a Parentibus, neque a Parocho, quisnam contrahit cognationem spiritualem?

Resp. Duæ opiniones allegantur a Sanchez, qua-

rum

rum prima mihi probabilior videtur, & eſt, quod omnes tangentes Creaturam, cum baptizatur, contrahunt; quia cum Concilium Tridentinum nihil circa hoc determinet, ſtandum erit rigori antiquorum Canonum, qui faciunt omnes contrahere, qui tangunt Creaturam, ſicuti apparet ex Capite ultimo de Cognatione ſpirituali in ſexto. Secunda reſponſio eſt, quod nullus contrahat, quia dum Tridentinum mandat determinari eos, qui teneant, dum nullus determinatur, nullus contrahit, quia non eſt poſita conditio ſtatuta a Concilio.

46. Si determinati a Parocho, vel a Parentibus ad Creaturam tenendam ad Fontem, illam non tangant: contrahuntne cognationem ſpiritualem?

Reſp. Cum communi negative, niſi illam in veſtium extremitate ſaltem tangant. Sotus ſuſtinet in Baptiſmo adultorum ſufficere ſolam præſentiam, & deſtinationem, neque ullum requiri contactum. Verum non video hujus differentiæ rationem.

47. Eſtne neceſſarium, quod non ſolum tangatur Creatura, ſed etiam quod Patrini determinati reſpondeant ad Catechiſmum?

Reſp. Hoc neceſſarium non eſt, quia Canones facientes mentionem de hac cognatione ſpirituali non loquuntur de reſponſione, ſed ſolum de contactu; quod utique clarius elucet in Baptiſmo adulti, qui per ſe, non per alium reſpondet.

48. Si aſſignati ad tenendam Creaturam illam non tangant, ſed alii, iſti ſecundi non aſſignati contrahuntne cognationem ſpiritualem?

Reſp. Cum Sanchez, ſecundi contrahunt: quod videtur probabile.

49. Poteſtne contrahi hæc ſpiritualis cognatio per Procuratorem tenentem nomine alicujus abſentis?

Reſp. Auctores in hoc ſunt hinc inde diviſi, & ſatis probabile eſt, quod non contrahant: quia iſta actio tenendi, & levandi a Fonte, perſonalis eſt; quod miniſterium non poteſt per alium ſuppleri. Verum conſuetudo, maxime in Principibus, eſt contraria. Procurator autem nullo modo con-

 trahit.

trahit, quia exercet hoc munus nomine alterius sine onere contrahendi: unde nulla obligatio, & onus potest in eo oriri.

50. Si Parochus nolit ex justa causa acceptare Patrinos determinatos a Parentibus, & alios substituat, quinam contrahunt cognationem spiritualem?

Resp. Si determinati a Parentibus tangant, vere contrahunt: acceptatio enim Parochi non est conditio apposita a Sacris Canonibus, sed solum munus Parochi est videre, num sint idonei.

51. Si nullus Patrinus assignetur a Parentibus, & assignetur unus a Parocho, contrahitne hic cognationem spiritualem?

Resp. Affirmative: quia est munus Parochi providere, ut celebretur Baptismus cum omnibus cæremoniis ab Ecclesia statutis, inter quas una est, ut interveniat Patrinus. Hinc si nullus sit assignatus a Parentibus, substitutus a Parocho, utpote legitime introductus, vere contrahit.

52. Quænam est causa legitima, ut Parochus non acceptet destinatos a Parentibus?

Resp. Si habeant aliquem defectum canonicum, scilicet, si sint ambo mares, vel fœminæ, si essent Religiosi, vel Hæretici, quibus interdicitur ab Ecclesia munus, & Officium Patrini. Hinc, etsi tangerent, & levarent a Sacro Fonte, adhuc non contraherent, quia sunt a Parocho legitime exclusi.

53. Si quis teneat Puerum ad Baptismum privatum domi, qui confertur in casu necessitatis, contrahitne cognationem spiritualem?

Resp. Sanchez docet, affirmativam & negativam opinionem esse ex æquo probabiles; affirmativa quidem, quia Baptismus privatus est verus Baptismus, neque Canones ullam faciunt differentiam inter privatum, & solemnem quoad hoc; negativa vero, quia cum munus, & officium Patrini contrahentis, sit juxta cæremonias institutas ab Ecclesia pro Baptismo solemni, in privato non habet locum, neque usus consuevit denominare Patrinum sic private tenentem.

54. Puer

54. Puer private baptizatus in casu necessitatis defertur ad Ecclesiam, ubi supplentur cæremoniæ; tenentes in tali solemnitate contrahuntne cognationem spiritualem?

Resp. Negative, quia illæ cæremoniæ non sunt Baptismus, neque regeneratio spiritualis, & hoc declaratum esse a Congregatione Cardinalium supra Concilium, testatur Laurentius Guadagno. Hinc si quis teneat Puerum in Baptismo, qui postea declaretur invalidus ob defectum aliquem essentialem, neque contrahit; in Baptismo autem dubio contrahit, quia in dubio tutior pars eligenda.

55. Puer Hebræi, vel Infidelis Idololatræ tenetur ad Sacrum Fontem a duobus deputatis a Parocho, contrahuntne isti cognationem spiritualem cum infideli?

Resp. Negative, quia cognatio spiritualis est relativa ad duas personas; cum ergo infidelis sit incapax cognationis spiritualis ex parte sui, eo quod cum non pertineat ad gremium Ecclesiæ, neque ligatur obligationibus inductis a Lege canonica; neque fidelis, qui est capax, contrahit, quia relativa sunt simul natura.

56. Quamnam obligationem habet Patrinus erga puerum, quem suscipit ad Fontem?

Resp. Habet obligationem illum erudiendi in spiritualibus, pertinentibus ad salutem. Panormitanus notat nunc apud Catholicos fere nullam habere obligationem, quia filii, si velint attendere, abunde habent hanc eruditionem a propriis Parochis.

57. Pater in gravi necessitate baptizat, vel tenet puerum proprium ad Baptisma; contrahitne impedimentum usus Matrimonii cum propria uxore reddens illum illicitum?

Resp. Negative, quia tunc ob necessitatem bene & sancte operatur, sicque nulla pœna canonica est punibilis: Et sic declarasse recenset Laurentius Guadagno Joann. VIII. *in Capite Limina* 30. *q.* 1. Extra autem necessitatem, si per ignorantiam inculpabilem, qua ignoret hoc esse licitum, vel per errorem ne-

sciens a se baptizandum non esse suum filium; illum baptizet, nullum jus petendi debitum amittit ex eadem ratione, quia cum non interveniat culpa, neque juste potest puniri. Si autem scienter teneat, ex communi Doctorum opinione contra Suarez amittit jus petendi debitum.

58. Quænam est cognatio spiritualis, quæ contrahitur in Baptismo?

Resp. Est vinculum canonicum, quod oritur ratione regenerationis spiritualis, ex quo inter sic alligatos nequit contrahi Matrimonium, nisi posita dispensatione.

59. Inter quasnam personas contrahitur hæc cognatio spiritualis?

Resp. Primo inter Baptizantem, & Baptizatum; secundo inter susceptores Baptizati cum Baptizato, & vocatur Paternitas; tertio inter susceptores Baptizati, & Baptizantem, cum Patre, & Matre baptizati, & vocatur Compaternitas; sic post Concilium Tridentinum. Unde unus susceptor, seu Patrinus cum Matrina, qui levant puerum ad Fontem, nullam inter se cognationem spiritualem contrahunt. Hinc Maritus & Uxor si teneant puerum alterius ad Baptisma, nullum contrahunt impedimentum. Aliqui Doctores docent peccare venialiter, quia faciunt contra Jus Canonicum antiquum; quod tamen sicut ablatum fuit per Concilium Tridentinum, ita neque ulla incurritur culpa.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

AB ALEXANDRO VIII.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermissis illis verbis, Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

CA-

CAPUT V.

De Sacramento Confirmationis.

1. Quid est Confirmatio?

Resp. Est Sacramentum novæ legis, quo homo Baptizatus, & viator inungitur per Sacrum Chrisma in fronte manu Episcopi sub præscripta verborum forma, ut confirmetur, & corroboretur in fide.

2. Estne Sacramentum necessarium ad salutem?

Resp. Cum Bonacina, neque est necessarium necessitate medii, cum hæc necessitas ex Evangelio deduci non possit; neque necessitate præcepti: nullibi enim habetur hoc præceptum.

3. Qui scienter omitteret accipere hoc Sacramentum, peccaretne?

Resp. Cum Suarez, si omissio fiat vel cum scandalo, vel cum contemptu, utique est peccatum lethale; sine contemptu, & sine scandalo, ob puram, & crassam negligentiam in locis, ubi viget persecutio Fidei, & necessitas illam fortiter protestandi, adhuc esset peccatum grave, quia privaret se remedio valde utili in tali circumstantia ad salutem reportandam: extra istam circumstantiam, Sotus, Victoria, Filliucius, Suarez, docent nullum esse peccatum, quia contra nullum præceptum quis facit, quod mihi videtur difficile, saltem quoad peccatum veniale accediæ ex torpore, & negligentia in re valde utili ad gratiam saltem augendam cum parvo, vel nullo incommodo. Sanctus Bonaventura, & S. Antoninus cum pluribus tenent esse peccatum grave, quia cum vita ista plena tentationibus sit, etiam contra fidem, deliberate omittens sumere hoc Sacramentum, privat se medio utili, & facili, quo roboratur ad illas vincendas. Hinc peccat saltem contra charitatem erga se ipsum, animam propriam non præmuniens remedio

a Christo Domino instituto, cum parvo incommodo contra nociva.

4. Quisnam est Minister ordinarius hujus Sacramenti?

Resp. Est solus Episcopus, qui in propria Diœcesi suos Diœcesanos licite confirmare potest; extra suam Diœcesim, vel in sua Diœcesi non Diœcesanos valide, non vero licite confirmat, nisi de commissione Ordinarii illius, qui confirmare debet. Dixi, ordinarius; nam ut extraordinarius, ex delegatione Summi Pontificis, simplex Sacerdos licite, & valide confirmare potest; non tamen Diaconus.

5. Episcopus potestne delegare Sacerdotem ad confirmandum suos subditos?

Resp. Negative, quia Episcopus potest delegare solum circa ea, quæ sunt jurisdictionis, non vero Ordinis, & officii.

6. Clericus habens epistolas dimissorias a suo Episcopo, ut possit ab alio ordinari; si non sit confirmatus, potestne ab eodem ante ordinationem confirmari?

Resp. Affirmative, quia qui vult finem, vult etiam media necessaria ad finem, proinde Confirmationem ante Ordinationem. Hinc docet Bertau, quod potest etiam absolvi ab eodem ab irregularitate occulta, quia hæc absolutio est medium ad licite recipiendos Ordines.

7. Quænam est materia hujus Sacramenti?

Resp. Materia remota est Chrisma confectum ex oleo olivarum: & balsamo per Episcopum consecrato: quam tamen consecrationem, seu benedictionem, posse fieri a simplici Sacerdote de commissione Summi Pontificis, docet Suarez; proxima vero est unctio Chrismatis in fronte, ubi Chrismate formatur crux, qua miles Christianus roboratur hoc Sacramento; qui debet aperte eam in fronte portare ad confitendum Christum sine erubescentia, & timore.

8. Quænam est forma hujus Sacramenti?

Resp. Sunt verba hæc ab Episcopo prolata: Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis,

lutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

9. Quare post Confirmationem Episcopus dat alapam confirmato?

Resp. Ut confirmatus discat, quod deinceps debet patienter sustinere injurias, & tormenta sibi ab aliis ob Christi fidem illata.

10. Quodnam est subjectum capax hujus Sacramenti?

Resp. Est quilibet baptizatus, quamvis esset amens, vel expers usus rationis, vel proxime moriturus, circumstantiæ enim istæ, cum non impediant effectus hujus Sacramenti, neque debent impedire ejus collationem.

11. Requiruntúrne aliæ circumstantiæ ad validam, & licitam receptionem hujus Sacramenti?

Resp. Si confirmandus habeat usum rationis, debet esse in gratia, & si mane hoc Sacramentum conferatur, Filiuccius putat esse valde decens, & conveniens, quod sit jejunus.

12. In quanam ætate debet quis confirmari?

Resp. Circa ætatem servandus est usus approbatus cujuscunque Ecclesiæ; in primitiva enim Ecclesia ob graves, & imminentes persecutiones recipiebatur statim post Baptisma. In Hispania enim nunc, ut refert Fernandez, confertur anno secundo ætatis. Apud nos mos est conferendi hoc Sacramentum habentibus usum rationis, proinde in ætate septem annorum, quo tempore, cum infantes sunt capaces tentationis, præmuniri debent, ne cadant. Quod etiam docetur a Catechismo jussu Concilii Tridentini edito.

13. Quinam sunt effectus Confirmationis?

Resp. Primo, gratia habitualis, & Sacramentalis, scilicet, cum jure ad habenda specialia auxilia ad vincendas tentationes contra fidem; secundo, character indelebilis, quo Christianus insignitur; & ideo ratione characteris iterari non potest Confirmatio.

14. Si quis scienter bis recipiat Confirmationem, peccatne, & incurrit aliquam pœnam canonicam?

Resp. Peccat peccato sacrilegii; quantum ad pœnam, alii apud Sanchez volunt hunc esse irregularem, alii vero non, cum nullibi in Sacris Canonibus talis pœna reperiatur.

15. Quantum ad cognationem spiritualem, quæ ex Sacri Chrismatis susceptione oritur, idem dicendum quod de Baptismo. Solum remanet dubium, an si quis non confirmatus alium teneat ad Confirmationem, adhuc cognationem contrahat. Auctores apud Sanchez *de impedimentis Matrimonii* hinc inde sentiunt. Utraque sententia est ex æquo probabilis: & quidem negativa, cum enim Ecclesia prohibeat, ut non confirmatus teneat ad Confirmationem, ille invalide tenet; ex actione autem invalida nihil sequitur.

CAPUT VI.

De Eucharistia.

1. HOc Sacramentum pluribus appellatur nominibus; & primo propter ejus excellentiam, quia continet in se auctorem omnium Sacramentorum, dicitur Sanctissimum & Venerabile Sacramentum; secundum dicitur Eucharistia, hoc est bona gratia, quia continet Jesum fontem omnium gratiarum; dicitur Communio, quia fideles manducantes idem Christi Corpus fiunt unum corpus mysticum Christi; dicitur Viaticum, quia præparat viam ad gloriam, & animam roborat, ut iter sanctæ æternitatis perficiat. Est etiam Sacrificium, de cujus nominis

minis significatione, & essentia dicemus in propria Sectione.

2. Quid est Eucharistia?

Resp. Est Sacramentum, in quo sub speciebus panis & vini consecrati, Corpus, Sanguis, Anima Christi, & Divinitas continentur ob nutrimentum spiritualis vitæ, in Baptismo receptæ, & ob illius conservationem & propagationem.

3. Quomodo differt Eucharistia ab aliis Sacramentis?

Resp. Differt præcipue per duo; primo, quod alia Sacramenta sunt signa sensibilia rei sacræ sanctificantis animam, scilicet gratiæ; Eucharistia autem non solum significat gratiam, sed Christum auctorem gratiarum. Secundo, quia nullum Sacramentum confert gratiam per modum cibi nutrientis, conservantis, & propagantis vitam spiritualem in Baptismo receptam, sicuti facit Eucharistia.

4. Quid docet Fides circa hoc Sacramentum?

Resp. Præcipue tria; primo, quod post verba consecrationis a Sacerdote prolata, substantia panis convertitur in Corpus Christi, & substantia vini convertitur in Sanguinem Christi, itaut nihil substantiæ panis & vini remaneat, sed sola accidentia, quæ vocantur species Sacramentales. Hæc actio conversiva panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi vocatur Transubstantiatio. Secundo, docet sub speciebus panis esse substantiam Corporis Christi, & sub speciebus vini esse substantiam Sanguinis, & hæc quidem ibi reperiri ex vi verborum consecrationis, seu, ut loquuntur Theologi, formaliter, ceterum per concomitantiam sub speciebus panis est etiam Sanguis, & sub speciebus vini est etiam Corpus, & sub utrisque est Anima, & ejus Divinitas, atque adeo totus Christus Dominus; hinc tantum accipit, qui sub utraque specie communicat, quantum qui in altera solum. Tertio, docet Christum manere sub speciebus modo spirituali, hoc est totus in toto, & totus in qualibet parte minima, & sensibili specierum,

jam ante, quam post illarum divisionem; & tamdiu manet sub illis, quamdiu non corrumpitur.

5. Estne etiam tota Trinitas sub speciebus consecratis?

Resp. Est per circuminsessionem, ut loquuntur Theologi Scholastici, quatenus divinæ personæ propter identitatem, quam habent cum Divinitate, sunt ubicunque est Divinitas.

SECTIO I.

De præcepto Communionis, & Viatici.

1. EStne hoc Sacramentum ad salutem necessarium?

Resp. Respectu infantium, qui non pervenerunt ad usum rationis, adeoque incapaces sunt subjectionis ad aliquam legem, non est necessarium. Quoad adultos vero, qui jam pervenerunt, est necessarium necessitate præcepti positivi divini, contenti in Joanne, c. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. & præcepti Ecclesiastici, juxta ea, quæ mox dicenda sunt.

2. Quo tempore obligatur quis recipere Eucharistiam?

Resp. De Jure Divino quis tenetur in articulo mortis: unde secundum antiquam consuetudinem Ecclesiæ Viaticum traditur infirmis: ex quo colligitur, hoc præceptum receptum esse per Apostolicam traditionem. Suarez tamen putat, quod qui octo, aut decem diebus communicasset ante periculum mortis, esset ab obligatione hujus præcepti excusatus. Tenemur etiam multoties in vita illud sumere ob spiritualem corroborationem animæ: quia tamen tempus sumendi non est a Christo declaratum, ideo standum est Ecclesiæ præcepto, quod obligat singulos fideles ad communicandum semel saltem in anno, tempore Paschatis, in propria Parochia, vel in Ecclesia Metropolitana: Hoc autem tempus Paschale non est restringendum ad tres dies festos Paschæ, vel ad totum tempus Paschale: sed juxta concessionem

nem Eugenii III. potest satisfieri. huic Præcepto a Dominica Palmarum usque ad octavam Paschæ inclusive. Ubi autem consuetudo obtinuit dilationem hujus temporis a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Dominicam in Albis, adhuc quis satisfacit præcepto, si intra tale tempus communicet: ita Azorius.

3. A quanam ætate incipit obligatio sumendi Eucharistiam?

Resp. Licet in hoc certa regula universalis dari nequeat, nihilominus juxta Bonacinam, neque incipit ante decimum annum, neque post decimum quintum communiter. Unde intra hoc tempus, judicio parentum, Confessarii, & Parochi, potest differri Communio, usque dum habeatur prudens & sufficiens judicium ad discernendum hunc panem cœlestem a pane communi, & quotidiano.

4. Si quis culpabiliter, vel inculpabiliter tempore Paschatis Communionem non sumpserit, potestne illam differre usque ad annum sequentem?

Resp. Licet nonnulli Doctores affirment non teneri, quia elapsum est tempus obligationis: tamen affirmativa sententia est certior, quia præceptum Ecclesiæ est virtualiter duplex; primo scilicet, quod ultra annum non differatur Communio: secundo, assignat tempus Paschatis, tanquam convenientius, & decentius propter talium dierum solemnitatem: his ergo elapsis manet, & urget obligatio prima communicandi semel in anno. Et talis est usus, & consuetudo Ecclesiæ adstringendo sub censura fideles, non communicatos in Paschate, ad Sacram Communionem sumendam extra illud tempus, absque eo quod expectetur subsequens Pascha.

5. Si quis tempore Paschatis culpabiliter Communionem non accipit, estne excommunicatus?

Resp. A jure est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, & privatus Ecclesiastica sepultura; nihilominus solent Episcopi ad aliorum exemplum, & terrorem eos specialiter excommunicare.

6. Poteftne Confeffarius differre ob caufam, Pafchalem Communionem fui pœnitentis?

Refp. Affirmative ex Alario *verbo Euchariftia*, qui citat pro fe caput, *Omnis utriufque fexus, de pœnitentia, & remiffione.*

7. Quo in loco tenetur quis fumere Communionem?

Refp. Extra tempus Pafchale, in quacunque Ecclefia: ut vero fatisfaciat præcepto annuæ Communionis in Pafchate, debet communicare vel in propria Parochia, vel in alia Ecclefia de fui Parochi licentia, fecus non fatisfacit præcepto.

8. Quænam difpofitiones requiruntur ad hoc ut quis digne & cum fructu recipiat hoc Sacramentum?

Refp. Primo, ex parte animæ intentio actualis, vel virtualis communicandi; qui enim manducaret Hoftiam ad fedandam famem, utique fpiritualiter non manducaret. Secundo, ftatus gratiæ: unde fi quis habeat confcientiam peccati lethalis, debet prius confiteri; neque fufficit actus contritionis, nifi defit copia Confeffarii, & urgeat neceffitas communicandi. Tertio, quod non fit excommunicatus; per hanc enim pœnam feparantem a fidelium communione, quis privatur paffiva Sacramentorum receptione. Ex parte corporis requiritur, quod a media nocte antecedenti fit jejunus jejunio naturali, & non laboret tali morbo, quo particulam deglutire nequeat, vel fit periculum vomendi.

9. Quid facere debet ille, qui dum flectit genua ad Altare, recordatur alicujus peccati lethalis obliti in Confeffione?

Refp. Si fine fcandalo recedere poteft, & confiteri, tenetur hoc facere: fi autem immineat fcandalum, ut in publicis Communionibus, quæ fiunt in diebus folemnioribus, doleat quantum fieri poteft, procurando actum contritionis, & proponat confiteri.

9. Eftne talis obligatus confiteri data proxima occafione, & quamprimum?

Refp. Licet hoc laudabile fit, non tenetur tamen juxta Bertau, quia Tridentinum *feff.* 13. c. 7. hoc

præ-

præcipit Sacerdotibus, qui celebraverunt, non vero laicis, qui communicarunt.

10. Si quis injuste & nulliter excommunicatus sit, potestne accedere ad Communionem.

Resp. Ex Alario, qui citat pro se Navarrum; & Suarez, quod nulliter excommunicatus, cum in foro conscientiæ excommunicatus non sit, potest secreto communicare, si absit scandalum, scilicet non videatur censurarum contemptor; immo & publice in eo loco, in quo ignoratur excommunicatio.

11. Circa dispositiones corporis, jam dixi de jejunio naturali; sed dubium est, utrum si quis abluendo unam, vel alteram oris partem, guttam aquæ deglutiat, vel etiam parum cibi vespertini, qui remanserit in ore, possit Communionem accipere?

Resp. Affirmative: quia hæc deglutitur per modum salivæ, non vero per modum potus; ita etiam cibus relictus intra dentes, quia pertinet ad comestionem vespertinam.

12. Si quis detinens in ore ossa aliqua persici, vel quid simile, inadvertenter illa deglutiat, potestne accedere ad Communionem?

Resp. Affirmative, quia ossa non habent rationem cibi; hoc autem est signum ad dignoscendum id, quod habet rationem cibi; & est illud, quod transit in substantiam aliti, & non emittitur, sicuti recipitur in stomacho; ossa autem emittuntur, sicuti recipiuntur. Hinc aliter sensi Bononiæ de quadam Nobili Matrona, quæ mane ornans se, incaute deglutivit unionem, seu perlam: hæc enim nutrit, & non emittitur, sicuti recipitur.

13. Pollutio nocturna, & copula conjugalis causa prolis, vel reddendi debitum, impediuntne accessum ad Communionem?

Resp. Negative cum Alario, nisi reddant hominem ineptum ad res divinas, & spirituales devote peragendas, eo quod, puta, reliquerint phantasmata impura in mente, & distractionem magnam.

14. Idemne dicendum est de pollutione cum negligentia veniali, & de copula conjugali voluptatis gratia?

Resp.

Resp. Tales prohiberi debent, ne accedant ad Communionem, ut dicit Sanctus Gregorius relatus a Divo Thoma *part. 3. q. 80. art. 7. ad secundum*. Multo magis id dicendum de fornicatione, aut pollutione voluntaria; si tamen adsit scandalum. Communicans se post dicta peccata, per Confessionem jam expiata, non peccaret lethaliter. Prohibitio enim hæc est de consilio, non de præcepto.

15. Qua hora potest quis sumere Communionem?

Resp. Quavis hora, dummodo sit jejunus: hora tamen congruentior est matutina juxta stylum Ecclesiæ.

16. Poteſtne quis in die Paraſceves communicari Communione laica, quæ communiter omnibus fidelibus exhibetur?

Resp. Negative juxta Decretum Congregationis Rituum, relatum ab Alario, quæ statuit servandam esse consuetudinem Ecclesiæ universalis, quæ jam diu obtinuit, ut ea die non nisi infirmis Eucharistia ministretur.

17. Si quis probabiliter dubitet, quod media nox proxime transacta fuerit, cum ultimo aliquid comederit, vel biberit, potestne Communionem sumere?

Resp. In æquali dubio non potest, quia possessio stat pro Communione, si tamen magis probabiliter existimet mediam noctem non fuisse elapsam, potest communicare, etiamsi habeat aliquam formidinem partis oppositæ; ita Alarius citans Sanchez. Ubi non est nisi unicum horologium, statim sonato primo pulsu horæ dimidiæ noctis, crastino communicaturus nihil potest edere, vel bibere.

18. Circa sumptionem Viatici, hæc occurrunt: Potestne infirmus pluries in eadem infirmitate sumere Communionem per modum Viatici?

Resp. Si sit eadem infirmitas, non potest; si autem infirmitas mutet statum, puta, si febri acutæ superveniat risipula, vel novus morbus, potest, quia tunc reperitur in novo mortis periculo, quapropter toties Viaticum sumere potest, quoties in novo mortis periculo constituitur. Si autem periculum duret octo, vel decem diebus, potest iterum com-

communicari; post enim tantam dilationem fraudari non debet novo cibo spirituali contra novas tentationes. Ita Alarius, & Navarra.

19. Est necesse, quod infirmus, qui Viaticum sumit, sit jejunus?

Resp. Negative: ratione enim tantæ necessitatis animam corroborandi contra tentationes, noluit hanc obligationem, quæ infirmis nimis onerosa foret, inducere Ecclesia; & aliunde dispositio jejunii ad Communionem non est de jure Divino, sed tantum Ecclesiastico,

20. Publicis peccatoribus, puta usurariis, adulteris, & similibus, estne Viaticum denegandum?

Resp. Affirmative, nisi dent signa pœnitentiæ publicitus, & satisfaciant Ecclesiæ, & sint confessi, & occasiones peccandi ejiciant, sicuti Parochis Rituale præscribit.

21. Morte plectendis estne neganda Communio?

Resp. Danda est, si sint aliunde dispositi, scilicet pœnitentes, & confessi: & talis est Urbis consuetudo eam concedendi ante quatuor horas, quam ducantur ad supplicium. Potest ipsis dari etiam post cibum, quando nec anticipari potest Communio, nec differri supplicium: ita Suarez, qui dum asserit posse in periculo mortis communicari non jejunum, addit, quod parum refert hoc mortis periculum provenire ab intrinseco, vel ab extrinseco; ubi autem consuetudo est in contrarium, scilicet denegandi Communionem, Judex non peccat, ait Victorinus, si non permittat eos communicari.

22. Estne dandum Viaticum perpetuo amentibus, & Dæmoniacis, seu obsessis?

Resp. Si amentes in fine vitæ rationis compotes fiant, & desiderium Communionis ostendant, & putentur in gratia, Communio eis neganda non est nisi forte esset periculum vomitus, aut contemptus; danda etiam est obsessis, nisi constet eos torqueri a Dæmone pro aliquo crimine, tunc enim habendi sunt pro excommunicatis. Ita Alarius citans D. Thomam.

23. Pec-

23. Peccatne semper mortaliter, qui Viaticum in mortis periculo sumere non vult?

Resp. Si hoc faciat citra contemptum, & scandalum, & prævie ad infirmitatem, puta, si duobus, vel tribus diebus antea communicatus sit, non peccat mortaliter: Immo Cajetanus vult eum neque peccare, si Communionem Paschalem sumpsit. Verum hæc sententia mihi videtur nimis ampla, & puto, quod saltem peccet contra charitatem sui, si in tempore tantæ necessitatis negligat uti remedio adeo salubri cum parvo incommodo.

24. Si Sacerdos non habet paratam aliam Hostiam ad communicandum infirmum, potestne dare partem suæ?

Resp. Affirmative ex Alario, qui etiam addit hoc fieri posse ex alia qualibet rationabili causa, puta ad communicandum sanum, qui aliunde communicari non potest. Ita Alarius cum pluribus. Nunquam tamen, neque ad communicandum infirmum, neque sanum, potest quis extra Missam consecrare.

25. Si infirmus haberet maximam oris siccitatem, ratione cujus Hostiam deglutire non posset, nisi ei ministretur simul cum vino, possetne hoc fieri?

Resp. Cum Alario, qui citat Suarez, quod potest hoc fieri; nec refert, si prius aliquid vini descendat.

26. Si infirmus sumere non potest Viaticum ratione vomitus, potestne ad eum deferri Eucharistia, ut illam veneretur?

Resp. Negative, ex Decreto S. Pii V. & Congregationis Concilii, relato ab Alario.

27. Qui curam gerunt infirmi, & nolunt eum monere de Viatico sumendo, ne illum contristent, & sic augeant vim morbi, peccantne?

Resp. Peccant mortaliter, & maxime Tutor, Pater, Dominus, & Maritus, cæterique, qui præsunt respectu sui subditi, si non moneant in re tanti momenti: neque solum peccant non monendo in necessitate Viatici, sed etiam Communionis Paschalis; maxime si sciant eos non communicaturos, nisi moneantur.

28. Est-

28. Estne alius casus, in quo urgeat præceptum Communionis?

Resp. Affirmative, si scilicet ad vincendas graves tentationes prudentis judicio necessaria sit Communio, tunc monitus peccat mortaliter, si non communicet. Ita Alarius, & Valentia.

29. Quot modis recipi potest hoc Sacramentum?

Resp. Tribus modis, scilicet Sacramentaliter, ut cum recipitur Corpus Christi; spiritualiter, cum scilicet quis recipit solum desiderio, non vero actu: tertio Sacramentaliter & spiritualiter, cum quis recipit & desiderio, & actu, & Sacramentum, & fructum Sacramenti.

Propositiones damnatæ, ad hoc Caput reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio & Communio etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

Ab ALEXANDRO VIII. 24. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

25. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

SECTIO II.

De materia, forma, effectibus, & Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

1. Quænam est materia Corporis?

Resp. Est panis azymus apud Latinos; apud Græcos fermentatus. Panis debet esse ex tritico, vel ex iis, quæ a tritico generantur, scilicet *segala*. Excluduntur omnia legumina, insuper & hordeum

ftteum & far; & qui in istis consecraret; peccaret mortaliter. Si in tritica farina sit modica quantitas alterius materiæ, adhuc licite quis ea utitur pro hostiis conficiendis. Panis debet esse factus aqua naturali, ut docet D. Thomas, quia aqua in farina ponitur tanquam pars substantialis panis. Panis pulverizatus non est materia hujus Sacramenti propter nimiam alterationem, ratione cujus non conservat amplius rationem panis usualis: Sacerdos Latinus apud Græcos nequit consecrare in fermentato: Græcus tamen apud Latinos indifferenter consecrare potest & in azymo, & in fermentato.

2. Quænam est materia Calicis?

Resp. Ex Tridentino est vinum de vite ex uvis expressum, cui admisceri debet modica quantitas aquæ, scilicet una aut altera gutta. Hinc nequit consecrari acetum, vel agresta: quia primum est vinum corruptum, & secundum nondum habet substantiam vini. Vinum acescens, seu quod incipit acescere, est quidem materia sufficiens Calicis, quia nondum amisit substantiam vini, sed tantum est in via ad amittendum: peccat tamen mortaliter Sacerdos, in eo consecrans. In necessitate licet consecrare in musto, recenter expresso ex uvis maturis, est enim verum vinum. Ita Divus Thomas. Vinum congelatum ex Suarez est sufficiens materia, & consecratio in eo facta tenet. Si admisceatur vino consecrando aqua non naturalis, puta rosacea, consecratio tenet, quia aqua non est de necessitate Sacramenti, sed solum ad significandum mysterium. Peccat tamen Sacerdos mortaliter, hoc faciens contra usum communem Ecclesiæ. Si magno dolio vini admisceantur aliquæ guttæ consecratæ, licet aliqui existiment posse bibi: Suarius tamen sanius putat hoc reservandum esse ad pios usus propter reverentiam specierum consecratarum, quæ admixtæ sunt, propter quarum contractum & incorporationem totum vinum remanet benedictum.

3. Quæ aqua ponitur in Calice?

Resp. Non ponitur ex necessitate Sacramenti, ita

ut, si

tur, si non ponatur, materia sit inepta ad recipiendum Christi Sanguinem; sed ad significandam aquam, quæ simul cum Sanguine diffluxit a latere Christi Domini.

4. Quænam est forma essentialis hujus Sacramenti?

Resp. Forma essentialis quoad Corpus est, *Hoc est enim corpus meum*: quoad Sanguinem est, *Hic est enim Calix Sanguinis mei*. Ly *enim* est particula accidentalis, adjuncta & apposita per Divum Petrum, ut docet Bellarminus *libr.* 4. *cap.* 4. Reliqua verba expressiva effusionis Sanguinis pro nobis sunt de integritate substantiali hujus Sacramenti.

5. Qui relinqueret hoc verbum *enim*, vel alia verba, quæ sunt de substantia, licet non de essentia consecrationis, peccaretne?

Resp. Si voluntarie hoc faceret, peccaret mortaliter; sicuti etiam si mutaret formam hujus Sacramenti, eam proferendo per verba idem exprimentia: forma enim, & materia Sacramentorum, quæ ab Ecclesia præscribuntur, sunt sub præcepto, non sub consilio.

6. Cum totum Corpus reperiatur sub speciebus sanguinis, & totus Sanguis sub speciebus corporis, quare Christus Dominus hoc Sacramentum sub utraque specie instituit?

Resp. Primo, ad significandum Sacrificium Crucis cruentum, in quo Corpus separatum est a toto Sanguine. Secundo, cum institutum sit per modum refectionis spiritualis, ad eam perfecte significandam assumi debent species cibi, & potus.

7. Quinam sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ?

Resp. Primo, augere gratiam in recipiente Sacramentum; est enim per modum cibi spiritualiter corroborantis, & nutrientis. Secundo, præservare a peccatis, non solum venialibus, sed etiam mortalibus; cum enim roboret animam, debet illam præservare a venialibus, quæ debilitant, & a mortalibus, quæ occidunt vitam spiritualem animæ. Hinc trahi auxilia specialia, congrua loco, tempori, occasioni; ad vincendas tentationes, & reprimendum sen-

sensum, ad virtutes exercendas, & vitia fugandi; hoc enim est spiritualiter roborare animam, facere totum id respectu vitæ spiritualis, quod facit cibus respectu materialis. Tertio, delet peccata venialia, & mortalia, oblita si fuerint.

8. Quandonam hoc Sacramentum auget gratiam?

Resp. Ex Cajetano, quoad usque durat Christus sub speciebus, continuo gratiam auget, & uberiorem confert, si crescat fervor, & devotio recipientis. Alii vero recentiores existimant, quod in instanti, in quo deglutiuntur species, & transeunt ad stomachum: tunc enim proprie, & in rigore dicitur Christus manducari. Hinc qui tamdiu in ore species retineret, ut ipsæ alterarentur, & corrumperentur, non reciperet gratiam Sacramentalem; non verificaretur enim manducatio Christi, proinde neque promissio gratiæ facta manducanti, juxta illud; *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

9. Qui reciperet majorem Hostiam, vel plures parvas simul, reciperetne majorem gratiam?

Resp. Quoad opus operatum non reciperet plus gratiæ, quia omnes particulæ ab eodem manducatæ habent rationem unius refectionis spiritualis; quoad opus operantis, facile est, quod plus gratiæ recipiat, quia major quantitas specierum plus durat sine alteratione, adeoque præsentia Christi diuturnior majorem gratiam causabit juxta proportionem devotionis & fervoris, quo communicatus se gerit.

10. Qui communicat sub utraque specie, recipitne plus gratiæ, quam Laicus communicans sub specie Panis tantum?

Resp. Per se loquendo, non plus gratiæ recipitur ab uno, quam ab alio: totus enim Christus æqualiter sub alterutra, ac sub utraque specie continetur. Alii tamen tenent, quod plus gratiæ recipiatur a communicante sub utraque specie, quia perfectior refectio est sub specie panis & vini, quam illa sub specie panis tantum. Prima sententia videtur mihi probabilior; quia causa gratiæ est Christus, & cum species Panis contineant Sanguinem, æque reficiunt,

si di-

si divisim, ac si unitim sumantur. Hoc certum est ex Tridentino, nulla gratia necessaria ad salutem, defraudari eos qui unam speciem solum sumunt.

11. Potestne Laicus tangere hostiam consecratam?

Resp. Ex Divo Thoma relato ab Alario, in casu necessitatis, puta quia in terram decidat, neque sit Sacerdos, aut Diaconus, qui eam elevet, potest eam tangere, etiamsi Laicus esset in mortali. Hac eadem sententia utendum putavi, cum vel casu, vel incuria Sacerdotis particula decidat inter ubera mulieris: ad consulendum enim puritati, decentius putarem, quod mulier sua manu eam tangeret, quam Sacerdos.

12. Quisnam est Minister ordinarius hujus Sacramenti?

Resp. Sacerdos jurisdictionem habens Parochialem erga suos subditos, vel alii de permissione illius, vel etiam Diaconus jubente Parocho, qui vel fatigatus, vel occupatus in alio Sacro Ministerio, hoc non potest præstare. Hinc si simplex Sacerdos Eucharistiam ministret sine permissione Parochi, peccat mortaliter; sufficit autem licentia tacita, seu bona fides, qua putetur Parochus recte habiturum, quod factum est. Sic Alarius citans plures. Valentia ab eodem citatus tenet, quod præsente, & eo reclamante, potest communicare eum, cui Parochus inique negaret Eucharistiam petenti, & ea indigenti. Verum malitia Parochi in hoc casu debet esse omnino evidens & certa, ita ut non sit locus dubitandi, quod eam neget ex justo motivo.

13. Regulares ex privilegio ministrare possunt Eucharistiam cuicunque accedenti extra diem Paschatis. Diana tamen tenet, quod dies Paschatis intelligenda est formaliter pro Communione Paschali: & sic a die Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive, remittere debent ad Parochos eos qui, communicant ad satisfaciendum præcepto. Optima tamen & laudabilis est consuetudo Regularium, qui in solemnitate Paschali tabellas pro communione laicali non ponunt. Nihilominus si Communio

Pascha-

Paschalis impleta sit, vel sit intra debitum tempus implenda, non peccant mortaliter Regulares, qui piam aliquam personam communicant, neque incidunt in excommunicationem: Ita Alarius.

14. Poteftne aliquando negari Communio peccatori eam petenti?

Resp. Primo, si peccator publicus sit, & petat publice, denegari ei debet: si autem peccator publicus sit, & occultam pœnitentiam egerit, confessus nempe sit, & dederit signa veri doloris; nihilominus ob scandalum neganda est ei Communio, donec publice satisfaciat: nisi forte sit in periculo proximo mortis. Tunc enim sufficiet, ut signa veri doloris det astantibus, & pro temporis opportunitate satisfaciat quantum potest. Sotus tamen relatus ab Alario tenet, quod quando quis est peccator publicus, & notorius notorietate juris, & sententiæ, & alio migrat, ubi christiane vivit, huic publice accedenti conferendum est Sacramentum, si vero peccator publicus secreto emendatus, secreto petat, huic concedenda est Communio. Addit tamen Suarez, quod in hoc casu Communio adeo debet esse occulta, ut postea divulganda non sit.

15. Si quis solum in Confessione sciat occultum statum malum alicujus existentis in lethali, potestne ei ministrare Sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Si aliunde non habeat causam sufficientem denegandi Communionem, non potest eam denegare ex scientia & cognatione habita tantum in Confessione, in nullo enim casu licet sigillum Confessionis violare, & uti scientia Confessionis pro non facienda actione, si aliter poneretur,

16. Poteftne Sacerdos sibi ministrare Eucharistiam?

Resp. Cum Alario & Diana, in casu necessitatis sibi ministrare potest. Hoc enim Sacramentum non requirit ministrum personaliter distinctum a suscipiente; & de facto Sacerdotes se communicant in Parasceve. Intellige ergo, quod si sit magnum Festum, & sacrificare non possit, vel etiam alia die

magnæ

magnæ devotionis causa, & non sit alius ministrans, poterit sibi hanc ministrare, ne fraudetur fructu tanti Sacramenti, dummodo absit scandalum, & non sit alius Sacerdos.

17. Existente Diacono, & eo deferente Viaticum ad Parochum, debetne ille sumere Viaticum propriis manibus, an vero a Diacono?

Resp. Præpositus a Diana citatus docet ipsum debere sumere a Diacono: Durandus vero docet, quod eo asportato ad Sacerdotem moribundum, debet ille propriis manibus sibi ministrare; & hoc tanquam probabilius tenet Diana.

18. Ministrans Eucharistiam in lethali peccatne mortaliter?

Resp. Cum Divo Thoma affirmative, quia ministrare Sacramentum est actus Ordinis, qui versatur circa Sacramentum omnium Sacramentorum, quapropter operatur graviter contra reverentiam debitam, illud ministrans in lethali. Vasquez, quem sequitur Diana, tenet eum mortaliter non peccare, quia Sacramentum ministrare non est illud conficere, & proinde non est minister Christi ad gratiam causandum, sed solum applicat id, quod causat gratiam: & addit, quod sicuti peccator tangens Christum in terris existentem, non propterea peccavit mortaliter; sic neque minister eum tangens sub speciebus: nihilominus, ad summum, vix hoc probabile puto de ministro necessitatis, cum deest alius idoneus, qui ministret Eucharistiam; non autem de ministro ordinario, & solemnitatis.

19. Potestne in articulo mortis, deficiente alio ministro, quis petere & recipere Viaticum a Sacerdote excommunicato, vel hæretico?

Resp. Si adsit scandalum, & Religionis infamia, vel si ex hoc actu quis videretur, aut censurarum contemptor, aut a Catholica Fide ad sectam hæreticam transiens, hoc fieri non posset; hinc quia semper aliquid horum intervenit, non admitto sententiam asserentium, infirmum non potentem alia Sacramenta sumere, posse ab hæretico deferente Viati-

cum

cum illud accipere ratione summæ necessitatis; quæ non habet legem.

20. Quomodo deferenda est Eucharistia ad Infirmum?

Resp. Deferenda est in habitu Ecclesiastico, scilicet saltem cum Superpelliceo & Stola, lumine præcedente. Non est tamen improbabile, quod si iter longum faciendum est, cum defertur ad rusticos procul ab omni Ecclesia, tempore hyemali & pluviæ, sine irreverentia possit Sacerdos in Pyxide, vel involutam in Corporali in sinu suo clam deferre; ubi tamen hæc consuetudo introducta non est, hic usus nullo modo debet permitti. In locis hæreticorum hoc est certius, & ut referunt, qui apud ipsos degerunt, iste modus deferendi est continuo usitatus. Bonacina putat in casu necessitatis, & præciso scandalo, Eucharistiam porrigi posse etiam sine Superpelliceo, & Stola. In eadem autem necessitate communicandi infirmum non licet sine vestibus sacris consecrare. Debet insuper Sacerdos deferre Viaticum recitando pias preces ab Ecclesia consuetas in hujusmodi delatione; insuper incedere cum gravitate, & modestia: & licet in necessitate festinare debeat, ne infirmus decedat sine Viatico; non tamen præstat sic veste sacra indutum currere, sicuti currere debet, ut ait S. Thomas, in casu ministrandi Baptismum, vel Pœnitentiam. Ubi est consuetudo, potest etiam Sacerdos ob nimiam loci distantiam, illam deferre super equum mansuetum, ex quo non sit periculum lapsus; non licet tamen Pyxidem dare portandam a laico: sed potius si Parochus sit fatigatus, debet eam portare in bursa a collo decenter pendente.

21. Potestne tempore pestis porrigi Eucharistia medio aliquo instrumento, vel deponi in scutella, ut ab ægro sumatur.

Resp. Cum Bonacina, hoc non licet, sed manu porrigenda est, nonnulli tamen apud Dianam putant, præciso scandalo, & periculo lapsus in terram, posse per instrumentum rite confectum ad hunc usum porrigi.

22. Pec-

22. Peccatne, qui Eucharistiam ministrat sine precibus antecedenter juxta Ecclesiæ ritum consuetis?

Resp. Citra contemptum & scandalum, hic peccat saltem venialiter: si autem sine veste sacra, lumine, & præviis orationibus Eucharistiam ministraret, nullo modo excusarem eum a lethali.

23. Consecratione facta possuntne particulæ consecratæ tribui alteri Sacerdoti, ut expeditius populum expectantem communicet?

Resp. Negative, quia tam hostiæ parvæ, quam magnæ spectant ad unam, & eandem victimam, circa quam omnia perfecte completa non sunt ante sumptionem Sacerdotis; omnes enim oblationes, benedictiones, & orationes subsequentes pertinent tam ad hostiam magnam, quam ad particulas: & sicuti Sacerdos nequit dare partem hostiæ magnæ populo, antequam ipse sumpserit; ita neque permittere, quod parvæ distribuantur. Qui aliter facit, eum censet peccare mortaliter Card. de Lugo; in necessitate eum excusat ab omni peccato Tambur. Sacrif. Miss. c. 6.

24. Pastor, qui tempore pestis ob mortis periculum Communionem non dat in extremo vitæ, peccatne mortaliter?

Resp. Affirmative, & quidem contra justitiam, & charitatem; Sacerdos vero, qui Pastor non est, & absente, vel nolente Parocho, vocatur ad Viaticum ministrandum, si neget ministrare, peccat solum contra charitatem.

25. Ubinam asservanda est Eucharistia?

Resp. Debet asservari in qualibet Ecclesia Parochiali, ut eam commode Parochus ad Infirmos deferre possit. Debet insuper retineri in Pyxide, quæ de necessitate non debet esse benedicta: nec potest retineri in Sacellis nobilium, vel in Choro Monialium, vel intra septa Monasterii, ut præcipit Tridentinum.

26. Si ob gravem culpam Parochi lampas per diem, vel noctem, non ardeat ante Venerabile Sacramentum, peccatne mortaliter?

Resp. Affirmative, non autem si per horam tantum, ratione parvitatis materiæ.

27. Hæc de ministro distributionis: nunc autem de ministro consecrationis, qui est solus Sacerdos valide ordinatus.

SECTIO III.

De Eucharistia, ut Sacrificium est.

1. QUare Sacrificium Eucharisticum dicitur Missa? *Resp.* Ex Divo Thoma, quia hæc Sacrosancta Hostia fuit nobis a Deo missa pro redemptione hominum, & nos iterum remittimus illam ad Deum ministerio Sacerdotum; hinc puto melius judicare, quantum ad nominis etymologiam, quod hoc nomen Missa derivatum sit a verbo latino Mitto, ita ut idem sit Missa, quod missio, quam quod derivatum sit a verbo Hebraico Missach, quod idem significat, ac oblatio, vel munus voluntarium, Deo oblatum.

2. Quid est Missa?

Resp. Est Sacrificium consistens in consecratione Panis, & Vini, & est actus latriæ, qui fit in recognitionem supremi dominii Dei, & in signum nostræ servitutis.

3. Quisnam instituit Missam?

Resp. Christus Dominus in ultima Cœna, cui Ecclesia successive sancte & prudenter adjunxit aliquas cæremonias & preces, ad hoc ut majori cum reverentia & fructu Sacerdotis, & adstantium celebretur.

4. Quot sunt partes essentiales Sacrificii Missæ?

Resp. Sunt tres, scilicet oblatio, consecratio, & consumptio: oblatio duplex est, altera panis, & vini, quæ fit in offertorio; altera post consecrationem, qua offertur Corpus Christi, & ejus Sanguis Patri Æterno, & hæc est essentialis; prima enim ad hanc secundam ordinatur. Consecratio est actio, qua fit res sacra, scilicet qua Sacerdos nomine Christi, dum dicit, Hoc est Corpus meum, convertit panem

panem in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem. Consumptio, seu consummatio est actio, qua Corpus & Sanguis Christi positum per consecrationem, & oblationem in honorem Dei, & animarum salutem, manducando destruitur, & cessat esse sub illis speciebus, sub quibus antecedenter erat.

5. Quotuplex est Sacrificium Missæ?

Resp. Triplex, propitiatorium, impetratorium, & satisfactorium. Dicitur propitiatorium, quatenus confert offerenti augmentum gratiæ, & auxilii ejusdem, nisi ponatur obex ad contritionem, & amorem Dei super omnia eliciendum, & etiam secundum se, ex D. Thom. in 4. dist. 12. q. 1. ad 1. delet venialia ex consequenti. Dicitur impetratorium, quia impetrat nobis a Deo beneficia spiritualia, & temporalia; & licet non semper Deus succurrat nostris necessitatibus, pro quibus oratur in Missa, hoc ideo fit, quia non semper expedit animarum saluti sic præsto esse. Dicitur satisfactorium, quia satisfacit pro pœna debita in Purgatorio pro peccatis mortalibus, & venialibus deletis per gratiam quoad culpam, non quoad totam rationem pœnæ. Hinc effectus Sacrificii Missæ sunt etiam tres, primus scilicet augere gratiam, secundus impetrare quæ petimus, tertius satisfacere pro peccatis: ibi autem effectus magis, vel minus communicantur, juxta mensuram devotionis, & dispositionis sanctæ, in qua reperitur Sacerdos.

SECTIO IV.

De offerente Sacrificium Missæ.

1. Quot sunt offerentes Sacrificium Missæ?

Resp. Tres; nam primus offerens est Christus, qui sempiternum habet Sacerdotium; secundus est Sacerdos; tertius sunt, qui dederunt eleemosynam pro Sacrificio, qui offerunt etiam ipsi per Sacerdotem sacrificantem, relate ad quos in Canone dicitur: *Vel offerunt*: demum adstantes omnes.

2. Quales sunt dispositiones requisitæ ex parte Sacerdotis offerentis ad Sacrificium fructuose offerendum?

Resp. Ex parte corporis debet esse jejunus; ex parte animæ debet esse rite ordinatus, non suspensus, non excommunicatus, non irregularis, non cum conscientia alicujus lethalis, & demum cum intentione celebrandi, sine quibus dispositionibus peccat mortaliter offerens Sacrificium, & si non sit rite ordinatus, nec valide, nec licite offert, ut etiam si non habeat saltem virtualem intentionem celebrandi. Præterea debet præparare se aliquibus precibus ad celebrandum, & ad colligendum animum pro reverentia tanti Sacrificii, & postea gratias agere: insuper antea recitare Matutinum illius diei: quæ tamen, cum sint sub consilio, non sub præcepto, ad peccatum mortale non obligant, nisi forte ratione scandali. Celebrare ante Matutinum recitatum, ab aliquibus notatur sub mortali; plerique dicunt, sine causa esse tantum veniale; quod existimo magis probabile, cum nullibi reperiatur tam grave præceptum sub comminatione mortis æternæ. Causa sufficiens esse potest necessitas studendi, scribendi, aut aliud simile exercitium Clericis decens & licitum, & multo magis officium pietatis erga proximum exercendum, puta visitare infirmum, illi inservire, catechizare ignorantem, vel quid simile; quæ opera sunt optimæ dispositiones, & præparationes ad celebrandum.

3. Quando quis est in lethali, peccatne semper mortaliter, si celebraret?

Resp. Si urgeat necessitas, & non sit copia Confessarii, tunc tenetur actum contritionis procurare, antequam celebret, & sic excusabitur a culpa. Ne tamen plures, quam par est, extendantur hujusmodi excusationes, placet hic cum Alario casus necessitatis ex defectu copiæ Confessarii explicare.

4. Casum ergo necessitatis intellige, primo, si immineat periculum vitæ Sacerdoti celebraturo, vel alteri per Viaticum communicando, pro quo non

adsint

adsint particulæ consecratæ; secundo, si non possit omittere Sacrificium Missæ sine gravi infamia, aut scandalo, quæ aliter nequeant evitari: tertio, necessitas absolvendi Sacrificium Missæ alterius Sacerdotis, qui peracta consecratione Corporis, morte, aut gravi infirmitate corripiatur, itaut Missam complere nequeat; quarto, quando quis jam Altari admotus recordatur peccati lethalis antecedenter obliti, & non confessi: quinto, cum tenetur ex officio celebrare, ut frequenter accidit in parvis plebiculis, ubi si quis die festo non celebraret, plures rustici Missam non audirent, & murmurarent de Sacerdote non celebrante. Addit insuper Alarius sententiam alicujus, quæ tantam probabilitatem non habet, sicut cæteri casus relati, scilicet cum nuper decessit anima probabiliter: indigens Sacrificio, aut si tantus sit fervor peccatoris, ut speret ex hujusmodi sumptione se maxime adjuvandum contra peccatum.

5. Copia Confessarii tunc dicitur deesse: primo, cum quis loqui non potest, aut eo saltem idiomate, quo a Confessario intelligatur, neque peccatum suum aliquo signo externo potest exprimere: secundo, cum quis rationabiliter & prudenter timet eum Sacerdotem, qui solus adest, non servaturum secretum, aut audita Confessione, gravem injuriam, vel damnum illi, aut proximo suo illaturum. Advertendum tamen, quod si hujusmodi pœnitens habeat alia mortalia, ex quorum Confessione nullum timeat damnum, tenetur illa subjicere, reticendo illud, unde adest probabile periculum, vel revelationis, vel damni. Tertio, cum quis habet peccatum reservatum Superiori, quem adire non potest, nec facultatem petere; tenetur tamen reservatum cum non reservatis confiteri, ut ab illo indirecte absolvatur, cum onere iterum confitendi apud habentem auctoritatem: quarto, quando adest tantum Sacerdos non approbatus, aut excommunicatus, aut similibus pœnis irretitus.

6. Quod, & quotuples peccatum committit celebrans in lethali?

Resp. Peccatum sacrilegii propter gravem injuriam, quam infert rei sacratissimæ. Circa ly *quotuplex*, res est controversa; alii enim putant esse unicum, sed gravissimum, & tribus æquivalens; alii esse triplex, quia conficit Sacramentum in lethali, sibi ministrat in lethali, & sumit in lethali: primi volunt esse unicum, quia est unica actio realis habens malitiam oppositam unicæ virtuti tantum, scilicet Religioni. Tu tene pro libito, & cave, ne sive unicum, sive triplex committas, qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.

7. Quamnam obligationem habet Sacerdos, qui celebravit in lethali in casu necessitatis deficiente copia Confessarii?

Resp. Obligatur a Concilio Tridentino ad confitendum quamprimum: ly *quamprimum* in iis, qui quotidie celebrant, sufficienter salvatur, si ante aliam Missam crastinam confiteantur, in aliis vero, cum se offert prima occasio confitendi: & adverte, quod eam etiam cum aliquo incommodo procurare tenetur intra unam, val alteram diem; si enim dilatio fiat per tres, aut plures dies, quomodo obediunt præcepto confitendi quamprimum.

8. Quænam intentio requiritur in Sacerdote ad consecrandum?

Resp. Ex Homobono, debet habere intentionem faciendi id, quod intendit Ecclesia, scilicet saltem virtualem, ut dixi in capite de Sacramentis in genere: sufficiet ergo, quod mane celebraturus eadem die hanc intentionem actualem eliciat, vel cum Sacristiam ingreditur, & præparat se. Unde si immediate ante consecrationem non renovet intentionem, quod tamen fieri debet, adhuc tota materia præsens & oblata, quam Ecclesia intendit consecrare, erit consecrata. Quod hæc intentio requiratur, habetur ex Concilio Tridentino *sess.* 7. *de Sacramentis in genere c.* 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem faciendi id quod facit Ecclesia, anathema sit.*

9. Si Sacerdos putans se detulisse ad Altare consecran-

ſecrandam unam hoſtiam, poſtea præ manibus habeat duas, eritne utraque conſecrata?

Reſp. Si habuit animum conſecrandi juxta ritum Eccleſiæ, utraque eſt conſecrata; ſi intendit unam tantum conſecrare, neutra eſt conſecrata: hæc tamen intentio adeo ſtricta habenda non eſt. Item ſi plures hoſtias ad Altare detulit conſecrandas, & in actuali conſecratione unius tantum recordetur, omnes ſunt conſecratæ; ſi autem ejus intentio tunc renovata, determinata ſit, puta, ad decem tantum, quod tamen faciendum non eſt, & deprehendantur undecim, nulla eſt conſecrata, quia effectus conſecrationis ſequitur intentionem conſecrantis, cum autem in hoc caſu nulla ſit determinata intentio, nulla etiam eſt conſecratio.

10. Si quis peracta conſecratione dubitet aliquid formæ ſubſtantialis omiſiſſe, quid facere debet?

Reſp. Si certo ſciat ſe omiſiſſe, repetere debet verba conſecrationis: ſi probabiliter dubitet, debet repetere ſub conditione, ſcilicet, ſi materia non eſt conſecrata, denuo intendo conſecrare; ſi autem dubium probabile non ſit, ſed ſcrupulus; debet illud ponere, & Miſſam proſequi. Ita Homobonus; ſicuti etiam abjicienda eſt illa dubitatio, qua quis ſine expreſſa & manifeſta ratione credit ſe non eſſe ordinatum.

11. Valor Sacrificii Miſſæ eſtne finitus, vel infinitus?

Reſp. Ex parte Hoſtiæ, quæ offertur, quæ ſcilicet eſt Corpus, & Sanguis Chriſti, propter unionem ad Verbum, & ex parte principalis offerentis, qui eſt Chriſtus, infinitus eſt; atque ita Deus per hoc Sacrificium infinito honore afficitur. Videtur tamen eſſe voluntas Chriſti, ut ad certum, finitum, & limitatum effectum producendum ſit inſtitutum. Quod patet etiam ex uſu Eccleſiæ a Deo illuminatæ, quæ pro eadem re plura offert Sacrificia; hæc autem repetenda non forent, ſi unum Sacrificium produceret infinitum effectum.

12. Quotuplex eſt Miſſæ valor?

Resp. Triplex est: valor generalis, qui toti Ecclesiæ debetur, valor specialis, qui celebranti est debitus; & valor medius, applicabilis illi, pro quo offertur Sacrificium. Sacerdos abdicare non potest neque valorem Ecclesiæ, quia supra Ecclesiæ thesaurum potestatem non habet: nec valorem proprium, quia iste cum sit fructus personalis, vel illi prodest, vel nulli; potest ergo solum disponere de fructu medio pro iis, de quibus dicemus in sequenti Sectione,

13. Quomodo percipitur iste valor?

Resp. Dupliciter, scilicet ex opere operato, & ex opere operantis: primus valor correspondet meritis Christi, & distribuitur ejus quantitas juxta institutionem factam a Christo; valor ex opere operantis correspondet fervori, & precibus peculiaribus, quas dicit Sacerdos nomine proprio, ut puta orationes, *Memento*, & similia.

14. Sacrificium oblatum per Sacerdotem perversum estne æqualis valoris cum eo, quod per bonum & probum offertur?

Resp. Quantum ad valorem ex opere operato est æqualis; hic enim dependet a Christo, non a dispositione Sacerdotis; quantum ad valorem ex opere operantis, est inæqualis; hic enim dependet a fervore, & dispositione Sacerdotis. Valor ergo ex opere operato est valor ex re oblata: valor ex opere operantis est valor ex actibus Sacerdotis.

15. Quomodo differt in Missa Sacramentum a Sacrificio?

Resp. Differt per hoc, quod Sacramentum sit signum rei sacræ, quam vel in se continet, qui usu efficit; Sacramentum autem Eucharistiæ tria significat, unum de præterito, scilicet Christi passionem, & mortem; alterum de præsenti, scilicet gratiam, & Corpus Christi: alterum de futuro, scilicet pignus vitæ æternæ; ita Homobonus. Sacrificium, cum sit actus latriæ, quo offertur aliquid Deo, & destruitur in protestationem sui supremi dominii, de se non importat significare rem sacram. Hinc in

Pyxi-

Pyxide; cum conservatur Eucharistia, ibi remanet ut Sacramentum, non ut Sacrificium, & tantus apparatus indumenti sacri, & tot cæremoniæ in Missa referuntur ad Eucharistiam ut Sacrificium, non ut Sacramentum. Hinc etiam in Eucharistia, ut Sacramentum est, consideratur Sacramentum tantum, & sunt species Panis, & Vini, quæ significant tantum, & non significantur; res tantum, quæ significatur, & non significat, est gratia, res, & Sacramentum simul, & est Corpus Christi, quod significatur a speciebus, & significat gratiam Sacramentalem, quam causat.

16. Teneturne quis aliquando celebrare?

Resp. Extra casum necessitatis, puta, dandi Viaticum morituro, in quo utique, ne tanto bono fraudet proximum, tenetur saltem ex charitate celebrare; tenetur etiam sub lethali celerare ter, vel quater in anno. Ita Homobonus. Tamburinus eum excusat a lethali, si communicet in Paschate.

17. Præterea, ex Suarez, peccant mortaliter Rectores Ecclesiarum, si in eorum Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis aut Conventualibus, ubi est competens Sacerdotum numerus, non curent, ut quotidie celebretur una saltem Missa privata, & altera cantata. Tamburinus docet non esse lethale, alterutram omittere semel, vel bis in hebdomada; quod intelligendum est, ubi non extat specialis obligatio. Item monet Abbas, quod in feriis Quadragesimæ, & in vigiliis, quando duplex Missa cantari debet, una de Sancto, & altera de feria, si semel omittatur Missa de feria, mortale non erit.

18. Potestne aliquando Missa dimidiari?

Resp. Ex Homobono, Missa in tres partes dividitur, prima usque ad offertorium, & est Sacerdotis, & Populi Præparatio ad tanti celebrationem mysterii: secunda ab offertorio usque ad sumptionem, quæ Sacrificii consummationem continet: tertia a sumptione usque ad finem, & est gratiarum actio. Inter primam & secundam partem posse mediare fidei concionem, usus Ecclesiæ comprobat; sicque etiam

pro Ordinibus conferendis: sed dubium est, utrum liceat Sacerdoti, qui consecravit, ante sumptionem Sacrum interrumpere, ut audiat confessionem Infirmi morituri, de quo dubitatur, quod post Missam tempus Confessionis non supersit. Dico ergo cum Homobono *tr.* 4. *c.* 21. *q.* 97. posse interrumpere, etiamsi non sit Parochus, & illi opem ferre in puncto, a quo dependet æternitas. Item pro ministranda Extrema Unctione, quando aliud Sacramentum subito sensibus destituto conferri nequit. Citat etiam pro se Henriquez, volentem posse interrumpi pro baptizando puero morti proximo, hoc tamen intellige, si non subsit alius qui ministrare sciat. Probat hoc a fortiori; sicut pro urgenti corporis necessitate quis nequit non interrumpere, multo magis pro necessitate animæ. Adverte tamen, quod in similibus casibus debet quis relinquere virum probum qui custodiat Eucharistiam, ne aliqua afficiatur injuria.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

AB ALEXANDRO VIII.

39. Illa particula, *Quamprimum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

SECTIO V.

De Persona, cui, & pro qua offertur Sacrificium Missæ.

1. Cuinam offerendum est Sacrificium?

Resp. Soli Deo; est enim actus latriæ debitus uni & soli Deo Creatori, & Gubernatori rerum omnium. Hinc licet in memoriam & honorem Sanctorum Ecclesia consueverit Missam celebrare, non tamen illis offert Sacrificium, sed soli Deo, qui illos coronavit; & ideo nunquam dicitur; Offero tibi Sancte Petre: sed solum imploratur Patro-

ciniun

cinium Sanctorum, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Sicuti soli Deo eriguntur templa, quæ tamen dicuntur Ecclesia Sancti Petri, vel Pauli, non quia ipsis erigatur, sed quia ibi patrocinium eorum imploratur pro nobis ad Deum.

22. Pro quonam applicare potest Sacerdos Sacrificium?

Resp. Pro se ipso, & aliis, qui capaces sunt fructus Sacrificii Missæ, sive vivis, sive mortuis; Apostolus enim monet hoc esse Sacerdotis ministerium, ut quemadmodum pro Populo, ita pro semetipso offerre debeat pro peccatis.

3. Hinc primo, Sacerdos applicare nequit Missæ Sacrificium pro excommunicato excommunicatione majori, si publice denuntiatus sit: sed potest solum pro eo privatim orare in Memento, ut resipiscat. Si autem publice, & nominatim denuntiatus non sit, potest pro eo applicare Sacrificium, & eleemosynam accipere, ut sentit Homobonus, citans plures hic de Sacrificio Missæ. Neque improbabile puto, quod Sayrus docet *de censuris lib. 2. c. 4.* quod si Sacerdos videat excommunicatum contritum, & paratum Ecclesiæ satisfacere, cum in hoc statu debeat eum probabiliter censere justum, & capacem recipiendi fructum Sacrificii, potest etiam ab ipso eleemosynam accipere, & pro eo directe celebrare.

4. Hinc secundo, neque potest Sacerdos directe & valide offerre Sacrificium pro non baptizatis, quamvis Catechumenis; quia cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum, antecedenter ad ipsum quis est incapax fructus Sacramentalis ex opere operato, sicque etiam, fructus Sacrificii; indirecte tamen potest pro Catechumenis Sacrificium offerre, scilicet, directe offerendo pro dilatatione Ecclesiæ Catholicæ, ex qua directa oblatione indirecte redundat fructus in nondum baptizatos.

5. Hinc tertio, non potest offerri Sacrificium pro damnatis, vel pro pueris existentibus in Limbo,

quia capaces non sunt fructus Sacrificii ratione status, in quo degunt. Nec juvat adducere verba Ecclesiæ, quæ in Missa Defunctorum habentur; *Ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, & insuper in officio Defunctorum: *A porta inferi erue Domine animas eorum*; nam, ut docet Homobonus, nomine Tartari, & Inferi intelligitur purgatorium; vel ut docent alii, Ecclesia in dicta oratione refert intentionem suam ad animam existentem ante Tribunal Dei, & orat Deum, ne absorbeat eam Tartarus; & hoc est juxta stylum Ecclesiæ, quæ retrotrahit intentionem suam ad præterita, veluti si essent præsentia: ut cum in die Nativitatis sibi repræsentat Jesum adhuc Puerum, in Passione morientem, & in Ascensione ascendentem ad Cœlum.

6. Hinc quarto, Sacrificium offerri nequit pro Beatis; scilicet, ut augeatur eorum gloria, quæ mutari non potest, bene tamen potest offerri Deo tum gratias agendo pro beatitudine ipsis collata, tum in honorem & gloriam Beatorum, quod quotidie fit in offertorio Missæ.

7. Quandonam quis debet applicare Sacrificium Missæ?

Resp. Ante consecrationem, quæ est pars essentialis Sacrificii; quæ applicatio fieri potest etiam vespere a mane sacrificaturo, & durat, si non fuerit retractata, si autem quis obliviscatur applicare, valor Sacrificii remanet in Thesauro Ecclesiæ, vel ut volunt alii, cedit Sacerdoti, vel illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, quia ita censetur intendisse nulli applicans, ut volunt de Lugo & Layman, qui idem dicendum putant de eo, qui applicat pro incapace, quem nescit esse talem.

8. Valetne applicatio facta sub conditione?

Resp. Sub conditione de futuro non valet: quia fructus Sacrificii nequit remanere suspensus, & pendulus: sub conditione de præterito valet, puta, Offero juxta intentionem, quam habuit Superior. Non valet ergo applicatio pro eo, qui primo eleemosynam dabit, vel qui primo morietur; nec valet

appli-

applicatio per anticipationem, v. gr. qui habuit eleemosynam pro dicenda Missa pro Titio, cum mortuus fuerit, anticipat Missas, dum adhuc est vivus: valet tamen, si post ejus mortem, licet ante mortis promulgationem.

9. Quandonam quis tenetur Missam applicare pro aliis?

Resp. Ex Decreto Congregationis Concilii emanato Romæ die decima Maji 1681. Parochi tenentur pro Parochianis Sacrificium applicare; atque ea cum distinctione, si reditus pingues sint, singulis diebus: si vero tenues, saltem diebus festivis. Missa Cantata in Collegiatis, & Missa Conventualis in Monasteriis de se non est necesse, ut applicetur pro Populo, nisi adsit legatum, vel consuetudo eam applicandi; hæc tamen consuetudo, advertit Diana, ubi non est, neque est introducenda, ne facile defraudetur jus sacrificantis. Sacerdotes, qui ordinantur cum Episcopo celebrante; secundum Meratium a Diana citatum, singuli Missam applicare possunt, cui voluerunt, quia singuli secundum se sunt vera causa totius Sacrificii independenter ab alia, ac se habent veluti si unus solus offerret. Gavantus tenet omnes Sacerdotes obligatos esse in solemnitate omnium Defunctorum applicare Missam pro omnibus Defunctis. Contrarium docet Tamburinus citatus a Busembau; qui tamen monet hoc esse contra praxim.

10. In Regularibus, si Sacerdos particularis applicat contra intentionem Superioris, cujusnam tenet applicatio?

Resp. Sacrificii valor cadit juxta intentionem particularis Sacerdotis applicantis; quia applicatio est actus potestatis Sacerdotis, quæ unicuique addicta est; peccat tamen mortaliter Religiosus; ita Layman, Diana, de Lugo, &c.

11. Estne licitum aliquid dare, vel accipere pro Missæ celebratione, & ejusdem oblatione?

Resp. Cum Homobono, non est licitum accipere aliquid tanquam Sacrificii pretium, hoc enim esset simo-

simonia; sed solum pro sustentatione, & eleemosyna celebrantis, juxta Ecclesiæ ordinationem, & approbatam locorum consuetudinem. Potest etiam Sacerdos dives pro Missa eleemosynam accipere; hæc enim datur pro labore, & opere, quam quis, sive dives, sive pauper, exercere non tenetur. Hinc Concilium Tridentinum sess. 22. jubet, ut Episcopi ad tollendam avaritiæ, vel turpis quæstus suspicionem, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis dicendis datur, nec non illiberales eleemosynarum exactiones, & alia, quæ a simoniaca labe, vel a turpi quæstu non longe absunt, prohibeant.

12. Quomodo se gerere debet Sacerdos, qui eleemosynas pro Missarum celebratione suscepit?

Resp. Stantibus continuis Sacræ Congregationis Decretis, necnon Summorum Pontificum Bullis contra quæstus & avaritiæ notam in hac reclamantibus sub comminatione divini judicii, non potest Sacerdos sub aliquo prætextu uti quorundam sententiis, quibus, cum ignota fuerint eorum Decreta, aliquid contra ipsorum tenorem docuere.

13. Hinc debet Sacerdos ex justitia celebrare pro iis, pro quibus accepit eleemosynam; & absolute tot Missas celebrare, quot ad rationem stipendii traditi præscriptæ fuerint. Non potest ergo Sacerdos unica Missa satisfacere pro pluribus stipendiis parvis, ad rationem justi & integri stipendii computatis, etiamsi paupertate coactus modica illa stipendia acceptaverit, sed debet tot Missas dicere, quot promisit, quia Decretum absolute loquitur, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & id multo minus pro pluribus stipendiis integris, ut sustentet se frugaliter, vel ut libros necessarios ad munus Sacerdotale obeundum emat. Neque potest accipere duo stipendia pro Missa diei festi. Non potest Sacerdos accipiens stipendium pingue liberaliter traditum, dare alteri tenue, vel justum, ut eandem Missam applicet; hoc enim est vilem mercaturam facere de celebratione Missarum, & est prohibitum a Sacra Congrega-

gregatione. Non tamen eodem modo judicarem de eo, qui pinguiorem eleemosynam exigeret pro Missa dicenda in Capella sylvestri a Civitate distante: juste enim pro majori incommodo, & labore majori, majorem exigit mercedem.

14. Cappellanus potestne Missas, quas cum pingui stipendio Capellaniæ debet celebrare, committere alteri, qui minori pretio illis satisfaciat?

Resp. Ex Diana, qui dicit hoc declaratum a Sacra Congregatione; potest, quia stipendium affixum Capellaniæ non est pro sola Missa celebranda.

15. Si amicus det stipendium Missæ pinguius intuitu personæ, & ex ejusdem benevolentia, potestne satisfacere per alium minori eleemosyna?

Resp. Cum Diana *p.* 2. *tom.* 24. cum distinctione: si pinguius stipendium detur tantum in eleemosynam Sacrificii, non potest; si detur tantum ex benevolentia personæ, potest. Signum dignoscendi, utrum detur intuitu Sacrificii, est cum quis est solitus indifferenter Sacerdoti etiam incognito pinguius stipendium dare.

16. Potestne Sacerdos retinere partem pinguioris eleemosynæ respectu illius personæ, quæ scit se pinguiorem eleemosynam habuisse, & retinere partem illius?

Resp. Cum Homobono, si amicus libenti animo hanc partem stipendii relinquat, potest retinere; sicuti enim gratis potest pro obligatione alterius celebrare, quare non pro modico stipendio? si autem amicus sit pauper, & hoc quod videtur facere ex amicitia, considerato intimius animo, faciat ex paupertate, quia mavult celebrare cum modico quam cum nullo stipendio, hoc facere non potest.

17. Capellanus ex Capellania obligatus ad quotidie celebrandum, potestne quandoque omittere?

Resp. Si institutio Missæ dirigatur ad Sacerdotem, ut verbi gratia eligatur Capellanus, qui quotidie celebret in tali Ecclesia, tunc quandoque honestatis & decentiæ gratia potest sine læsione justitiæ celebrationem omittere; si vero institutio dirigatur ad locum,

cum, v. g. celebretur quotidie Missa in tali Ecclesia, tunc cum hoc præstare possit per alium, tenetur hoc facere, ut voluntatem Testatoris adimpleat; ita Homobonus *tract.* 2. *c.* 13. *q.* 122.

18. Quid si Capellanus ægrotaret per octo, vel decem dies, teneturne eodem modo satisfacere per alium?

Resp. Ex Homobono, negative, quia etiam famulo ægrotanti per octo, vel decem dies currit stipendium, & dominus de jure alimenta subministrare tenetur; si autem ægrotaret ad longius tempus, teneretur per alium satisfacere.

19. Poteftne semper Capellanus celebrare per alium?

Resp. Ex Homobono ibidem, si aliter in Capellaniæ institutione cautum non sit ab instituente, scilicet, quod Capellanus per se celebret, poterit, quantum spectat ad jus commune, celebrare per alium; Capellania enim per se non est Beneficium Sacerdotale, sed potest provideri de simplici Clerico annorum quatuordecim.

20. Obligatus a dante eleemosynam ad celebrandum in tali Altari, ad dicendam talem Missam votivam, vel de Requie, satisfacitne celebrando in alio Altari, vel aliam Missam dicendo?

Resp. Quoad Capellanum talis Sacelli, peccat mortaliter, si sæpius extra illud celebret; fraudat enim in re gravi mentem Testatoris; dixi, sæpe, si enim ter, vel quater in anno hoc faceret, ratione parvitatis materiæ, non faceret gravem injuriam Testatori. Pariter peccat mortaliter, qui eleemosynam accipit, ut celebret in Altari privilegiato, & ibi non celebrat. Quantum ad alia Altaria non privilegiata, res non videtur adeo gravis, peccaret tantum venialiter, & non teneretur ad restitutionem, nisi aliquod suffragium subtraheret Defunctis, ratione majoris frequentiæ astantium Missæ, quod posset privatis precibus compensare; ita Diana. Quoad talem Missam votivam, vel de Requie, dico quod satisfacit quis per aliam Missam, quia omnes sunt ejusdem valoris:

loris: hinc nihil tenetur restituere: nihilominus peccat venialiter, quia mentitur, & promissis non stat.

21. Qui eleemosynam accepit, ut triginta Missas Divi Gregorii celebret pro Defuncto, satisfacitne, si eas celebret, non continuo, sed per saltum?

Resp. Ex Gavanto, non satisfacit, quia Missæ sic discontinuatæ non integrant institutionem Divi Gregorii, plures alii apud Dianam contrarium tenent.

22. Missa in Altari Privilegiato, quæ non sit de Requie, reportatne Indulgentiarum indultum?

Resp. Negative: ita enim declaravit Sacra Congregatio in una Toletana, ut refert Diana.

23. Qui sine eleemosyna alteri promisit, Missam secundum ejus intentionem celebrare, estne obligatus eam dicere?

Resp. Si promisit animo se obligandi, tenetur; & si deficit, cum res gravis sit, peccat mortaliter; neque una Missa potest satisfacere pluribus, quibus gratis promisit. Hoc mihi videtur conformius ad dicta, cum promissio voluntaria obliget ex justitia, sicuti stipendium. Contrarium tamen sustinet Sanchez citatus a Busembau.

24. An peccet mortaliter Sacerdos, qui differt ad longum tempus Missarum satisfactionem eo, quia lucri gratia se plurimorum Sacrificiorum oneribus gravat?

Resp. Nullatenus in dubium verti potest, cum hoc certissimum sit apud omnes: sed difficultas est in explicando ly ad longum tempus; alii enim assignant pro longo tempore menses sex: alii menses tres; alii vero ex Decreto Congregationis bimestre, ultra quod tempus Sacerdos onerans se obligatione Missarum ex eleemosyna peccet mortaliter, & hoc ultimum tanquam certum sustineri debet: nisi tamen qui eleemosynam dat, aliter intendat; ut v. g. qui dat uni Sacerdoti Missas centum celebrandas, certe ulterius spatium assignet; & tunc cum volenti & consentienti nulla fiat injuria, potest hic se tanto pondere onerare. Quæ hic desunt, ex sententiis damnatis inferius positis facile colliguntur.

Pro-

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimi fructus, ipsimet celebranti correspondentem: hocque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam contra fidelitatem, etiam si promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

SECTIO VI.

De modo celebrandi, & offerendi.

1. A Quonam tempore incipit facultas licite celebrandi?

Resp. Ordinarie loquendo, ab aurora, id est una hora cum dimidio ante ortum Solis, usque ad medium diem circumcirciter; exceptis locis & personis privilegiatis, quibus licitum est celebrare juxta tenorem privilegii. Dixi, ordinarie loquendo, quia Missa Nativitatis mediæ noctis potest eo tempore celebrari, ut saltem consecratio non fiat ante mediam noctem: duæ autem aliæ Missæ nequeunt successive post Missam cantatam celebrari, neque in iis Communio administrari fidelibus, juxta Decretum Congregationis de anno 1653. die 9. Augusti.

2. In necessitate autem, ex causa justa, & rationabili, puta, ob processionem publicam, vel concio-

nem

nem ultra meridiem protractam; vel ut morituro detur Viaticum, vel ubi est mos rationabilis, ut itinerantes, vel opifices, & famuli summo mane possint audire Sacrum, potest ad horam anticipari: in his casibus ergo poterit attendi consuetudo, nec necesse erit ita adamussim reflectere ad tempus. Graviter igitur peccat, qui sine altera ex istis, vel similibus causis, vel citius mane, vel serius post meridiem Missam celebrat: Auctores vero, alii quadrantis, alii mediæ horæ, alii ut Bonacina trium quadrantium; alii horæ integræ spatium, ut Silvius, exigunt in excessu, ut Sacerdos mortaliter peccet. Diana putat Religiosos ex suis privilegiis posse celebrare usque ad tres horas post meridiem, quod tamen ego non approbo, neque ulli est in usu tantum protrahere.

3. Quibusnam diebus licitum est celebrare?

Resp. Si quis sit bene dispositus, singulis diebus, præterquam feria sexta in Parasceve; quoad feriam quintam in Cœna Domini Sacra Congregatio in una *Neapolitana sub die 24. Junii 1659.*

Resp. Non licere celebrare in Ecclesiis, in quibus non servatur Sanctissimum Sacramentum. Communiter sentiunt Doctores, privatim posse fieri; sed consultius est, immo mihi videtur necessarium abstinere, non obstante quacunque consuetudine in contrarium; & multo magis in Sabbato Sancto, propter Decretum emanatum a Sacra Congregatione sub die undecima Martii de anno 1690. Ubi post Decretum translationis festi Annuntiationis habentur hæc verba: *Firmo in reliquis remanente prædicto Decreto edito die 11. Februarii, nempe quod in Sabbato Sancto celebrationes Missarum privatarum omnino prohibeantur in quibuscunque Ecclesiis, & Oratoriis privatis, non obstante quacunque contraria consuetudine, & unica tantum Missa Conventualis una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur.*

14. Quonam in loco licet celebrare?

Resp. Ordinarie loquendo non potest celebrari, nisi in Ecclesia consecrata, vel ad minus benedicta, nisi sit interdicta, vel violata per injustam sanguinis effu-

effusionem, vel per illicitam, & publicam feminis humani effusionem, sive in qua excommunicatus non toleratus, aut infidelis maneat sepultus. Si violatio contingat, dum Sacerdos celebrat, si hic jam sit post inceptum Canonem, absolvat Sacrum usque ad consummationem inclusive, & reliqua perficiat in Sacristia; si vero antea, recedat ab Altari. Qui in Ecclesia non benedicta, vel interdicta, vel violata scienter celebrat, peccat mortaliter.

5. Dixi, ordinarie loquendo, quia de licentia Papæ ex privilegio licet etiam in Oratoriis, vel Altaribus, & Sacellis privatis, & in casu necessitatis in quovis loco decente Terræ ex licentia Episcopi, ut docet Diana contra Gavantum, qui tenet hanc potestatem fuisse sublatam a C. Trid. sect. 12. In mari autem in quocunque casu requiritur licentia Papæ.

6. Quomodo, & qualiter debet esse Altare, super quod quis celebrat?

Resp. Nisi Altare totum consecratum sit, sicuti ordinarie non est, debet super illud poni aliud Altare lapideum consecratum, vulgo dictum Petra Sacrata, & super ipsum fit Sacrificium: qui sine hoc sacrificat, peccat mortaliter. Debet insuper Altare esse coopertum triplici, vel saltem duplici mappa, cum Cruce, & duplici candela accensa, & missali, in quo saltem sit integer Canon, si alia perfecta memoria retineat: quod tamen facile admittendum non est. Non est necesse, ut mappæ sint benedictæ. In gravissima necessitate, quæ apud nos vix poterit inveniri in tanta Ecclesiæ tranquillitate, posset celebrari cum una mappa tantum, & lumine uno. Porro Altare, seu Petra Sacra debet esse capax simul Calicis, & Hostiæ, quia se habent ad modum unius victimæ: & si particulæ consecrandæ sint, debent esse in eadem.

7. Quænam Vestes, & Vasa requiruntur ad licite celebrandum?

Resp. Requiruntur sub lethali Calix, & Patena ex auro, vel argento, vel stamno, consecrata ab Episcopo. Requiritur etiam Corporale, & Palla con-

consecrata. Si autem Corporale valde immundum sit, & indecens, consecrantem peccare mortaliter censet Gavantus. Insuper sacræ Vestes benedictæ; scilicet Amictus, Alba, quæ debent esse linea: Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, quæ debent esse lanea, vel serica: Cingulum potest esse, vel lineum, vel sericum, vel laneum. Hæc omnia sine lethali omitti non possunt. Si autem omittatur aliquid ex minoribus, puta, vel Cingulum, vel Manipulus, non esset tam grave peccatum in casu gravis necessitatis. Iste autem casus facile hisce temporibus admitti non debet.

8. Requiriturne sub lethali minister, qui inserviat?

Resp. Ex Homobono, Affirmative; & iste debet esse masculus: in necessitate tamen gravi, puta die festi, vel dandi Viaticum, posse Sacerdotem sibi respondere in defectu ministri, docet Busembau ex Bonacina, Diana, & aliis: in quo casu docent alii fœminam posse respondere, non tamen ad Altare accedere, ut ministret ampullas, & alia, quæ opus sunt. De Lugo cum Tamburino monet non esse prohibitum Monialibus de Choro respondere, & etiam permittunt celebrantem prosequi Missam sine ministro qui abierit, & aliquantulum expectatus non redeat.

9. Suntne sub lethali servandæ Rubricæ.

Resp. Si in universum, vel ex ignorantia culpabili, vel ex malitia quis non se conformet Rubricis Missalis, peccat mortaliter. Parvitas autem materiæ eum excusat a lethali, ut v. g. si omitteret nomen alicujus Sancti ex aliquali negligentia, vel inadvertentia in Canone, vel temporibus solemnibus ea, quæ habentur propria in Communicantes, aut extra Canonem, si omittat commemorationem alicujus Sancti, vel Gloria, aut Credo, aut quid simile: ut advertit ex Filiucio Panormitanus. Si quis proprio marte adderet novas preces, aut cæremonias notabiles; nisi excusaretur ab ignorantia, peccaret lethaliter. Nec admitto piam illam orationem, quæ inter unam consecrationem, & aliam a nonnullis dicitur,

Ado-

Adoramus te Christe &c. Non est tamen censendum peccatum, legere voce submissa, quæ alta voce dicenda sunt; cum ut notat Tamburinus, passim a timoratis viris hoc fiat.

10. Estne peccatum lethale unam Missam pro alia dicere, cum hoc prohibeatur a Rubrica, puta dicere votivam die Dominica, vel in festo duplici, vel infra Octavam privilegiatam?

Resp. Scienter hoc facere est lethale, sicuti & omittere *Passio* in die Palmarum; valde enim temerarie se gerit in re gravi, qui se non accommodat præscriptis Ecclesiæ, quæ de consilio cum non sint, censenda sunt de præcepto.

11. Primo celebrans sine notitia Rubricarum, vel cæremoniarum, vel nesciens quomodo suppleri debeant defectus obvii in Missa, peccatne?

Resp. Peccat lethaliter, quia exponit se periculo errandi in materia adeo gravi, qualis est Missæ Sacrificium.

CAPUT VII.

De Extrema Unctione.

1. QUid est Extrema Unctio?

Resp. Est Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam salutem animæ, vel etiam corpori ægroto periclitanti, per Unctiones olei benedicti, & orationem Sacerdotis: ita D. Thomas.

2. Quænam est materia Extremæ Unctionis?

Resp. Materia remota hujus Sacramenti est Oleum benedictum ab Episcopo, eodem anno renovatum, veteri combusto. Si tamen novum ad longinquas Diœcesis partes adhuc non pervenit, utendum Oleo anni antecedentis, juxta Layman. Materia proxima est inunctio quinque sensuum, vel si isti mutilati sint, vicinarum partium. Aliæ autem duæ unctiones in renibus, & in pedibus, quæ ex decentia omitti debent in fœminis, non sunt de necessitate Sacramenti: sicuti

ſicuti neque unctio ad modum Crucis, neque invocatio Trinitatis. Quidam Doctores cenſent unam unctionem tantum eſſe de eſſentia Sacramenti: extra tamen caſum neceſſitatis omnes partes inungendæ ſunt juxta Rituale Romanum; neque eſt de eſſentia, quod unctio immediate fiat per manus Sacerdotis; ſed graſſante peſte poteſt uti virga oblonga tincta oleo, ut docet Diana, quæ poſtea comburenda eſt.

3. Quænam eſt forma hujus Sacramenti?

Reſp. Sunt verba illa prolata a Sacerdote: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per viſum deliquiſti, Amen*: & ſic in aliis partibus mutato ly *viſum* in verbum exprimens ſenſum inunctum, ſcilicet, quidquid per auditum in auribus, &c. ſic ad reliqua. In lumbis tamen alii dicunt, per delectationem in renibus; alii per ardorem libidinis. Vitanda eſt additio, detractio, & mutatio verborum formæ; & ſi aliqua mutatio ſubſtantialis fiat in illa, Sacramentum erit irritum. Formam hanc deprecativam eſſe debere docent communiter Doctores, fundati ſuper auctoritate S. Jacobi, qui dicit, *Orent ſuper eum*. Hinc ſi quis mutet formam deprecativam in abſolutam, dicendo, Abſolvat Deus, irritum erit Sacramentum; ſi autem loco indulgeat, quis dicat, parcat, condonet, remittat, vel quaſi ſimile deprecatorium, erit validum; ita Victorellus.

4. Quid agere debet Parochus, dum timet ægrotum moriturum ante peractas omnes unctiones?

Reſp. In caſu tam urgentis neceſſitatis poteſt Sacerdos valide, & licite, ſemel tantum prolatis verbis & unica unctione adhibita in ſingulis quinque partibus ſenſuum, ita dicere; Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum (ungat oculos, vel ſaltem oculum unum) quidquid per auditum (& ungat aures) per odoratum (& ungat nares) per guſtum (& ungat os) per tactum & (ungat manus) deliquiſti. Amen. Advertendo tamen, quod

ſimul

simul sint unctio, & prolatio formæ. Plures Authores cum Diana existimant, in casu necessitatis probabile esse posse inungi sensum unicum magis obvium, vel melius caput, eo quod in eo sensus maxime vigeant, dicendo: Per istam, &c. quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum. Amen. Ly Amen non est de essentia Sacramenti.

5. Quotnam, & quæ unctiones ex prædictis sunt de essentia Sacramenti?

Resp. Hoc non est adeo certum, cum ab Ecclesia nihil definitum sit. Hinc cum Divo Thoma multi existimant, unctiones quinque sensuum esse de essentia, & gratiam conferri in ultima unctione. Alii putant, in singulis conferri suam gratiam partialem. Et ideo tutius est, quod in casu necessitatis expedite sub unica forma singuli sensus inungantur, juxta dicta.

6. Quodnam est subjectum capax hujus Sacramenti?

Resp. Est homo baptizatus in proximo periculo moriendi, qui saltem aliquo tempore peccare potuerit; hoc enim necessarium est ad verificandam formam Sacramenti. Concilium Florentinum monet, hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timeatur, dare non debere. Si autem scire velis, quibusnam, licet in vitæ periculo constitutis, ministranda non sit, en tibi regulam generalem ex Concilio Mediolanensi IV. Parochus istis ne ministret, nempe pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis, qui ultimo supplicio mulctandi sunt. Quantum ad parientes, explicant Doctores, si ordinaria partus molestia laborent; secus si habeant majus mortis periculum, cum etiam in hoc statu tentationibus Dæmonum tunc mulieres sint expositæ; unde Rubeus habet, se non videre, cur vulnerato concedatur unctio extrema, & fœminis in partu deficientibus negetur. Ita Victorellus. Idem dic de peregrinis, si in peregrina-

tio-

tione aliquo lethali morbo corripiantur. Perpetuo amentibus omnino neganda est; sunt enim computandi inter pueros; si autem aliquando usum rationis habuerint, & inde in amentiam lapsi, concedenda est.

7. Quisnam est hujus Sacramenti Minister?

Resp. Parochus, & de ejus licentia quilibet Sacerdos. Religiosi Prælati tantum suis subditis licite ministrare possunt; si aliis sine licentia Parochorum ministrent, non solum peccant lethaliter, sed incidunt in excommunicationem, non autem si servis in eorum Conventibus decedentibus, aut morientibus, in Monasterio. Quando Parochus non potest adesse, quilibet Sacerdos poterit ministrare: in casu enim talis necessitatis Parochus non existimatur rationabiliter invitus.

8. Potestne Parochus delegare ad hoc Sacramentum ministrandum suum Capellanum, quem scit impie vivere, & in mortali existere?

Resp. Ex Homobono: Si Sacerdos probus haberi nequeat, potest Parochus conducere etiam improbum ad hoc faciendum; neque cooperatur ejus peccato, quia actio illa, ad quam eum conducit, de se bona est; & potest sine lethali administrari, si velit respicere; quod si male exercet, sibi imputet. Hoc dicendum non est de suspenso, aut excommunicato, quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, ut ab istis debeat exerceri.

9. Peccatne mortaliter, qui in extremo constitutus hoc Sacramentum non suscipit?

Resp. Cum communi; si non adsit spretus aut scandalum, mortaliter non peccat, quia hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, nisi in casu, quo nullum aliud Sacramentum infirmus possit recipere. Placet tamen cum Diana sentire, qui existimat scandalum vix, aut nunquam posse vitari; & nescio etiam, quomodo non peccet graviter contra charitatem sui, aut accedia, qui tam facile potest remedium contra diabolicas tentationes sumere, & non sumit.

10. Domestici, & illi, ad quos spectat, negli-

gentes facere ministrari hoc Sacramentum infirmo; peccantne?

Resp. Peccant mortaliter, quia male se gerunt erga subditum, & eum cujus curam gerunt, si in re tanti momenti, ubi agitur de muniendo homine contra fortiores Dæmonum incursus in momento, a quo pendet æternitas, omni modo, quo possunt, non adjuvent.

11. Parochus cum discrimine vitæ, teneturne hoc Sacramentum ministrare?

Resp. Cum Diana, regulariter non tenetur; si autem ægrotus nullum aliud Sacramentum recipere possit, tunc tenebitur, quia hoc est remedium unicum salutis in tali casu.

12. Poteftne conferri hoc Sacramentum illis, qui antequam usum rationis amiserint, non petierunt?

Resp. Affirmative, posito quod christiane vixerint, vel aliqua signa contritionis ante amissionem usus rationis dederint; quilibet enim censeri debet dispositus ad illud suscipiendum, nisi constet manifeste contrarium, ita Suarez. Si autem publicus peccator sit, & subito morbo correptus nullum signum pœnitentiæ dederit, non est illi ministrandum.

13. Debetne Parochus ministrare hoc Sacramentum illi, qui post Viaticum doloribus vexatus blasphemavit, & inde rationis usum amisit?

Resp. Cum Homobono, si Parochus prudenter judicare possit, quod blasphemiæ illæ ex frænesi, & vi morbi prolatæ sint, adhuc potest illum inungere; qui enim non probatur sufficienti ratione malus, pro bono habendus est: cum ergo sufficiens ratio morbi indicare possit eum ex frænesi talia dixisse, negandum non est illi hoc Sacramentum; fieri enim potest, ut cum Sacramento consequatur salutem, quam sine illo amitteret. Debet etiam inungere illum, qui usu rationis expers ob vim morbi dicit se nolle sumere Sacramentum; qui tamen si liberum rationis usum haberet, illud peteret.

14. Quænam dispositiones requiruntur ad hoc Sacramentum?

Resp.

Resp. Ex parte animæ: quod sit baptizatus, non excommunicatus, ut expresse, vel tacite id petat, & peccati obicem per pœnitentiam abstulerit, & Viaticum, si potuit, sumpserit, ut habet Catechismus jussu S. Pii V. editus; in antiqua enim Ecclesia ante Viaticum ministrabatur: Ex parte corporis, ut in probabili mortis periculo sit constitutus: In eadem infirmitate reiterari non debet; si autem infirmitas longa sit, & mutet statum, propter novum periculum potest adhiberi, & novum medium.

15. Si Sacerdos vocatus ad ministrationem Olei Sancti dubitet infirmum jam esse expiratum, quid facere debet?

Resp. Si probabiliter etiam existimet posse esse vivum, poterit sub conditione ministrare; & in dubio monet Homobonus pro Sacramenti administratione esse inclinandum. Si moriatur in administratione, debet statim cessare.

16. Parochus, qui ex negligentia differt inungere infirmum petentem Oleum Sanctum, peccatne mortaliter?

Resp. Ex Homobono, affirmative, quia notabiliter deficit in cura animarum sibi demandata; non est tamen necesse, quod currat, cum Sacramentum hoc non sit tantæ necessitatis, sicuti dixi de Baptismo, & Pœnitentia; neque Ecclesia ad hoc obligat, ut quis currens per plateas fatuus, aut risu dignus videatur.

17. Parochus, qui volvendo infirmum, ut eum inungat, reperit forte ex tali motu subito decessisse, estne irregularis?

Resp. Cum Homobono *tract.* 13. *c.* 6. *resp.* 2. negative, etiamsi in movendo aliqua levis sit culpa, cum hic nullum delictum, vel saltem adeo leve intercedat, ut tanta pœna mulctandum sit,

18. Debetne Sacramentum hoc ministrari infantibus, qui ad usum rationis pervenerunt?

Resp. Affirmative ex Homobono, scilicet si nono, vel decimo anno decedunt, cum censeri beant capaces verificandi formam, & cognos

essentiam, decentiam, & fructus hujus Sacramenti; de quibus facile instrui possunt. Nonnulli tamen tenent iis tantum dandum esse, qui Viatici capaces sunt; quod meo videri necessarium non est, cum major cognitio requiratur pro Eucharistia decenter suscipienda, quam pro Extrema Unctione, & Pœnitentia.

19. Quisnam ritus servari debet in administratione hujus Sacramenti?

Resp. Ad licitam administrationem, Parochus conformare se debet Rituali Romano, ita ut nunquam ministret sine Superpelliceo, & Stola, nunquam sine necessitate orationes antecedentes relinquat; illæ enim sunt de præcepto; quoad Psalmos Pœnitentiales, sunt solum de consilio.

CAPUT VIII.

De Ordine.

Sectio I. *De Ordinibus in genere, & in particulari.*
Sectio II. *De obligatione recitandi Horas Canonicas.*

SECTIO I.

De Ordinibus in genere, & in particulari.

1. Quid est Sacramentum Ordinis?

Resp. Est Sacramentum novæ legis, in quo traditur spiritualis potestas ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium perficiendum, vel immediate, vel mediate, plus, minusve, juxta cujusque Ordinis gradum, & officium.

2. Quot sunt Ordines?

Resp. Septem, scilicet, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, qui vocantur Ordines minores, eo quod immediate non assistunt Altari Clerici illis ordinati, nec inserviunt immediate Sacerdoti solemniter celebranti: Subdiaconatus, Diaconatus;

tus; & Presbyteratus vocantur Ordines majores, & sacri, quia his ordinati immediatius juxta proprium officium inserviunt Missæ Sacrificio, & Clerici istis initiati habent corpus Deo sacratum per votum castitatis.

3. Prima Tonsura estne Ordo?

Resp. Negative: sed est dispositio, & præparatio ad Ordines suscipiendos: sicuti, ut dicit Div. Thomas, Catechismus est præparatio ad Baptismum. Tonsurati tamen, utpote deputati ad Ecclesiam, gaudent duplici privilegio fori, & Canonis. Privilegium fori est, quod conveniri non possit Clericus pro delicto ad forum sæculare, sed Ecclesiasticum. Privilegium Canonis est, quod si quis eum percutiat suadente Diabolo, sit excommunicatus, & insuper redditur incapax Ecclesiastici Beneficii, utpote ad Ecclesiam deputatum, licet non habeat officium annexum circa ministerium Altaris.

4. Quænam est materia Sacramenti Ordinis?

Resp. Materia remota est instrumentum, quod ordinando tangendum traditur; materia proxima est traditio talis instrumenti: quod quidem physice tangi debet, neque sufficit contactus moralis, quo quis scilicet manum porrigat, & appropinquet instrumento, non autem illud tangat. Forma hujus Sacramenti sunt verba ab Episcopo prolata: *Accipe potestatem, &c.*

5. Quinam est Minister hujus Sacramenti?

Resp. Minister ordinarius est solus Episcopus, quamvis excommunicatus, suspensus, hæreticus, & degradatus; hic potest valide, non tamen licite ordinare; hæc enim potestas est annexa characteri Episcopali, qui indelebilis est.

6. Possunt etiam Abbates, & Presbyteri privilegiati habentes jus mitræ, & baculi benedicti ab Episcopis, conferre primam Tonsuram, & Ordines minores suis subditis Regularibus, immo & sæcularibus, dummodo adsit consensus sui Episcopi, & ab eo habeant litteras dimissoriales. Quoad Novitios proprii Ordinis, ante professionem non posse eos ordinare,

clarum est ex Concilio Tridentino, quod requirit in ordinando ab Abbate, ut sit Regularis, & subditus Ordinantis; Novitius autem adhuc Regularis non est.

7. Quænam dispositio requiritur in suscipiente Ordines?

Resp. Ex parte corporis requiritur ætas a Sacris Canonibus requisita, quod sit masculus, legitimus, & non bigamus, ex parte animæ, ut sit baptizatus, non excommunicatus, non irregularis, non suspensus; quod sit in gratia, quod habeat intentionem, saltem virtualem, suscipiendi Ordines; quod habeat litterarum sufficientiam ad suum officium & ministerium exequendum; juxta Decreta Concilii Tridentini: quæ omnia fuse habentur in directorio ad Ordines suscipiendos.

8. Quinam sunt effectus hujus Sacramenti?

Resp. Duo, scilicet gratia habitualis cum auxiliis, quibus Ordinatus præmunitur, ut digne & convenienter exequatur munus sui Ordinis. Secundus est character indelebilis, quo unusquisque in suo Ordine accipit potestatem ad eum finem & affectum, cui destinatur ab Ordine suo.

9. Si quis suscipiat Ordines minores solum, ut gaudeat privilegiis Clericorum, non vero cum intentione recipiendi Sacerdotium, peccatne?

Resp. Ledesma vult eum peccare mortaliter; quia facit contra Concilium Tridentinum, quod *sess.* 23. c. 4. eos solum tonsurari permittit, de quibus probabilis conjectura sit, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Diana cum Sanchez censet, hæc verba non esse præceptiva, sed hortatoria, maxime cum Sacra Congregatio, ut refert Sylvius, non permiserit, ut Episcopi publicarent Edictum contra Clericos degentes in minoribus, ut debeant Ordines Sacros assumere, sub pœna privationis habitus.

10. Teneturne Ordinatus recitare sub lethali Psalmos in Ordinatione ab Episcopo injunctos?

Resp. Cum Palatio, probabile est, quod Episcopus

pus nolit eos obligare sub lethali, sed solum ex decentia & honestate.

11. Si quis Clericus Ordinatus non incedat in habitu decenti, & tonsura, peccatne?

Resp. Utique, cum faciat contra Sacros Canones hoc graviter injungentes, & præcipientes, immo in aliquibus Diœcesibus sunt edicta hoc præcipientia sub pœna excommunicationis.

SECTIO II.

De Obligatione recitandi Horas Canonicas.

1. Quid est Divinum Officium?

Resp. Est laus Dei per Ecclesiæ institutionem determinata, & voce expressa.

2. Quot sunt Horæ Canonicæ?

Resp. Septem, quæ significant septem principaliora mysteria Passionis Christi, contenta in his quatuor carminibus.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus Nona bipartit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Matutinum & Laudes componunt unam horam. Quatuor sunt Horæ minores, Vespera & Completorium septenarum horarum numerum complent.

3. Plures voluntates omittendi Officium Divinum in eo, qui obligatus est sub lethali ad Horas Canonicas, suntne plura peccata?

Resp. Si quis proponat non dicere Officium bis, vel ter, peccat ratione novi propositi: intellige, si inter unum, & alterum propositum mediet retractatio voluntatis non dicendi Officium, secus est unicum peccatum, est enim una intentio continuata in omissione actus: nam ut notat Bonatius apud Dianam, cum quis recordatur sui propositi peccandi antecedenter habiti, non peccat de novo.

4. Si quis omittat omnes Horas unius diei, committitne tot peccata, quot sunt Horæ recitandæ?

Resp. Negative; quia præceptum recitandi septem Horas unum est, habens pro objecto aggregatum septem Horarum, sicut Matutinum est aggregatum trium Nocturnorum, neque tamen quis omittens tria Nocturna, tria committit lethalia: non est ergo necesse numerum Horarum omissarum exprimere in Confessione juxta Dianam: sed sufficit dicere se omisisse partem notabilem Officii, & si omisit totum, dicere se non satisfecisse obligationi recitandi Officium.

5. Quænam in Divino Officio est quantitas notabilis, ex cujus omissione voluntaria quis mortaliter peccet?

Resp. Sententia docens unam integram Horam esse quantitatem tantum notabilem, mihi videtur nimis laxa: alia, quæ unum Psalmum etiam minimum parvæ Horæ, mihi videtur nimis dura; Psalmus ergo inter psalmos unius parvæ Horæ, si sit longus, quantitas notabilis est; in Matutino duo Psalmi non tamen ex longioribus, vel tres Lectiones cum suis Responsoriis: defectu enim hujus quantitatis moraliter censetur non salvari essentia totius; illa autem minus notabilis, cujus defectu adhuc salvatur essentia totius, licet non ejus materialis integritas. Quia tamen hæc essentia mensuratur a prudentum judicio, ideo quot capita, tot sententiæ, quarum varietatem refert Gavantus.

6. Si quis in singulis Horis modicum quid relinqueret, quod simul sumptum integraret quantitatem notabilem, peccaretne mortaliter?

Resp. Affirmative, quia obligatio respicit totum Officium; respectu autem totius pars notabilis deficit, licet comparative ad singulas Horas defectus notabilis non sit.

7. Omittens ter, vel quater in anno Officium, peccatne mortaliter?

Resp. Affirmative, quia Breviarium est onus diei.

8. Qui tenetur recitare Officium, teneturne recitare sub eadem obligatione Psalmos Graduales, & Pœnitentiales, quando notantur in Quadragesima?

Resp.

Resp. Negative: illæ enim sunt obligationes Chori, non personæ; unde Choro addictus si tunc non adsit, non tenetur privatim recitare sub lethali. Non tamen idem sentiendum est de Litaniis respectu eorum, qui non intersunt Processioni Divi Marci, & Rogationum, vel in Commemoratione omnium Defunctorum respectu eorundem Officii novem lectionum; quæ omnia ex Gavanto, cujus sententiam sequitur Diana, qui vocat eam communiorem: quilibet enim tenetur, vel publice, vel privatim recitare, non eo quod sint pars Officii illius diei, ut æquivocat Vasquez, qui est contrariæ sententiæ: sed quia sunt pars obligationis illius diei, eo quod in Rubrica talium dierum obligatio est expressa verbis præceptivis, non hortativis, & ut notant aliqui, Ecclesia dispensans cum Prædicatoribus ad unum tantum Officium, designavit recitandum ea die Officium Defunctorum, omisso Officio de Octava.

9. Debetne de necessitate præcepti servari ordo ab Ecclesia constitutus in recitando Officio?

Resp. Per se servandus est, recitando prius Matutinum, subsequenter Horas juxta Rubricas: & Vasquez vult quod pervertens talem ordinem peccat mortaliter, quia facit contra ritum Ecclesiæ in re valde gravi. Gavantus mitius sentit, & dum integre persolvat Officium, putat eum non peccaturum mortaliter. Sententia media mihi videtur magis rationabilis, scilicet, quod si pervertat ex necessitate, quia debet Horis Canonicis vespertinis intervenire, & hoc ei accidit ante recitationem Matutini, non credo quod lethaliter peccat; si autem ex nulla causa rationabili ordinem ab Ecclesia statutum invertat, quare non peccabit, juxta Vasquesii sententiam? Diana sentit, quod recitans Matutinum pro die crastina, non satisfacto Officio hodierno, adhuc valide recitet, contra Vasquez, qui vult prius solvendum pensum hodiernum, antequam quis cogitet de crastino: puto autem, quod si ex necessitate hoc faciat, quod utique rarissime continget, non sit statim gravandus peccato lethali.

10. Servanda estne qualitas Officii?

Resp. Affirmative, & unusquisque uti debet suo Breviario: sic Monastico Monachus, & Romano Clericus. Si quis in fraudem Officii longioris utatur alieno, non satisfacit. Crux tamen citatus a Diana putat, quod si Clericus utatur semel in anno Breviario Divi Dominici, non peccaret. Portellus etiam apud ipsum censet, Religiosum privata recitatione utentem Breviario Romano non peccaturum, quia S. Pius V. non revocat consuetudines circa recitationes privatas, sed circa publicas; & Innocentius IV. concessit, ut Religiosus extra Conventum uti possit Breviario alterius Religionis. Si quis vero putans hodie currere Officium Sancti, cum sit de Feria, vel e contra, Officium mutet, non puto eum debere recitare iterum Officium; non enim hoc fecit in fraudem recitans Officium pro Officio, neque ex accedia, sed ex ignorantia, & bona fide, sicque casus hic non videtur inclusus in propositione damnata infra adducenda.

11. Ut quis recitet Officium sine omni culpa, debetne servare temporum distributionem?

Resp. Affirmative, sic Matutinum dici debet ab occasu solis usque ad auroram, Laudes vero, vel una cum Matutino, vel illucescente jam die; sed si Laudes a Matutino dividantur, notat Gavantus, post Matutinum dicendam esse orationem diei, uti fit in Nativitate Domini. Prima, oriente Sole. Tertia, aliquantulum post. Sexta, adulta jam die. Nona, prope prandium. Vesperæ, post prandium, & Completorium prope noctem. Potest tamen per horam unam sine culpa anteponi, vel postponi Horarum distributio, secus res nimis onerosa foret, si tam exacta temporis observantia singulis diebus esset præscripta. Cum causa, v. gr. ex studio, & ex operibus charitatis, & justitiæ adimplendis, & ex pluribus quæ quotidie occurrunt, tantus legis rigor non adest.

12. Tempus pro Matutino crastino anticipari potest a declinatione solis; unde Gavantus sentit hoc

privi-

privilegium incipere a tertia hora post meridiem. Diana putat, recitari posse ab hora secunda post meridiem, putat etiam non peccaturum mortaliter in Quadragesima, quando dicuntur Vesperæ ante prandium, si quis post prandium recitet Matutinum.

13. Teneturne quis recitare Officium in Choro, vel in Ecclesia, aut Sacello?

Resp. Per se negative; qui tamen sunt Choro addicti si vacent a Choro ultra tempus a Concilio permissum, peccant mortaliter. Suarez excusat absentiam unius diei, Bonacina trium, vel quatuor dierum, quod intelligendum est, etiamsi distributiones restituant: hæc enim est pœna, quæ non excusat a culpa. Diana cum Reginaldo putat; si domi recitent, & aliunde Chorus ab aliis persolvatur, eos peccaturos tantum venialiter, si fiat absque contemptu, & scandalo.

14. Debetne quis recitare Officium cum attentione?

Resp. Actualis attentio, qua mens actu semper ad objecta sancta reflectat, necessaria non est: plurimi sentiunt sufficere attentionem virtualem, qua quis, licet quandoque distractus sit involuntarie, virtualiter dicitur attentus, quia cœpit attendere, nec voluntarie se distraxit ad alia. Recentiores non ita rigide sentiunt, sed putant Canones præcipientes recitationem devotam obligare tantum ad actum externum devotum sine risu, sine confabulatione, non faciendo alia opera exteriora cum oratione incompossibilia; quæ exterior compositio facit devotionem externam, licet mens ad divina non vigilet, eo modo, quo Idololatria externa etiam sine attentione interna est verus cultus Idoli.

15. Possuntne Horæ interrumpi?

Resp. Inter Matutinum & Laudes, & Horas potest fieri qualibet interruptio; sed inter partes Horæ fieri non potest, & si fiat sine causa, est veniale secundum Panormitanum, cum causa nullum est peccatum. Diana putat posse aliquem incipere Vesperas, & eas interrumpere per horas duas sine le-

thali, quia quilibet Psalmus, immo versiculus, est integra oratio, non habens necessariam connexionem cum alio; & hoc etiam ait valere, si quis interrupisset animo reassumendi de novo integram Horam, qui potest mutare opinionem, & uti jure suo; Inter Nocturna Matutini posse fieri interruptionem duarum, vel trium horarum, tenet Panormitanus. Unum moneo, quod in hoc onere divino jugum aggravandum non est, & recedendum esse a sententiis laxis, quæ jugum tollunt; & a nimium rigidis, quæ reddunt onus intolerabile.

16. Quis privatim recitans, debetne dicere alta voce?

Resp. Negative, sed sufficit dicere, itaut dicens seipsum audiat. Bonacina putat sufficere motum labiorum, quamvis nec ipse recitans se ipsum audiat; nam hic vocaliter orat, & præceptum est ad dicendum, non ad audiendum; hæc autem opinio, ut ait Filliucius, solum pro scrupulosis tenenda est.

17. Quinam tenentur ad recitationem Officii Divini?

Resp. Omnes Subdiaconi, & omnes Beneficiati, omnes Religiosi, & Religiosæ Professæ juxta præscriptas & laudabiles consuetudines suarum Religionum.

18. Quandonam in istis incipit obligatio recitandi?

Resp. In Beneficiatis incipit a die possessionis sui Beneficii, & quidem pacificæ; nam sicuti ante pacificam possessionem non possunt exercere munera Beneficii, ita neque tenentur ad illius onera. Subdiaconi & professi in die, qua promoventur, non tenentur ad recitandum totum Officium, sed solum ad Horas, quæ juxta stylum Ecclesiæ post promotionem recitandæ sunt. Hinc Bonacina existimat, quod teneantur ad Vesperas, & Completorium; alii quod etiam ad parvas Horas recitandas. Si quis ante promotionem recitavit, puto, quod satisfaciat, nec teneatur denuo recitare, cum Ecclesia non exigat nisi unicum Officium illius diei.

19. Con-

19. Conversi Religionum tenenturne ad recitationem illarum precum, quas loco Officii præscribunt earum Constitutiones?

Resp. Ex Alario verbo *Horæ Canonicæ n.* 1. non tenentur sub lethali, nisi aliter in eorum Constitutionibus habeatur.

20. Habens tenue Beneficium teneturne ad integram recitationem Officii Divini?

Resp. Sotus vult non teneri ad integram recitationem quotidianam Divini Officii; nam qui Altari inservit, de Altari vivere debet; qui autem parvum habet Beneficium, cum de Altari non vivat, quare tenebitur Altari totaliter inservire? Et confirmat, quia in jure Beneficium tenue reputatur pro non Beneficio, ut habetur ex capite, *Is qui, de Præbendis in 6.* Hinc Molfes. cum Less. volunt teneri tantum ad Horas Canonicas in diebus Festis. Malder. apud Dianam putat compensare posse suam obligationem aliis precibus, puta Officio B. Virginis. Communis opinio est, promotum ad qualecunque Beneficium teneri ad Officium; maxime cum Pontifices imponentes restitutionem fructuum Beneficiatis non recitantibus Horas, non distinguant Beneficium tenue a pingui; si ergo onus est majus proventu, sibi imputent; volenti enim & consentienti nulla fit injuria.

21. Teneturne ad Officium, qui Beneficium habet ad munus, & exercitium non Ecclesiasticum, puta pulsandi Organa, docendi in Seminario?

Resp. Cum Alario, negative, neque etiam Religiosus a Papa dispensatus in castitate, & vivens in habitu sæculari extra claustra, neque Religio milites habentes Commendam, etiamsi non militent actu: isti tamen tenentur ad preces juxta præscriptum suarum Constitutionum.

22. Qui tenetur ad Officium titulo Beneficii, & titulo Ordinis, committitne duplex peccatum omittendo Officium?

Resp. Negative, quia facit contra unicam virtutem Religionis.

23. Ad

23. Ad quid tenetur Beneficiarius, qui omisit Officii recitationem?

Resp. Juxta dispositionem Bullæ S. Pii V. qui totum Officium omisit, omnes fructus Beneficii correspondentes uni diei restituat: qui totum Matutinum, vel solum reliquas Horas, dimidium fructuum correspondentem uni diei: qui unam parvam Horam, sextam partem. Hinc cum proportione, qui reliquit Officium unius mensis, debet restituere duodecimam partem fructus unius anni: qui per annum, nihil potest recipere de fructibus Beneficii illius anni. Qui vero non Horam, sed partem Horæ reliquit, non tenetur ad restitutionem, quia leges loquuntur de Hora. Ex eadem ratione non est facienda restitutio pro pluribus versiculis in singulis Horis relictis, licet simul sumpti constituant quantitatem notabilem sufficientem ad lethale. Adverte etiam, quod si rata fructuum correspondens parti omissæ non sit notabilis, puta dimidium Julii, non tenetur illam restituere sub lethali. Ultimo adverte, quod habens Beneficium cum multis oneribus, puta, Missæ, Concionis, assistentiæ Infirmorum, & similium, demere potest aliquid de fructibus illius diei juxta qualitatem onerum, quæ in eadem die, in qua reliquit Officium, ille subivit. Nimis laxa mihi videtur taxa, quam in hac reponit Henriquez citatus a Diana; unde in praxi prudentum consilio utatur Beneficiarius, ne gravet animam suam.

24. Quinam excusantur a recitatione Divini Officii?

Resp. Primo, qui saltem moraliter sunt impotentes ad illud recitandum: est enim onus Ecclesiasticum, ad quod quis non tenetur cum gravissimo incommodo, reddente executionem moraliter impossibilem. Hinc qui non habet Breviarium sine culpa, nec scit memoriter, nec potest ab alio habere: qui opere charitatis, aut justitiæ est impeditus, ut illud recitare nequeat, non tenetur: ægroti nec etiam judicio Medicorum: immo compertum est post tres dies a recessu febris ob debilitatem capitis, vix sine

peri-

periculo recitari posse. Item si quis ex rationabili causa non posset recitare præcipuas partes Officii Divini, aliqui volunt, quod neque teneatur ad unam, quam potest: hæc tamen sententia post Decretum Innocentii XI. n. 54. amplius nequit sustineri: unde si potest notabilem partem recitare, ad illam tenebitur.

25. Non tenetur quis impotens ad Officium Divinum recitandum, hoc compensare aliis precibus, puta Rosario, licet hoc laudabile sit: v. gr. assistens Infirmo, ubi lumen afferri non potest, & proinde Corona recitari possit, non Officium. Ex privilegio potest Superior Regularis rationabili de causa commutare Officium Divinum in nonnullorum Psalmorum recitationem. Suspensi, & interdicti tenentur recitare; sed, ut notat Alarius, omisso *Dominus vobiscum*. Cæcus non tenetur nisi ad majorem partem, si hanc sciat memoriter; neque tenetur socium quærere, & conducere, ut cum eo recitet, nisi forte, ut notat Garzias, hoc fecerit etiam in salute. Damnati ad triremes, qua die laborant valde, puto, quod ratione laboris magni non teneantur: nec placet ratio Dianæ, scilicet eos non teneri, quia detegerent loco tam turpi se esse Ecclesiasticos, quod cederet in Ecclesiæ ignominiam: communiter enim scitur etiam perfidos Sacerdotes esse in triremibus; nec pœna cedit in ignominiam, sed culpa. Sicuti ergo excommunicatus, & publici peccatores Ecclesiastici, si qui sunt, tenentur Officium recitare, quare non illi? Infirmitas quartanæ non excusat a recitatione Officii, ex die autem, qua quis febri laborat, non tenetur anticipare Matutinum vespere, quia anticipatio est privilegium, quo utimur, quando volumus: non autem onus & obligatio: ut notat Canus.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 20. Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, ante quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

Ab INNOCENTIO XI. 54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

CAPUT IX.

De Matrimonio.

Sectio I. *De Sponsalibus,*
Sectio II. *De essentia Matrimonii.*
Sectio III. *De Divortio.*
Sectio IV. *De impedimentis impedientibus.*
Sectio V. *De impedimentis derimentibus.*
Sectio VI. *De debito Conjugum, & usu Conjugii.*

PLures in Sectiones dividitur Caput hoc, tantam materiæ molem habens, ut quamplures libros impleverit.

S E-

SECTIO I.

De Sponsalibus.

1. Quid sunt sponsalia?

Resp. Sunt futuri Matrimonii mutua promissio signo externo expressa. Hinc cum sponsalia sint species promissionis, id reddet ea invalida, quod irritat promissionem, & præcipue duo, scilicet defectus libertatis in alterutro ex sponsis, ut si quis coacte, vel ob metum promittat; vel defectus deliberationis, qui oriri potest, vel quia quis non habeat sufficientem cognitionem obligationis, quam subit titulo promissionis, ut evenire solet inter puberes; vel ex parte voluntatis, quia consensus non adsit.

2. Quænam ætas requiritur ad sponsalia?

Resp. Ex Alario, ætas debet esse saltem septem annorum, & quidem completorum, nisi prius tamen malitia suppleat ætatem: & si in septennio non habet usum rationis talem, qui sufficiat ad peccatum lethale, ut notat Sanchez, neque valide contrahit obligationem sponsalium, quæ cum sit actus humanus inducens mutuam obligationem, talis esse non potest; si quis ad usum rationis nondum pervenit.

3. Obligantne sponsalia vera sub lethali?

Resp. Affirmative, quia omnis promissio rei gravis obligat sub lethali, non tantum ex fidelitate; sed etiam ex justitia.

4. Si unus contrahentium promittat, & alius acceptet quidem promissionem, sed non repromittat, potestne primus recedere absque lethali?

Resp. Ex Alario *verbo Sponsalia n. 9.* licet hi contractus nequeant dici sponsalia defectu mutui consensus; tamen primus, qui se obligavit, non potest recedere sub lethali, cum hæc promissio sit in re gravi.

5. Si parentes, Tutores, & alii infantium curam habentes promiserint, tenenturne pueri sub lethali stare eorum promissis?

Resp. Cum Parentes spondent pro pueris, possunt

ipsi,

isti, quando sunt sui juris, recedere. Ita Alarius; qui limitat, ni adolescentes certiores facti de promissione, saltem tacite eam ratificent; si autem habeant usum rationis, & præsentes sunt promissioni parentum, & taceant, censentur acceptare, sic cap. 1. *de Sponsalibus impuberum in 6.*

6. Quænam sunt signa ratificationis tacitæ in adolescentibus, qui sciunt Parentum promissionem?

Resp. Ex Alario, sunt oscula, munera, datio annuli, mutua conversatio in aliena domo tamquam cum sponsa. Bertau *de Sponsalibus* existimat sufficere, quod sciant, & non reclament.

7. Suntne valida Sponsalia cum consanguinea sub hac conditione; Contraham tecum, si Papa dispenset?

Resp. Ex Alario, promissio hæc conditionata valida est, inducens obligationem standi promissis posita dispensatione; neque enim est conditio turpis, ut invalidet actum humanum: Contraria sententia sustinetur a pluribus apud Sotum. Licet omnes teneant cum D. Thoma, quod sponsalia contracta cum infideli sub hac conditione, si ad fidem convertatur, teneant.

8. Promissio solis labiis exterius facta sine animo promittendi estne valida?

Resp. Nequaquam, quia cum tali fictione promissio non est, sed simulatio: si quis autem promitteret sponsæ cum animo se obligandi, non autem cum animo exequendi, adhuc teneretur stare promissis, quia contrarius animus subsequens non potest impedire naturam veræ promissionis, cujus effectus est ligare promittentem.

9. Juramentum factum de ducenda una ex filiabus Petri habetne vim sponsalium?

Resp. Cum Alario, negative, quia sponsalia incerta non sunt sponsalia. Ita Glossa *in cap. ex litteris secundo de Sponsalibus*. Si autem factis legitimis & licitis sponsalibus, cum una dormierit, placet sentire cum Hostiensi citato ab Alario, qui docet tunc compellendum esse ad illam ducendam, non tam virtute sponsalium, quam ex præsumpto consensu;

sensu; cum enim ex una parte juraverit ducere unam ex filiabus Petri, & ex alia unam cognoverit ex illo actu satis dignoscitur eam elegisse, & in eam determinate consensisse; non deest tamen contraria sententia apud Sanchez.

10. Si quis sit certus, se promisisse ducere unam: & dubius unum promiserit cum animo se obligandi, teneturne ducere?

Resp. Affirmative, quia præsumptio, & possessio stat pro obligatione, quæ sequitur naturaliter ad promissionem, nisi expresse vitietur a conditione contraria: cum ergo de hac non constet, præsumendum est, actum promissionis fuisse elicitum juxta ejus naturam.

11. Qui virginem defloravit spe fictæ promissionis matrimonii, teneturne eam ducere?

Resp. Affirmative, non quidem vi sponsalium, quæ utique non fuerunt valida defectu intentionis ducendi: sed vi contractus, do ut des. Cum ergo puella ex parte sui contractum impleverit tradendo corpus virgineum violandum, ille tenebitur implere alteram partem contractus; nec sufficit compensare exhibendo dotem, ut nubat alteri viro; sed debet omnino eam ducere, quia natura talis contractus pertinet ad justitiam commutativam, quæ petit, ut non tantum reddatur æquale, sed omnino idem: ita Bertau, qui citat pro se Sanchez, Vasquez, Navarrum, & alios.

12. Limita tamen primo, si deflorata ob disparitatem status potuerit conjicere, deflorantem non habere voluntatem ducendi, & multo magis si ex verbis ejus equivocis, & potius amatoriis, quam obligatoriis, & ex animo serio provenientibus, idem dignoverit: secundo, si ante tempus stabilitum pro matrimonio hæc cum alio fornicetur; tertio, si virgo putata, fuerit deprehensa non virgo, vel quæ faciebat se divitem, & nobilem, alia postea sit; in his enim casibus fictus promissor, eximitur ab obligatione ducendi, licet cognoverit illam: in primo quidem, quia volenti & consen-

tien-

tienti non fit injuria; in aliis vero, quia contractus non est legitimus ratione deceptionis.

13. Limita etiam secundo, fictum promissorem non teneri ducere fœminam, quæ solita sit prostitui, sed tantum consuetum pretium ei tradere, contractus enim non est obligatorius, cum non sit justus propter inæqualitatem rei datæ, & acceptæ, neque ex fornicatione sequitur ei damnum notabile; cum jam sit malæ famæ. Lessius, & Sanchez docent, quod si ex copula occulta nullum damnum timeatur viduæ, vel virgini bonæ famæ, fictus promissor non tenetur eam ducere: quod tamen non placet, cum obligatio ducendi non sit titulo damni illati, sed titulo contractus adimplendi; ut dixi in responsione.

14. Si quis post sponsalia contracta cum Berta, contrahat secundo cum Flaminia, & istam cognoscat, teneturne prima, vel secunda sponsalia adimplere?

Resp. Licet certum sit in casu omnimodæ æqualitatis secunda sponsalia nulla esse, nihilominus in casu, quo secunda habeant annexam copulam, judicandum est in favorem istorum: quia naturalis æquitas postulat, ut quæ passa est tantum damnum, quale est a viro cognosci, præponatur alteri, quæ ex violatione contractus, aliud damnum non patitur, quam quod promissum non consequatur, ceterum ejus corpus integrum est: ita Homobonus tract. 15. c. 9. resol. 8.

15. Si quis primæ promiserit sine juramento, & secundæ cum juramento, quamnam tenetur ducere?

Resp. Ex Homobono ib. tenetur ducere primam; juramentum enim non ligat in hoc casu, cum cadat supra rem malam, quæ sine peccato, & sine damno primæ, cui promisit, nequit adimpleri.

16. Si quis post validam promissionem matrimonii de futuro cum una, contrahat in re matrimonium cum altera, teneturne in casu mortis suæ uxoris primam ducere?

Resp. Cum Homobono, negative, quia subsequens matrimonium dirimit totaliter sponsalia, neque datur obligationis reviviscentia; quod ait valere, etiam si pri-

si prima sponsalia fuerint juramento firmata. In casu tamen, quod illam cognoverit sub spe futuri matrimonii, tenebitur adimplere, cum damnum illatum tunc sit adhuc reparabile; quapropter urget obligatio reparandi.

17. Si quis castitatis, vel Religionis voto prius emisso, postea promiserit puellæ eam ducere, & hanc sub tali spe defloraverit, teneturne ad servandam fidem Deo datam in voto, vel fœminæ in sponsalibus cum defloratione?

Resp. Cum Sanchez, & Layman, promissarium deflorantem teneri ducere defloratam, si hæc non fuit voti conscia, quia votum non obligat cum notabili damno proximi, & violatione justitiæ; neque enim tunc potest hostia esse Deo acceptabilis. Tenetur tamen sponsus servare votum, quantum in se est: sic solum potest reddere, non petere debitum, quia dispensatio est solum in favorem defloratæ. Hinc si hæc moriatur, adstringitur denuo voto totaliter. Mihi videtur tamen consultius in hoc casu petere a Sacra Pœnitentiaria voti dispensationem, ut sancte, & secure nubat.

18. Quandonam obligant sponsalia, quæ non determinant tempus futuri matrimonii?

Resp. Probabile non videtur, quod docet Coninch, obligare eadem die; tum quia praxis communis Ecclesiæ est contraria; tum quia inutilis sic foret promissio de futuro. Puto ergo obligare, quando alteruter ex sponsis juxta prudentum æstimationem juste petit adimpletionem promissi. Hæc enim est natura debiti, ut obliget ad solutionem, tunc quando creditor rationabiliter petit satisfieri. Advertit Homobonus, si etiam neuter petat, & non sit justa causa dilationis, quamprimum sponsos celebrare debere matrimonium de præsenti; sic monuit apud ipsum Congregatio Cardinalium, Ordinarios id curare debere, ut quamprimum celebrentur matrimonia de præsenti, quo stupri periculum, aliaque peccata vitentur.

19. Hinc parentes impedientes filios, qui spon-

salia

salia ipsis insciis contraxerunt, ne celebrent matrimonium, peccant mortaliter, quia impediunt actum justitiæ, ad quem filii tenentur sub lethali. Si tamen propter maximam disparitatem sponsorum timenda forent scandala, dissensiones, & rixæ, ob familiæ dedecus, possunt licite impedire, etiam implorata Judicis, & Principis auctoritate; quia cum tale matrimonium adversetur charitati, & pietati, sine peccato contrahi nequit: ita Bertau, qui citat Sanchez, Navar. & Gutier.

20. Quinam tactus possunt permitti inter sponsos?

Resp. Illiciti tenendi sunt tactus conducentes ad copulam, cum enim illa sit illicita, ita etiam quidquid ad eam conducit. Hinc omnes contactus turpes etiam pro levi morula sunt peccatum mortale. Actus vero ordinati ad fovendum mutuum amorem, ut manuum contactus, non animo luxuriandi, permitti possunt; ita Boss. sicuti enim copula redditur honesta a matrimonio, ita actus isti cohonestantur a sponsalibus. Limita tamen cum Homobono, etiam istos diuturniores, & frequentiores admitti non posse, ne alterutri sponso sit pollutionis periculum. Hinc peccant mortaliter parentes, vel tutores, & custodes sponsæ, qui eam solam relinquunt cum sponso, propter dictum periculum, quod fere semper non sine peccato evenit.

21. Sponsalia clandestina suntne valida?

Resp. Affirmative, quia Concilium Tridentinum hanc conditionem apposuit matrimonio, non vero sponsalibus; & ut notat Alarius, sic declaravit Congregatio Cardinalium; nec quantum ad hoc peccant clandestine contrahentes, quia utuntur jure suo a nulla lege prohibito.

22. Si sponsus post sponsalia fornicetur, teneturne hanc circumstantiam aperire in confessione, quod sponsus sit?

Resp. Ex Homobono, non est conditio necessario exprimenda in confessione, quia injuria facta sponsæ prudentum judicio, & vulgi opinione, levis in sponso est, proinde non excedit limites venia-

nialis; Res autem e contra in sponsa se habet, cujus fornicatio est valde turpis, & gravis sponsi injuria, & exponitur periculo concipiendi, atque adeo injustitiæ erga futurum virum, qui prolem alterius nutriet tamquam suam.

23. Possuntne dissolvi sponsalia?

Resp. Affirmative; cum enim in sponsalibus non sit aliud vinculum, nisi mutuæ promissionis, sicuti hæc in genere dissolubilis est, ita & in sua specie. Neque enim sponsalia post Concilium Tridentinum secuta copula transeunt in matrimonium indissolubile, sicuti ante Concilium fere communis erat Doctorum opinio.

24. Per quas causas dissolvuntur sponsalia?

Resp. Ex Homobono, primo per mutuum sponsorum consensum, etiam si fuerint jurata, etiam ad modum voti; ut accidit, cum quis, ob pietatem, pauperi fœminæ cum juramento promisit. Debet autem adverti, quod ipsa libere consentiat in dissolutionem, non vi, non metu inducta. Secundo, per ingressum alterius in Religionem, per votum simplex castitatis, & Religionis, per susceptionem Ordinis Sacri, per matrimonium cum alia contractum; hæc enim sunt vincula fortiora, quæ destruunt vinculum minus forte. Quod autem in ingrediente Religionem non sit expectanda professio, sicuti in matrimonio rato, puto certum, quia si egrediatur, fit notabiliter vilior, neque quis tenetur amplius cum illo ducere. Tertio, superveniente affinitate, vel cognatione spirituali. Quarto, si quis proficiscatur in longinquam regionem, & tempore statuto pro matrimonio non redeat. Quinto, si morbus contagiosus, vel notabilis superveniat deformitas. Sexto, si quis fornicetur cum alia: Item si fornicatio præcessit sponsalia, sed tunc fuit ignota, & postea dubitet, an tempore sponsalium ita fuisset erga sponsam captus amore, ut eam despondisset etiam defloratam ab alio. Septimo, propter morum asperitatem alterius conjugis, qui dignoscatur crudelis, durus, & asper. Tandem ob amissionem alicujus

cujus rei promissæ, & conditionis non impletæ; & quæcunque evenire potest causa rationabilis, quæ si nota fuisset ante sponsalia, hæc contracta non fuissent.

25. Si sponsus, & sponsa fornicentur cum exteris, compensaturne debitum debito, itaut neuter resilire possit.

Resp. Ex Homobono, negative, sed adhuc sponsus recedere potest, quia fornicatio sponsæ est notabiliter vilior.

26. Qui post celebrata sponsalia contraxit impedimentum dirimens, teneturne petere dispensationem?

Resp. Si studiose & culpabiliter contraxit impedimentum, tenetur petere dispensationem, quia cum culpabiliter factus sit impotens in præjudicium alterius, tenetur a se removere impedimentum, ut alteri injuste læso satisfaciat: nisi forte hoc fieri nequeat, nisi magnis sumptibus: quia quis non tenetur cum tam gravi incommodo satisfacere, cum prius teneatur erga se, quam erga alium. Si autem inculpabiliter hoc evenit, ad nihil tenetur. Hinc studiose quærere incursum impedimenti ad dissolvenda sponsalia est peccatum, quia est se velle reddere impotentem ad satisfaciendum obligationi contractæ.

27. Quisnam est Judex ordinarius in causa dissolutionis sponsalium?

Resp. Est Episcopus, aut ejus Vicarius, aut delegatus ab Episcopo, qui re cognita, & stabilita sponsalium dissolutione, cogere debet ad restitutionem eorum, quæ causa sponsalium sponsæ forte tradita sunt. Ita Homobonus, negans Parochum esse Judicem competentem, cum in foro exteriori jurisdictionem non habeat. Si autem causa rescindendi sit manifesta, & absit scandalum, non est, cur Judicis attendatur sententia.

S E C T I O II.

De essentia Matrimonii, ut contractus, & ut Sacramentum est.

1. Quid est Matrimonium?

Resp. Ut contractus, est conjunctio legitima maritalis viri, & fœminæ inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem fervans; ut Sacramentum vero, est Sacramentum consistens in legitima conjunctione maritali viri, & fœminæ &c. Sic Summistæ. Melior tamen mihi videtur definitio Bonacinæ, nimirum: Est contractus legitimus indissolubilis inter marem & fœminam, per quem mutua corporum potestas traditur, & acceptatur reciproce, ac gratia sanctificans confertur.

2. Quænam est materia, & forma hujus Sacramenti?

Resp. Ex Diana, materia est mutua corporis traditio, forma mutua eorundem acceptatio aliquo signo exteriori manifestata coram Parocho, & Testibus, qui solum requiruntur ut conditiones a Concilio Tridentino legitime impositæ. Non est necesse signa externa manifestantia internum consensum esse verba, sed possunt etiam esse nutus, & alia signa humano modo, sed clare consensum exprimentia; nullum enim est præceptum de consensu verbaliter explicito. Hinc Diana rejicit sententiam Pontii, & Rodriq. qui volunt peccare mortaliter exprimentem consensum per nutum, cum possit per verba.

3. Quisnam est Minister hujus Sacramenti?

Resp. Ministri sunt contrahentes, qui ideo debent esse in gratia, ut conficiant, & recipiant digne hoc Sacramentum. Non est necesse, ut contrahentes recipiant prius Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; sed solum hoc est de consilio Concilii Tridentini, quod hortatur conjuges, antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, ut prius suscipiant Eucharistiam, & Pœniten-

 tiam.

tiam. Hinc causa efficiens hujus Sacramenti est contrahentium consensus extrinsece manifestatus. Parochus vel Sacerdos ab eo deputatus est minister benedictionis nuptiarum.

4. Quinam sunt hujus Sacramenti effectus?

Resp. Augmentum gratiæ sanctificantis, & etiam alia dona gratiæ ad perficiendum amorem conjugalem, & indissolubilem unitatem inter conjuges, ad frænandam indecentem concupiscentiam, & ad rectam prolis educationem.

5. Quid est Matrimonium ratum, quid consummatum?

Resp. Ratum est illud, quod legitime celebratum est coram Parocho, & Testibus: consummatum est illud, quod completum est per copulam perfectam in vase legitimo, interveniente saltem viri seminatione: & ab hoc proprie significatur indissolubilitas.

6. Estne necesse, Matrimonium inter fideles esse semper Sacramentum?

Resp. Cum Diana, non constat ex Patribus, & Conciliis, & communi Doctorum auctoritate hæc necessitas, itaut Christus Dominus ita Matrimonium instituerit, ut in eo ratio contractus, & Sacramenti sint inseparabilia; sed elevavit solum contractum ad rationem superiorem Sacramenti, non tamen destruxit, quod erat inferius. Hinc primo rudes, nescientes Matrimonium esse Sacramentum, proinde non habentes intentionem faciendi rem sacram, validum Matrimonium in ratione contractus perficiunt, non illa Sacramenti, hinc secundo, Matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem cum dispensatione, Sacramentum non est, & secundum plures, nec Matrimonium contractum inter fideles per Procuratorem. Neque existimo veram sententiam eorum, qui putant Matrimonia infidelium ad fidem conversorum in Baptismi susceptione evadere Sacramentum. Hæc tamen acuta & alias pure speculativa non sunt mei instituti.

7. Consensus tacitus sufficitne pro vero Matrimonio,

nio, puta si præsentibus, & tacentibus filiis parentes contrahant?

Resp. Cum Pontio, negative, quia fieri potest, ut filii taceant ex metu reverentiali, & isti consensus taciti pluribus inconvenientiis aditum præbeant, & reclamantibus contrahentibus mortuo parente, qui pro se ipsis respondit, facile Matrimonium declararetur nullum. Meo ergo videri Parochus instare debet, ut filii ipsi respondeant: sunt enim illi, qui se ligant, neque quoad hoc parentum subduntur voluntati. Alarius tamen *verbo Matrimonium n. 8.* putat cum pluribus, sufficere consensum tacitum, & adducit auctoritatem Bonifac. *cap. unico de Sponsalibus impuberum in 6.* Verum caput illud est de sponsalibus, quæ cum dissolubilia sint, non requirunt tantum consensum; sicuti patet etiam de ætate; quod enim sufficit ad minus, non ideo sufficit ad majus. In hac sententia est Bonacina, qui vult sufficere ad Matrimonium; ut pro verecunda puella respondeat alter, etiam extraneus: quod tamen mihi videtur intolerabile.

8. Qui ficte contraxit Matrimonium sine animo contrahendi, teneturne postea contrahere ex animo?

Resp. Sanchez tenet negative, si nullum sequatur damnum fœminæ ductæ: quod vero non sequatur damnum, puta puram speculationem; si enim cum ea habitet, & multo magis sequatur copula, quis non videt damna esse inseparabilia, & de natura sua sequi? Puto ergo, quod sicut qui laborant impotentia perpetua, tenentur separari, ut habetur ex motu proprio Sixti V. de Matrimonio Eunuchorum, adducto ab Homobono, *tr. 13. c. 11. resol. 1.* & quidem, ut fugiant periculum incontinentiæ, si maneant in eadem domo, dormiant in eodem lecto, sequantur oscula & tactus, vel etiam semel morosa delectatione cadant: ita mihi videtur, quod cum hoc periculum inevitabile sit ab eo qui ficte contraxit, teneatur postea ex animo contrahere, ne in tot Dæmonum laqueos cadat: nihilominus sententiam contrariam vide apud Dianam, Sanchez, & Laym.

Adverte tamen cum Alario citante Navar. *hic verbo Matr. n.* 341. quod quando quis ficte consentit in Matrimonium, si semel accedat animo maritali ad uxorem, & cum ea copulam habeat, statim purificatur fictus consensus, & evadit verum & indissolubile Matrimonium.

9. Quomodo quis renovare debet fictum consensum, ut valide contrahat cum ea, cum qua antea ficte contraxerat?

Resp. Si defectus hujus consensus factus sit publicus, & sufficientibus argumentis & indiciis probatus, renovandus est coram Parocho, & duobus testibus, ita Homobonus *tr.* 13. *c.* 10. *assert.* 2. qui affert pro hac sententia responsum Clementis VIII. Si autem publicus non sit, immo alter conjux hunc defectum ignoret; debet novus utriusque consensus interesse; nec sufficit, ut putavit Sanchez, quod ille tantum, qui ficte contraxit, vere consentiat; ita enim declarasse Clementem VIII. Rectori Pœnitentiariæ Societatis, testatur Diana.

10. Sufficitne ad Matrimonium consensus conditionatus, v. gr. contraho tecum, si Pater tuus consentiet?

Resp. Theologi fere omnes volunt hanc formam contrahendi nullam esse, quia hoc modo videtur coincidere consensum matrimonialem cum illo sponsalium, qui est de futuro, non de præsenti: & etiam quia Matrimonium, sicuti omnia Sacramenta, non potest pendere a conditione purificanda. Verum Canonistæ contrarium sentiunt, & putant Matrimonium, sicut alios contractus conditionales, purificata conditione, sine novo consensu tenere, & ligare: & hoc probabile etiam puto, dummodo tamen conditio purificetur coram Parocho, & Testibus, vel Parochus & Testes cognoscant conditionem impletam esse; hoc enim post Trident. indispensabiliter requiritur.

11. Debentne arceri a Matrimonio ignorantes Pater, Ave Maria, & Credo?

Resp. Cum Diana, arcendi non sunt; ignorantia enim

enim a nullo jure reddita est Matrimonii impedimentum; neque Episcopi in Synodis possunt addere nova impedimenta. Possunt tamen sic ignorantes ad aliquod breve tempus impedire, ne contrahant, ut attentius & celerius addiscant Rudimenta Christiana.

12. Quænam ætas requiritur ad Matrimonium?

Resp. Ex Sacris Canonibus, requiritur in muliere ætas duodecim annorum, in viro quatuordecim; & quidem completorum; hæc autem ætas metitur jure ex pubertate, scilicet ex vigore naturali ad copulam requisito; & proinde si hic vigor quandoque ætatem statutam præcedat, tunc dicitur malitia ætatem supplere. Hoc ergo dictum intelligi debet de vigore corporis, non de vigore mentis, qualis est discretio, & cognitio sufficiens ad distinguendam conjugum obligationem: hoc enim evenire potest maxime in fœmina in septennio, cum qua tamen sentit Alarius Matrimonium non valere, nisi esset multum doli capax, & discreta. Hinc si impuberes nondum ad talem ætatem perventi, & in quibus malitia non supplet ætatem, contrahant, invalidum erit Matrimonium; & ne quidem adveniente pubertate Matrimonium convalesceret, nisi per copulam subsecutam, vel per aliquem alium modum constet contrahentes ante pubertatem perseverasse cum eadem voluntate in pubertate.

13. Quale peccatum est ante legitimam ætatem contrahere?

Resp. Est mortale, quia verba Canonum continent præceptum, non consilium; notat enim Pontius: quod ibi habetur, *Districtius inhibemus*: & quia se exponunt contrahentes periculo faciendi Sacramentum nullum, in materia scilicet inepta. Guttierez tamen cum pluribus sentit, in alia urgentissima causa, v. g. pro bono pacis, convenire, ut dispensentur ab Episcopo, & talis conjunctio toleretur. Adverte cum Rossignolio *de Matrimonio secundo prænotat.* 17. quod a parte ante stabilitur ætas, a parte post nulla stabilitur; quia, quantumvis quis senescat, semper

supereſt igniculus, qui poteſt aliquo modo excitari, puta medicamentis; & ſic de inepto ad generandum fiet aptus. Vires enim, ut ipſe ait, ſunt extenuatæ, non extinctæ; unde remanent arte medicinæ conſolidabiles, & ad copulam coaptabiles.

14. Eſtne Matrimonium indiſſolubile?

Reſp. Matrimonium, ſive ratum ſit, ſive conſummatum; eſt indiſſolubile, non tamen eodem modo, quia Matrimonium conſummatum, ſi validum eſt, in nullo caſu poteſt diſſolvi, etiam ab auctoritate Pontificia; immo plures Auctores volunt etiam in caſu copulæ factæ per vim, Matrimonium diſſolvi non poſſe, & quod uno conjuge Religionem ingrediente, altera non maneat libera, ut poſſit vivente viro alteri nubere. Alteri exiſtimant violentam copulam non nocere. Utraque ſententia ab Alario exiſtimatur æque probabilis.

15. Matrimonium ratum urgente gravi neceſſitate a Summo Pontifice diſſolvi poteſt: & ut affirmant plures Doctores, Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. & Pius IV. diſpenſarunt de facto. Diſſolvitur etiam per ſolemnem Profeſſionem Religioſam, qua peracta, non antea, poteſt alter conjux ad ſecundas nuptias convolare. Non diſſolvitur neque per Ordinem Sacrum, neque per dignitatem Epiſcopalem, aut ea majorem, quia jura de ſola Profeſſione Religioſa loquuntur: & quidem Profeſſio debet eſſe in Religione, in qua tria ſubſtantialia vota emittuntur, licet ſit equeſtris, ut Melitenſis; de Religione enim, ut ſic, eſt Privilegium Canonis. Quare autem Matrimonium ratum ſit diſſolubile, eſt, quia ſignificat unionem Chriſti per gratiam cum anima juſti, quæ diſſolubilis eſt: conſummatum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ indiſſolubilis eſt.

16. Qui ante Matrimonium cognovit ſponſam ſuam, celebrato Matrimonio habetne bimeſtre ad cogitandum de electione ſtatus Religioſi?

Reſp. Certum eſt, poſt Matrimonium ratum poſſe alterum ex conjugibus negare debitum, hoc enim beneficium conceſſum eſt pro dignitate, & excellentia

ſtatus

ſtatus Religioſi adhuc eligibilis ab eo, qui intra bimeſtre nondum Matrimonium conſummavit; quo elapſo, vel debet Religionem ingredi, vel ſub lethali reddere debitum alteri petenti: ad caſum ergo dic, copulam, quæ anteceſſit Matrimonium ratum, non tollere privilegium electionis ſtatus; non enim eſt copula Matrimonialis, antequam exiſtat Matrimonium, & ideo quantum ad hoc quis remanet plene liber.

17. Poteſtne contrahi Matrimonium inter abſentes per Procuratorem?

Reſp. Affirmative, eſt enim contractus perfectibilis eodem modo, quo cæteri: requiruntur tamen iſtæ conditiones; primo, ut Procurator habeat ſpeciale mandatum ad hoc numero Matrimonium, nec ſufficit generale ad negotia, vel ad uxorem in genere: ſecundo, ut Procurator contractum hunc per ſe efficiat, nec poteſt alterum ſubdelegare, niſi hoc ſit ei ſpecialiter injunctum; tertio, ut, tempore illo, quo contrahit Procurator, non ſit revocata poteſtas a principali; & hoc intelligitur, etiamſi revocatio mandati non innoteſcat Procuratori, vel etiamſi præſtitum ſit juramentum de non revocando mandato; hoc enim, ajunt Doctores, eſt ſpeciale contractui Matrimoniali. In Procuratore contrahente nomine alterius, non eſt neceſſe, ut ſit in gratia: neque enim conficit, aut miniſtrat Sacramentum: qui autem facit mandatum, debet eſſe in gratia eo tempore, quo probabiliter alius ſuo nomine contrahit: & quidem ſub lethali.

SECTIO III.

De Divortio.

1. QUid eſt Divortium?

Reſp. Viri ab Uxore, aut Uxoris a Viro legitima ſeparatio; & multipliciter fit: aut enim dividitur in totum, ita ut uterque poſſit ad alia ſponſalia tranſire, ut evenit in laborantibus impedimento

perpetuo ad copulam, puta maleficiatis; aut dividitur in partem, id eſt quoad mutuam cohabitationem, & petitionem, ac redditionem debiti, ſine licentia contrahendi. Separatio a copula ex mutuo conſenſu ad tempus, ut liberius quis vacet orationi, inſinuata a D. Paulo, divortium non eſt; hæc enim ſeparatio oritur ex devotione, non ex mentium diviſione; divortium autem ex Homobono dicitur ex diviſione mentis, & corporis, quæ ex aliqua cauſa divertuntur ad alia, & amplius unita non remanent.

2. Divortium quoad mutuam cohabitationem, & totum, quibus ex cauſis licitum eſt?

Reſp. Ex Homobono; primo, ob ſævitiem Mariti, qui nimis rigide, & injurioſe ſe gerit erga Uxorem, eam etiam levibus de cauſis graviter verberando. Secundo, ob adulterium alterutrius conjugis, propter quod innocens poteſt ſe ſeparare; frangenti enim fidem fides ſervanda non eſt. Tertio, ob nefandum crimen mariti, ſive activum, ſive paſſivum. Quarto, ob beſtialitatem, vel quodcunque aliud vitium luxuriæ, propter quod fiat carnis diviſio, & ea alteri communicetur. Quinto, ſi vel in Hæreſim incidat, vel Paganiſmum, vel Judaiſmum. Sexto, ſi furore laboret. Septimo, ſi Maritus inducat Uxorem ad peccandum cum alio: non enim cum graviſſimo animæ, vel corporis diſcrimine tenetur Mulier habitare cum Marito ſceleſto. Adverte tamen, pias Uxores perditos Viros patientia, tolerantia, atque virtutum exemplo ad meliorem frugem traduxiſſe, ſicuti legitur de S. Monica reſpectu Viri ſui.

3. Per alia peccata carnis traditurne ſufficiens cauſa legitimæ ſeparationis inter Conjuges?

Reſp. Negative, quia tunc perfecte fides Matrimonii non violatur, neque fit perfecta carnis diviſio; Adde, leges pro adulterio extendendas non eſſe ad alia peccata adulterio minora. Hinc nec per oſcula, & tactus, etiam facta ad finem adulterandi, neque per molitiem completam, ſive adminiculo proprio, ſive alieno, extra omne vas; neque per copulam imperfectam abſque ſeminatione intra vas; neque

neque per concubitum cum fœmina, vel bestia mortuis, aut cum statua: neque per copulam sodomiticam cum propria Uxore; si tamen Vir admonitus ab hac desistere nollet, posset, ut dixi, Mulier separari, ne ad tam enorme peccatum pertrahatur.

4. Quid requiritur ad hoc, ut separatio ob adulterium commissum fiat propria auctoritate?

Resp. In foro externo requiritur adulterium publicum, & notorium, ut habetur *cap. significasti de divortiis*, vel ut habet Alarius verbo *divortium n.* 4. ut suspicio sit talis de adulterio, ut apud prudentum existimationem habeatur pro certitudine, verbi gratia, quia soli in secretis se osculantur, tangunt, & ibi manent ad multum tempus. In foro autem conscientiæ non sufficit adulterium secretum, quia delictum occultum publica pœna puniri nequit. Deinde si hoc sufficeret, nimis lata panderetur via ad hujusmodi divortia frequenter facienda cum scandalo totius Civitatis.

4. Teneturne Maritus conscius adulterii suæ Uxoris eam dimittere, & viceversa Uxor virum?

Resp. Cum Alario, mulier non tenetur virum adulterum dimittere, quia non suum est virum corrigere, & punire. Neque maritus uxorem, ut habet D. Thomas, quia verberibus, & reclusione potest corrigere. In duplici tamen casu videtur teneri: primo, cum vir per hujusmodi dimissionem speraret certam correctionem fœminæ, unicuique enim præcipitur cura de proximo suo. Secundo, cum vir censetur fautor, & protector adulterii. Verum scandalo occurri potest eam corrigendo, & monendo publice: item moderate puniendo. Et spes salutis per dimissionem est omnino vana; tunc enim liberius adulterabit. Primæ ergo responsioni ex Alario standum erit.

6. Si uterque adulterium commiserit, una tamen publice, & alius secreto, poteſtne in foro conscientiæ secretus adulter dimittere publice adulteratam?

Resp. Negative ex Alario; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur; immo adulter occultus

peccat ex D. Thoma, accusando publice adulterantem, & tenetur concedere veniam, si illa petet; nisi tamen adulterium secutum sit, & quidem occultum, tantum post divortium. Item si quis ab adultera petat debitum, videtur ei reconciliatus, & amittit jus eam dimittendi, nisi denuo adulteret.

7. Teneturne innocens fœminam dimissam, & correctam iterum reassumere?

Resp. Licet valde conveniens sit, ut pœnitens reassumatur ad pristinam cohabitationem, tamen adhuc in foro conscientiæ non tenetur; quia separatio facta fuit ex legitima causa, non tantum ad hunc finem, ut mulier corrigatur, & emendetur, sed quia facta est carnis divisio, & propter fidei fractionem fides amplius ei servanda non est. Ex opposita ratione, adultera dimissa tenetur ad virum accedere, si eam revocet: lex enim divortii est in favorem innocentis, non autem rei. Nota tamen cum Navarro, quod si innocens divisus non potest continere, absolvendus non est, nisi reconcilietur; ita Alarius n. 13.

8. Si vir sit causa adulterii uxoris, potestne eam dimittere ob adulterium?

Resp. Si vir sit causa directa adulterii, & eam prostituat, amittit jus dimissionis, volenti enim, & consentienti nulla fit injuria: Item si vir adulterii conscius non prohibeat adulterantem, cum facile, & absque gravi damno possit, tunc enim per tacitum consensum ratum habet factum. Non est tamen eodem modo dicendum de uxore, quæ si tantum non corrigat virum adulterantem, non ideo censetur consentire ejus adulterio, quia ordinarie uxores non audent viros reprehendere. Si indirecte solum vir det causam adulterio, puta, quia non subministrat vestes pretiosas juxta suum statum, quia a domo ejicit propter aliquam inobedientiam, non ideo amittit jus dimittendi, si adulteret, istæ enim causæ sufficientes non sunt ad dandam ansam adulterio, cum fœmina mortem potius subire debeat, quam adulterare.

9. Po-

9. Poteſtne facto divortio ob adulterium, vel aliud crimen, & quidem ex Judicis ſententia, innocens tranſire ad Religionem, vel Sacros Ordines ſumere reclamante dimiſſa?

Reſp. Affirmative, quia illa nullum habet jus ad corpus innocentis dimiſſi, qui ideo poſt ſe votis, & Ordinibus ligaret: placet tamen ſequentes limitationes apponere, niſi innocens poſt divortium adulterium non commiſerit, aut ſi adulteratus ſit, etiam fuerit correctus, altera parte remanente incorrecta, licet admonita. Conjux ex crimine dimiſſa non poteſt ſine licentia dimittentis innocentis vovere caſtitatem in Religione. Adverte, quod ordinarie loquendo dimittere uxorem ob adulterium eſt pœna, quæ jure infligi nequit, niſi per Judicis ſententiam.

10. Poteſtne ex mutuo conſenſu divortium fieri, etiam nullo præcedente crimine?

Reſp. Si quis quærens conſenſum ad divortium, impetret, poteſt ingredi Religionem, & ibi emittere tria vota ſolemnia: ex Sacris Canonibus tamen, ut licite hæc diſſolutio fiat, primo requiritur, ut remanens in ſæculo ſit maturæ ætatis, ratione cujus periculum incontinentiæ non timeatur: hæc autem matura ætas non ſuſpecta periculi per Doctores eſt annorum ſexaginta, vel etiam minor, ſi infirma valetudo eum annorum numerum ſuppleat. Secundo, ut manens in ſæculo faciat votum ſimplex continentiæ. Si autem ſit juvenis, & ſuſpectus de periculo incontinentiæ, debet etiam ipſe Religionem ingredi, & ibi vovere. Addunt inſuper Doctores requiri conſenſum Epiſcopi ex Canone, *ſi Vir, & Uxor*: hic tamen conſenſus, licet requiratur ſub lethali, ſi deſit, non invalidat Profeſſionem ab utroque emiſſam.

11. Si quis, qui maturæ ætatis non eſt, permittat uxorem ſuam profiteri in Religione, poteſt manere in ſæculo?

Reſp. Negative; ſed debere cogi ad ingrediendam Religionem: ita enim habetur ex Concilio Rhemenſi, *Si quis uxorem ſuam velari permiſerit, aliam non*

accipiat, sed convertatur. Si autem quis dedit hujusmodi licentiam, ignorans obligationem Canonis ad Religionis ingressum, Professio talis Religiosæ erit invalida, adeoque erit restituenda, & remanebit cum voto simplici castitatis, potens reddere, & non petere; sic habetur ex Canone primo *de Convers. Conjugum*. Si etiam qui dedit licentiam ad Religionis ingressum, ante Professionem eam revocet, illa non poterit profiteri; & casu, quod profiteatur, Professio erit invalida, adeoque erit restituenda suo viro. Aliqui graves Doctores volunt, quod revocans sine causa peccet mortaliter, quod mihi videtur durum; utitur enim jure suo erga corpus, quod nondum transiit sub dominio Religionis, neque Deo sacratum est; sicuti enim qui ingreditur in Religionem, ante Professionem per solam voluntatis inconstantiam potest licite egredi, ita & permittens ingredi, mutans voluntatem poterit revocare permissionem.

12. Si aliquis infidelis convertatur ad fidem remanente conjuge in sua infidelitate, potestne divortium in totum facere, & ad alia vota transire?

Resp. Juxta regulam D. Pauli, si infidelis consentiat habitare cum illo, scilicet, sine blaspemia Christi, & sine periculo subversionis, infidelis non debet dimitti, sanctificatur enim mulier infidelis per virum fidelem: si autem in continua rixa, & discordia maneat cum periculo lapsus, remanet solutus, & poterit ad alia vota transire.

SECTIO IV.

De impedimentis Matrimonii non dirimentibus, sed impedientibus.

1. QUot sunt genera impedimentorum?

Resp. Sunt duo, scilicet non dirimentia, & sunt illa, quæ impediunt Matrimonium licite contrahendum, & si cum illis contrahat Matrimonium quis, peccat mortaliter, Matrimonium tamen est va-

est validum: dirimentia sunt illa, quæ impediunt Matrimonium, & si contrahatur, erit invalidum: Impedimentum ergo est quædam indispositio contrahentium, reddens Matrimonium, vel illicitum, vel invalidum.

2. Quot sunt impedimenta non dirimentia?

Resp. Sunt quinque, nempe, votum, interdictum, sponsalia, catechismus, & crimen; hoc autem ultimum subdividitur in sex species, scilicet uxoricidium, presbytericidium, incestus cum consanguinea suæ conjugis, aut etiam sua, ut volunt nonnulli, raptus alienæ sponsæ; cognatio spiritualis malo animo suscepta, ducere scienter Monialem, cui adde etiam septimam quoad tempus, scilicet solemnis pœnitentia. Potest Episcopus circa hæc criminum impedimenta dispensare; immo aliqui putant non obligare sub mortali, & esse per consuetudinem abrogata.

3. Quid est impedimentum voti?

Resp. Est votum simplex castitatis, vel non nubendi, vel suscipiendi Ordines Sacros; si tamen tale votum est validum, non vero si est cum circumstantiis illud irritantibus. Qui ergo contrahit Matrimonium cum uno ex his votis, illicite contrahit, & peccat mortaliter; est tamen in istis diversitas obligationum. Si quis habuit votum non nubendi, positis nuptiis peccavit mortaliter; & ad nihil aliud tenetur: Si quis vovit castitatem, vel ingressum Religionis, peccat iterum mortaliter consummando Matrimonium, quia post Matrimonium ratum, ante consummationem potest Religionem ingredi, & reddere Deo vota sua: Consummato tamen Matrimonio, qui vovit Religionis ingressum, ad nihil aliud tenetur vivente Uxore: si autem illa præmoriatur, tenetur iterum ad Religionis ingressum. Si quis vovit castitatem, potest tantum reddere, & non petere, quia tenetur votum observare, quantum potest; item præmortua conjuge tenetur ad votum. Doctores Societatis putant, vota simplicia castitatis, quæ in eadem Soci-

Societate emittuntur, esse dirimentia, si non dispensetur.

4. Quid est impedimentum interdicti?

Resp. Sub hoc nomine venit prohibitio ab Ecclesia, ne nubat. Qui sic prohibitus est ad nubendum, peccat mortaliter, si nubat; sed Matrimonium tenet: peccat etiam mortaliter, si Episcopus justis de causis prohibeat, ne talem ducat, facit enim contra præceptum Superioris mandantis, ne ducat, ad fugiendas rixas, & scandala inde secutura, proinde in re gravissima. Cum in quibusdam anni temporibus prohibentur nuptiæ, intelligitur de solemnitate nuptiarum, non vero de nuptiis simpliciter: qui autem sine gravissima causa eas adhuc celebraret non petita facultate, peccaret mortaliter contra consuetudinem legitime in Ecclesia introductam.

5. Quid est impedimentum sponsalium?

Resp. Est promissio facta alteri mulieri contrahendi cum ipsa; quibus sponsalibus non dissolutis si quis aliam ducat, peccat mortaliter, quia non adimplet promissionem validam alteri factam, cum gravi ipsius injuria.

6. Quid est impedimentum catechismi?

Resp. Est quædam spiritualis affinitas, quæ contrahitur imperfecte, eo quod quis respondeat illius cæremoniis, quæ antecedunt Baptismum: quapropter respondens dicitur susceptor in catechismo. Sanchez putat hoc impedimentum esse sublatum a Concilio Tridentino: & ideo Parochi, qui describunt Patrinum & Matrinam in Baptismo, nullam notam tenent de suscipiente in catechismo: & secundum hanc sententiam contrahens cum tali impedimento nullum peccatum committit.

7. Quid est impedimentum criminis?

Resp. Sunt plura crimina, quæ cum injuriosa sint, vel Ministro benedictionis Matrimonii, vel Ministro Sacramenti, ideo Reo prohibetur, ne contrahat. Primum est incestus cum consanguinea suæ uxoris, aut etiam sua usque ad quartum gradum: aliqui tamen volunt, post Tridentinum esse tantum usque ad gradum

secun-

secundum. Secundum est injustum uxoricidium, cum quis ex impetu iræ propriam uxorem occidit: si uxor occidat injuste Virum, potest sine ullo peccato alterum ducere, quia Canones loquuntur solum de uxoricidio, non de viricidio. Tertium est raptus alienæ sponsæ, seu uxoris: Quartum, cum quis suscipit proprium filium in Baptismo, seu Confirmatione, malo animo, scilicet, ut contrahat cognationem cum uxore sua. Quintum est Sacerdotis occisio declarata per Judicem. Sextum est, si quis Monialem acceperit in uxorem. Septimum est tempus solemnis Pœnitentiæ, quæ amplius non est in usu, vel saltem adeo frequens. Contrahere cum impedimento criminis esse tantum veniale tenet Bertau, qui citat pro se Cajetanum, Toletum, & alios, quia per consuetudinem inveteratam nulla pro ipsis petitur dispensatio.

8. Contrahiturne Matrimonium illicite, si fiat sine denuntiationibus?

Resp. Affirmative, nisi Episcopus, aut ejus Vicarius dispenset; & peccatur mortaliter, quia fit in re gravi contra Ecclesiæ præceptum. Sanchez cum pluribus censet mortale non esse unam omittere, quando quis certus est moraliter nullum esse impedimentum. Denuntiationes ex Concilio Tridentino sic faciendæ sunt: Primo, ut fiant in Ecclesia inter Missarum Solemnia; possunt tamen etiam fieri in Oratorio, vel juxta Ecclesiam & alio loco, ubi tamen confluit magnus Populus. Secundo, ut fiant a proprio Parocho, vel alio Sacerdote de ejus commissione, & licentia. Tertio, ut fiant in propria Parochia, & quidem utriusque contrahentis, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Quarto, ut fiant tribus diebus festivis, non immediatis, continuis tamen, idest, qui feriatis quidem diebus, non autem alio festo interpollentur.

9. Teneturne quis sciens aliquod impedimentum occultum illud revelare?

Resp. Ex Alario *verbo Matrim. n.* 35. si quis aliter non possit Matrimonium impedire, tenetur sub letha-

lethali revelare impedimentum secretum & occultum, etiamsi sit testis unicus, quia unicus sufficit ad Matrimonium impediendum, non ad dissolvendum jam contractum; etiamsi illud habeat sub sigillo secreti naturalis: non autem confessionis Sacramentalis; quia hic agitur de peccato vitando, non de delicto puniendo. Tenetur quoque, qui audivit a persona digna fide; qua non revelante, tu teneris revelare. Excusantur a revelatione impedimenti, qui noverunt contrahentes impetrasse dispensationem in foro conscientiæ; item qui audivit a non fide digno: qui non recordatur, a quo audiverit, vel etiam si mortaliter certus sit se nihil profuturum; item etiam si timeatur magnum scandalum, vel damnum revelanti, tacere debet, licet possit probare, & præcipiatur revelatio sub comminatione excommunicationis. Hæc omnia Alarius citans præcipue pro se Navarrum, & Sanchez.

§. 10. Si contrahens interrogetur de impedimento occulto, teneturne illud revelare?

Resp. Vel revelare debet, vel a Matrimonio abstinere; si autem dispensationem pro foro conscientiæ impetraverit, poterit non fateri; nisi aliunde habeat sufficientem probationem. Ita Bonacina.

11. Quid debet facere Parochus, qui scit impedimentum dirimens Matrimonium ex confessione alterius conjugis?

Resp. Extra confessionem admonere non debet, cum ratione sigilli inviolabilis non possit uti scientia confessionis. In confessione autem conari debet, quantum potest, ut suspendat Matrimonium, donec obtineatur dispensatio. Si ob imminens scandalum neque hoc valeat impetrare, debet conari suadere contrahentes, ut contrahant sub hac conditione, si Papa dispenset, & habeant animum solum cohabitandi ut fratres, donec accedente dispensatione iterum contrahant coram Parocho & Testibus.

SECTIO V.

De impedimentis dirimentibus.

1. QUot sunt impedimenta dirimentia?

Resp. Sunt quatuordecim, duodecim scilicet de jure antiquo, contenta in his carminibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

De jure novo sunt *raptus*, *& absentia Parochi; & duorum Testium.*

2. Quid est impedimentum erroris?

Resp. Error duplex est, alius quoad substantiam; seu identitatem personæ: alius vero quoad personæ qualitatem. Primus error invalidat Matrimonium, quia tollit consensum, qui est causa efficiens necessaria Matrimonii; secundus error non irritat, quia non tollit consensum, sed solum minuit affectum, & vehemens desiderium ducendi talem, quam putat virginem, pulchram, divitem, nobilem, cum tamen talis non sit, non tollit consensum simpliciter, quia quis consentit in talem personam, Parocho, & Testibus præsentibus.

3. Si quis putet ducere Petrum, & Paulus sit: ducere Primogenitum Principis, & sit Secundogenitus; talis error dirimitne Matrimonium?

Resp. Ad primum ex Toleto, & Sanchez, talis error dirimit Matrimonium, quia cadit supra substantiam, & identitatem personæ, circa quam decepta non consentit; habet enim intentionem ducendi Petrum, non Paulum, qui Petrum se finxit. Ad secundum respondeo cum distinctione; si ducens movetur ad ducendum Primogenitum, qua Primogenitus est, talis error licet sit qualitatis, quia tamen incidit in errorem personæ, quam intendit ducere, Matrimonium est nullum; si autem intendat ducere eum, quem præsentem habet, & ex errore credat Primogenitum, talis error non dirimit, quia consensus

fertur

fertur in personam, non in qualitatem personæ; quæ solum concomitanter se habet ad illam. In tali ergo casu examinandum est motivum, & affectus consentientis.

4. Quid est impedimentum conditionis?

Resp. Est ignorantia disparitatis conditionis quoad hoc, quod liber putans se ducere liberam, revera ducit servam legalem, seu mancipium. Si autem sciat illam esse servam, & adhuc velit ducere, Matrimonium erit validum; cum enim in hoc casu inæqualitas conditionis sit cognita, & volita, nulla fit ei injuria, ratione cujus Ecclesia hoc impedimentum apposuit, ut contractus sit justus, habens æqualitatem corporum se mutuo obligantium. Hinc si quis contrahat cum libero, qui antecedenter fuit in servitute, a qua se liberavit, Matrimonium tenet, quia corpora tunc, quando obligantur, sunt æqualis conditionis, licet antecedenter non fuerint; quod ad nihil inservit.

5. Si servus contrahat cum libera, quam servam putat, estne validum Matrimonium?

Resp. Affirmative, quia conditio errantis ex errore non fit deterior, sed melior. Hoc autem impedimentum est ad evitandam injustitiam, quæ nulla est, cum putatus deterior invenitur melior.

6. Possuntne servi ad invicem contrahere, vel etiam cum liberis non ignorantibus eorum conditionem, si dominus contradicat?

Resp. Affirmative, quia hoc impedimentum non est in favorem dominorum, sed contrahentium: debet tamen advertere, si dominus sit invitus, quod non eximuntur titulo matrimoniali a servitiis, quæ ipsi præstare debent. Hinc cum simul concurrant obligatio debiti conjugalis, & obligatio servitii domino præstandi, præferri debet dominus, qui cum non consenserit in Matrimonium, nihil de emolumento servitutis deperdere potest. Addunt Doctores, si jactura domini sit tenuis, & ex parte conjugum sit periculum incontinentiæ, tunc potius conjugi, quam Domino serviendum est, & in dubio est inclinandum in favorem Matrimonii.

7. Si

7. Si dominus consentiat, ut ejus servus contrahat cum libera, servitutem ignorante, emancipatne eo ipso servum?

Resp. Affirmative, ut colligitur ex authentica *de Nuptiis, c. 1. §. si vero ab initio*, quod etiam ex eadem authentica extenditur, cum dominus sciens servum velle contrahere cum libera, servitutem ignorante, dolose tacet, nec revelat, sed studiose occultat servitutem: tunc enim cum cooperetur injuriæ, quæ fit conjugi liberæ, in pœnam talis injustitiæ, punitur a lege servi emancipatione.

8. Si dominus contrahat cum serva, hæc vi talis contractus acquiritne libertatem?

Resp. Affirmative, quia qui vult fieri una caro cum serva, eo ipso amittit rationem dominii, & fit socius illius: cum repugnet juri naturæ socium esse servum.

9. Potestne quis vendere servum conjugatum in loco distanti, ubi nequit cum sua conjuge existere, & uti matrimonio?

Resp. Si servus contraxit cum permissione domini, eum sic vendere amplius non potest; concesso enim Matrimonio, quod est principale, conceditur commoditas utendi, quod est accessorium. In tali ergo venditione, cum faceret contra suam concessionem, injuste ageret retractans, quod jam libere concessum est. Si autem servus contraxit domino invito, adhuc ex Divo Thoma injuste ageret, quia nimirum cum peccet impediendo, ne contrahant, a fortiori peccat impediendo ne utantur Matrimonio contracto. Contraria sententia non sine probabilitate plures habet fautores.

10. Quid est impedimentum voti?

Resp. Est votum solemne castitatis emissum in Religione approbata, aut in susceptione Ordinis Sacri, aut etiam emissum a Patribus in Societate Jesu.

11. Quid est cognatio?

Resp. Cognatio dirimens Matrimonium triplex est, nempe carnalis, legalis, & spiritualis. Cognatio carnalis, quæ dicitur consanguinitas, est conjunctio multo-

multorum ex eodem stipite & sanguine descendentium: in primo gradu dirimit Matrimonium de jure naturæ, & usque ad quartum gradum de jure positivo. Legalis est proximitas quædam proveniens ex adoptione alicujus in filium. Spiritualis est proximitas, quæ contrahitur ratione Baptismi, vel confirmationis; de qua supra, ubi de Baptismo, sufficienter diximus.

12. Quid est stipes?

Resp. Est persona illa, ex qua omnes, de quarum cognatione quæritur, per sanguinem descendunt, & originem ducunt.

13. Quid est linea?

Resp. Est ordinata series personarum consanguinearum deducta a stipite, secundum quam magis propinquus capiti & stipiti præponitur, & successive alii eo ordine, quo distant, postponuntur. Et hæc linea duplex est, alia recta, alia transversa, seu collateralis.

14. Quid est linea recta?

Resp. Est illa, secundum quam multæ personæ descendunt a stipite immediate, vel mediate, itaut sit una ab alia genita, ut filius a patre, nepos a filio &c. & hæc recta linea, quædam est ascendentium, in qua continentur personæ, a quibus originem trahit stipes, & caput, a quo per sanguinem descendunt alii, ut Pater, Avus, Proavus, Atavus: alia descendentium, quæ complectitur personas originem ab eo stipite trahentes, ut Filios, Nepotes, & Pronepotes, Abnepotes.

15. Quid est linea collateralis?

Resp. Est illa, secundum quam multæ personæ a communi stipite, sive mediate, sive immediate, procedunt: ipsæ autem personæ a se invicem non descendunt, ut sunt fratres, eorum filii, Patruus, & Amita.

16. Quid venit nomine gradus?

Resp. Est talis distantia personarum sanguine junctarum, quo cognoscitur, quanta sit proximitas, vel distantia inter illas personas, quæ in linea inclu-

dun-

duntur. Pro hac autem commodius dignoſcenda; dantur tres regulæ, una ſcilicet pro linea recta, & duæ pro transverſali.

17. In linea ergo recta, quot ſunt perſonæ in linea, tot gradibus diſtant inter ſe, una dempta; ſic Pater, & Filius dicunt conſanguinitatem in primo gradu; Nepos, & Pater in ſecundo gradu: in hoc non eſt difficultas, & conveniunt jus Civile, & Canonicum. Ratio enim eſt evidens, tot enim ſunt gradus, quot ſunt generationes; cum autem una generatio non poſſit eſſe minus quam inter duos, tot erunt gradus, quot ſunt perſonæ, una dempta, ſcilicet ſtipite, & capite, quod toti generationum ordini ſupponitur.

18. In linea transverſali æque diſtantium a ſtipite, quot gradibus perſonæ diſtant a communi ſtipite, tot diſtant inter ſe; ſic duo fratres ſunt in primo gradu, & filii fratrum in ſecundo gradu. In linea transverſali inæqualiter diſtantium: eo gradu diſtat inter ſe, quot gradibus perſona remotior diſtat a communi ſtipite: hinc ſi duo conſanguinei ita ex. gr. diſtent, alter ſcilicet quatuor gradibus, & alter quinque, poterunt in Matrimonio jungi, quia tunc attenditur gradus conſanguinitatis juxta diſtantiam remotiorem a ſtipite, cum tunc cenſendi ſint ambo conſanguinei in quinto gradu.

19. Utrum de jure naturæ ſit irritum Matrimonium in primo gradu lineæ transverſæ, ſcilicet fratris cum ſorore, hoc ſpeculativum eſt, neque ad nos pertinet; certum eſt tamen in hoc gradu Summos Pontifices nunquam diſpenſaſſe; ſicuti, utrum in linea recta in infinitum extendatur impedimentum Matrimonii; & ſecundum hanc ſententiam, ſi Adam reſurgeret, cum nulla poſſet contrahere.

20. Quotuplex eſt adoptio?

Reſp. Duplex, alia imperfecta, quo adoptatus Principis auctoritate, non vero alicujus adoptantis electione, fit hæres illius, non ſecus ac ſi filius naturalis foret, & hæc nullum affert Matrimonio impedimentum; quia cum Matrimonium ſit res favorabilis,

bilis, jura afferentia impedimenta, potius restringenda sunt, quam extendenda. Alia est perfecta, & est voluntaria & libera assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem, ac si esset filius naturalis; est enim in supplementum successionis naturalis, & solet exprimi his verbis *Utinam esses meus filius*. Et hæc proprie est, quæ constituit impedimentum dirimens.

21. Inter quas personas ponit impedimentum dirimens cognatio legalis?

Resp. Primo inter adoptantem, & adoptatum, & inter adoptantem, & filios adoptati usque ad quartum gradum; & hæc est quasi linea recta cognationis legalis, ut ita adoptans gerat vices stipitis, & capitis. Præterea inter filios adoptantis, & adoptatum; & hæc est quasi linea transversalis cognationis legalis. Ultimo inter uxorem adoptantis, & adoptatum, & inter uxorem adoptati, & adoptantem, & hæc est ad modum affinitatis. Hoc impedimentum est solum de Jure Ecclesiastico, nullo modo vero de Jure naturali.

22. Quænam sunt conditiones legitimæ adoptionis?

Resp. Plures; & primo, ut adoptans sit sui juris, nec minor viginti quinque annorum; secundo, ut sit senior adoptato, itaut, quantum est ex parte adoptati, possit esse Pater naturalis adoptans; tertio, ut adoptans sit masculus; fœmina enim non potest adoptare, nisi ex privilegio; quarto, ut adoptans habeat potentiam generandi: quare, qui nascitur sine virilibus, adoptare non potest: bene tamen, qui gladio secti & eunuchi facti sunt: impotentia enim hæc ad generationem consequitur per accidens, non autem per se ad personam adoptantis. Hinc infert Basseus, quod etiam Sacerdos adoptare potest.

23. Quot modis solvitur adoptio?

Resp. Pluribus; & primo morte naturali, vel civili adoptantis, ut si damnetur ad metalla, vel relegetur: secundo, si adoptans contrahat nuptias incestuosas; tertio, si adoptatus fiat Patricius, vel Episcopus, aut emancipetur.

24. Qua-

24. Quale est impedimentum criminis?

Resp. Est homicidii, & adulterii, altero ex his quatuor modis facti; primo, si aliquis durante Matrimonio habuit commercium cum uxorata, promittens eam ducere mortuo ejus viro, si talis promissio acceptetur, sive facta sit ante adulterium, ut dans causam adulterio, sive post: secundo, cum vir & fœmina conveniunt ad occidendum conjugem, ut inter se contrahant, & de facto occidunt, etiam nullo præmisso adulterio: tertio, cum unus conjugum occidit alterum animo contrahendi cum uxore occisi, hac nesciente, dummodo tamen intercedat adulterium cognitum ab ipsis adulteris. Hinc si occisor, quando commisit adulterium cum uxorata, nesciebat esse uxoratam, hoc impedimentum non oritur, quia, licet materialiter sit adulterium, formaliter vero, quantum ad cognitionem adulterantis, adulterium non est. Canones autem loquuntur de adulterio rigoroso, cognito ut tali. Ultimus casus, si quis post Matrimonium ratum cum una, contrahit Matrimonium cum alia, & consummat illud, sciente hac secunda uxore primum Matrimonium; non potest cum hac secunda contrahere, etiamsi prima præmoriatur. Quæ omnia vera sunt, si prima Matrimonia fuerint valida; non autem si fuerint solum putative talia, & jure nulla.

25. Quale est impedimentum disparitas cultus?

Resp. Est inter fidelem baptizatum, & infidelem non baptizatam, etiamsi sit Catechumena: Non autem inter fidelem, & hæreticum, qui baptizatus est. Si uxor & vir infidelis convertantur ad fidem, remanet eorum Matrimonium; si tamen fuit contractum sine impedimento contra jus naturæ: impedimenta enim juris Ecclesiastici non afficiunt infidelem. Si conversus ad fidem habeat plures uxores, debet primam retinere: si hæc converti nolit, potest eligere quamcunque ex aliis, quæ conversæ sint. Si nulla converti velit, & prima consentiat habitare cum eo sine injuria Creatoris, debet eam retinere; aliter remanet liber.

26. Quid

26. Quid eſt impedimentum vis, ſeu metus?

Reſp. Eſt, cum alter conjugum per violentiam, aut metum cadentem in virum conſtantem contraxit Matrimonium: quia violentia hæc & gravis metus tollunt libertatem conſenſus. Quapropter nonnulli docent impedimentum hoc non eſſe Eccleſiaſticum tantum, ſed naturale. Hinc metus levis, vel levitate mali, quod timetur, vel levitate timoris, quo malum grave leviter apprehenditur, non impediunt Matrimonium, quia quamvis minuant rationem liberi conſenſus: non tamen illum auferunt.

27. Quotuplex eſt metus gravis?

Reſp. Duplex, alius ſcilicet eſt metus gravis ab intrinſeco, & eſt ille, qui oritur a conſideratione gravis mali imminentis, puta mortis ſervitutis, & ſimilium. Alius eſt metus gravis ab extrinſeco, & eſt ille, qui oritur a viro conſtante, minante flagella, mortem, exhæredationem, pauperiem, & ſimilia. Et hic metus utique etiam dupliciter incuti poteſt; primo directe, & in hunc finem, ut extorqueatur conſenſus in Matrimonium; ſecundo indirecte, in alium finem, ſcilicet cui per accidens adjungitur conſenſus in Matrimonium; & hic utique metus non invalidat Matrimonium, cum non ſit cauſa conſenſus, ſed præciſe occaſio.

28. Qualis ergo metus eſt impedimentum dirimens Matrimonium?

Reſp. Eſt metus gravis ab extrinſeco, cadens in virum conſtantem, injuſte incuſſus, directe ad hunc finem extorquendi conſenſum in Matrimonium. Nota bene omnes tres particulas aſſignatas, ſcilicet ly ab extrinſeco, injuſte, & directe, ex attentione enim ad iſtas ſolvuntur omnes caſus; adverte inſuper, ut notat Alarius, licet quis ex tali violento metu conſentiat in Matrimonium, non tamen contrahit; quia talis conſenſus liber non eſt. Adverte etiam ex eodem, ſi viri metus ſit occultus, ſufficit ad validitatem Matrimonii, ut etiam ſi coactus, libere poſtea conſentiat, alterius conſenſu nondum revocato. Hinc Sanchez, & Coninch, & alii putant ſufficienter ſa-

nari per copulam spontanee habitam, dummodo affectu maritali habeatur, & etiam per spontaneam cohabitationem cum sponsa; qui enim recedere potest ab eo, qui vim intulit, & non recedit, satis indicat metum cessasse, & amoto metu voluntarie consentire Matrimonio; proinde eum ratificat, cum solum liber consensus, qui tunc ponitur, antea deficeret valori contractus.

29. Si stuprator in delicto deprehensus ob metum contrahat cum stuprata, valetne Matrimonium?

Resp. Si stuprator, quia timet se occidendum, nisi ducat, sponte se offerat maritum, talis metus non invalidat Matrimonium, quia est ab intrinseco, neque ab alio determinatur ad contrahendum, sed a se ipso. Secundo respondeo, si Pater stupratæ minetur se accusaturum apud Judicem, nisi ducat, etiam Matrimonium valet, quia est metus juste incussus; sicuti ex eodem capite valet, si Magistratus, & Judex inducant delinquentem ad ducendum; aliter minentur exilium, carceres; qui pariter metus est juste incussus. Tertio respondeo, si Pater stupratæ minetur mortem, tale Matrimonium illico est nullum, quia metus habet omnes conditiones ad impedimentum matrimonii requisitas, scilicet, est ab extrinseco injuste incussus, directe ad hunc finem, ut quis ducat stupratam.

30. Quid significat Iy cadens in virum constantem?

Resp. Significat virum timorem incutientem debere esse talem, ut quis probabiliter sit certus malum ab eo comminatum executioni fore mandandum. Hinc duæ requiruntur conditiones, potentia scilicet ad nocendum in comminante, & impotentia ad se liberandum in eo, contra quem directæ sunt comminationes: & ideo ex Glossa *in c. cum locum de Sponsal.* in muliere minor metus sufficit ad annullandum Matrimonium.

31. Si puella ob nimiam reverentiam Patris, aut tutoris contrahat ex metu Matrimonium, alioquin non contractura, valetne?

Resp. Cum Alario n. 6. non valet, sicuti nec Re-

ligiosa Professio. Iste autem metus reverentialis nisi comprobetur verberibus, minis, aliisque angustiis, & corporis afflictionibus datis ad hoc, ut contrahat Matrimonium, in foro externo hoc non dissolvetur; secus nimis lata via panderetur dissolutioni Matrimoniorum. Hinc prudens Confessarius hortetur puellam, ut faciat de necessitate virtutem, & ratificet novo consensu Matrimonium cum illo, a quo ante mortem separari nunquam licebit.

32. Si quis contrahat Matrimonium cum filia Medici, alioquin nolentis curare, valetne Matrimonium?

Resp. Cum Alario, affirmative; quia quod determinat ad ducendum, est morbus inducens timorem, non Medicus; proinde metus est ab intrinseco. Item etiam, si quis metu naufragii, periculi, infirmitatis, aut ut se ab obsidione vel carcere liberet, contrahat Matrimonium, hoc est validum, quia metus est semper ab intrinseco; proinde non est causa, sed occasio contractus, qui libere fit. Intellige tamen, nisi carceres, obsessio, & similia dentur unice ad hoc, ut quis contrahat.

33. Si quis contrahens ex metu irritante Matrimonium, ex eodem copulam habeat cum uxore, & juret se non reclamaturum, tenetne Matrimonium?

Resp. Negative, quia neque copula, neque juramentum sanat defectum consensus in Matrimonium. Docet tamen Alarius, ob reverentiam juramenti, vel petendam esse dispensationem; vel ratificandum Matrimonium.

34. Quid est impedimentum Ordinis?

Resp. Est Ordo Sacer Subdiaconatus, quo qui ordinatus est, nequit valide Matrimonium contrahere, & si contrahat, illico est excommunicatus. Uxoratus, qui uxore non consentiente sumit Ordinem Sacrum, ex S. Thoma, nequit in illo ministrare, neque ad superiores ascendere, licet Matrimonium nondum fuerit consummatum.

35. Quid est impedimentum ligaminis?

Resp. Est, quo quis alligatus alteri per Matrimonium etiam ratum, & nondum consummatum, & a for-

fortiori si consummatum sit, impotens redditur ad aliud Matrimonium contrahendum.

36. Si mulier probabiliter & prudenter existimet virum suum mortuum esse in bello, qui revera vivit, & contrahat Matrimonium cum alio, eritne validum?

Resp. Negative, propter bonam fidem tamen non peccat petendo, & reddendo debitum. Si autem postea sciat eum vivere, debet abstinere a petitione, & redditione debiti. Si prudenter dubitet, potest solum reddere, & non petere. Si habeat tantum levem suspicionem, debet hanc deponere, petere, & reddere.

37. Si quæ falso putet, virum suum vivere, & tamen contrahat cum alio, estne validum Matrimonium.

Resp. Negative, quia consensus in Matrimonium non est maritalis, sed fornicarius, cum ergo primo sciet virum suum revera fuisse mortuum, & tempore contractus non fuisse alligatam, sed liberam, potest affectu maritali accedere ad secundum virum, & perficere Matrimonium.

38. Quid est impedimentum honestatis?

Resp. Oritur ex duplici capite; primo, ex sponsalibus valide celebratis cum uno, ratione quorum sponsus nequit valide contrahere cum consanguineis sponsæ in primo gradu: secundo, ex Matrimonio rato, & non consummato, ratione cujus quis non potest contrahere cum consanguineis sponsæ usque ad quartum gradum inclusive; & idem dicendum de sponsa ratione sponsi.

39. Si sponsalia sint invalida, oriturne ex his impedimentum honestatis?

Resp. Ex jure antiquo, ex sponsalibus invalidis alio titulo præterquam ex defectu consensus oriebatur hoc impedimentum: ex jure novo Concilii Tridentini non oritur, nisi ex validis. Immo Diana, Pontius, & alii notant, ex sponsalibus conditionatis, hoc impedimentum non oriri, donec conditio fuerit impleta. Neque ex sponsalibus contractis ante septennium, nisi post septennium fuerint confirmata.

40. Oriturne ex ſponſalibus invalidis defectus conſenſus interni?

Reſp. Cum Alario hic *verbo honeſtas n.* 81, affirmative, ſcilicet ſi fuerit externus conſenſus, quia in his hominibus reperitur ſcandalum, & inhoneſtas, ad quæ evitanda Concilium hoc impedimentum poſuit.

41. Ex Matrimonio nullo, & invalido oriturne hoc impedimentum?

Reſp. Cum Alario, ſi Matrimonium ſit nullum ex manifeſto defectu conſenſus, non oritur, in aliis autem nullitatibus ſemper oritur, ut habetur ex Declaratione S. Pii V. atque adeo etiam ex clandeſtino, quod ex declaratione Congregationis Concilii reſolvitur in ſponſalia.

42. Quid eſt affinitas?

Reſp. Eſt conjunctio plurium inter ſe, orta ex copula carnali, ſive licita, ſive illicita, dummodo ſit perfecta, & naturalis inter marem, & fœminam in vaſe naturali. Non requiri ſeminationem etiam mulieris, dummodo vir in vaſe naturali ſeminaverit, eſt probabilior ſententia ex Divo Thoma, qui citatur etiam pro parte contraria *in Supplemento*.

43. Cum quibuſdam contrahitur affinitas?

Reſp. Ex copula licita vir contrahit affinitatem cum omnibus conſanguineis ſuæ uxoris uſque ad quartum gradum incluſive, ſimiliter uxor cum omnibus conſanguineis ſui viri; & ſine diſpenſatione, vir cum nulla ex iis poteſt valide Matrimonium contrahere. Non autem contrahitur affinitas cum affinibus conjugum, juxta regulam generalem: Affinitas non parit affinitatem. Ex copula autem illicita non extenditur, niſi uſque ad ſecundum gradum incluſive. Cum vero hoc impedimentum ſequitur poſt matrimonium conſummatum, impedit tantum petitionem debiti reſpectu illius qui peccavit.

44. Quanam regula dignoſcuntur gradus affinitatis?

Reſp. Hæc eſt, quod, in quanto gradu conſanguinitatis eſt unus conjux cum ſuis conſanguineis, in tanto gradu affinitatis eſt alter conjux ex vi copulæ: ſi vir

si vir est in primo gradu consanguinitatis cum Patre, & fratribus, & mulier erit in primo gradu affinitatis cum eisdem.

45. Si infidelis convertatur ad fidem potestne ducere sororem illius fœminæ, quam ante conversionem fornicarie cognovit?

Resp. Affirmative ex Alario *verbo Affinitas n.* 98. quia hoc impedimentum contrahitur Jure Ecclesiastico, cui infidelis ante conversionem non subest.

46. Quid est impotentia?

Resp. Est vitium animi, vel corporis, ratione cujus quis impeditur, ut alteri commisceri non possit. Sive hoc vitium sit mere a natura, sive ab arte, sive a morbo; si sit perpetuum, dirimit Matrimonium. Si hoc vitium sit relate ad omnes mulieres, cum nulla potest contrahere; si sit relate ad unam, vel alteram tantum, ut contingit in maleficiatis, dirimit solum Matrimonium cum illa, relate ad quam est impotens.

47. Hinc illa impotentia, quæ sine miraculo tolli non potest, est verum impedimentum; non autem illa, cui per annum, aut ætatem occurri potest. Senes valde, aut steriles, si coire possunt, licet probabiliter generare non valeant, non dicuntur hoc impedimento laborare. Carens utroque testiculo, non potest contrahere: & si contraxit, separandus est. Si per morbum tale impedimentum contraxit post Matrimonium, Toletus Sanchez putant adhuc posse eo uti, quia per accidens est, quod verum semen non emittat. Hæc omnia Alarius: quoad hoc ultimum autem sequendus non est; & in praxi, tori separatio est facta. Si adveniret impotentia post Matrimonium ratum, & non consummatum, adhuc Matrimonium teneret, quia revera quando fuit contractum, nullum erat impedimentum.

48. Si dubium sit utrum impedimentum impotentiæ sit perpetuum, quid est faciendum?

Resp. Expectandum est triennium ad explorandum; utrum tale impedimentum superari possit; post quod, standum est testimonio peritorum, vel Matro-

narum visitantium conjugem: & si dicant se virginem reperisse, separandi sunt conjuges; si illa inveniatur corrupta, standum est testimonio viri jurantis se consummasse: In dubio enim semper judicandum est in favorem Matrimonii.

49. Quando dubitatur, num maleficium factum sit ante, vel post Matrimonium, quid est faciendum?

Resp. Cum Bonacina, Rebellio, Sà, & aliis a Bertau citatis, censendum est, maleficium fuisse factum ante Matrimonium: hoc enim modo malefici ut plurimum solent agere, itaut maleficium nuptias præcedat.

50. Mulier, quæ propter arctitudinem viro apta non est, teneturne subire incisionem?

Resp. Cum Alario, si hæc incisio parvo dolore, & incommodo fieri potest, tenetur illam subire; si cum multo incommodo, & dolore, maxime si inde diuturna infirmitas timeretur, non tenetur, & Matrimonium illico erit nullum.

51. Uxor arcta si ab alio cognoscatur, & primo viro post fornicationem reddatur apta, quid faciendum est?

Resp. Primo viro est restituenda; licet enim judicio Ecclesiæ ab hoc separata sit, in hoc casu tamen, quemadmodum cognosci potuit a secundo viro, sic & præsumitur cognosci potuisse à primo viro per continuatum usum, aut per aliqualem aliam industriam, si adhibita fuisset; sic ex post facto Ecclesia judicat se fuisse deceptam: ita *cap. laudabilem*, & *cap. fratres*. Si autem constaret talem esse vasorum improportionem, sive mulieris, sive viri, ut copula cum eo, qui primo matrimonium contraxit, haberi non possit, illico primum matrimonium censendum est invalidum.

52. Estne hoc impedimentum impotentiæ in infirmo, qui morti proximus ducere vult concubinam, ut a peccato concubinatus absolvatur, vel legitimentur filii ex copula illicita geniti?

Resp. Negative, quia corpus de se potens est, licet per accidens ratione morbi hæc potentia non sit expedita; ita ut ea uti possit.

53. Her-

53. Hermaphroditus poteſtne valide Matrimonium contrahere?

Reſp. Vel ſexus aliquis eſt prævalens, vel æqualis, vel inferior. Juxta ſexum prævalentem, certum eſt poſſe contrahere: ratione enim illius præeminentiæ, puta virilis, vir potius, quam fœmina, eſt cenſendus. Quando ſexus ſunt æquales, debet eligere ſexum unum, & jurare ſe altero ſexu nunquam uſurum: neque Parochus debet Matrimonio aſſiſtere: niſi hoc juramento antecedenter præſtito. Juxta ſexum minus prævalentem, adhuc juxta Pontium valide contrahis, quia licet alter præemineat, tamen minus prævalens adhuc habet organa ſimpliciter apta ad generandum.

54. Qui elegit ſexum virilem, mortua conjuge, poteſtne contrahere juxta ſexum fœmineum?

Reſp. Per alterius ſexus electionem adhuc Matrimonium non redditur invalidum, cum nulli Juri naturali, aut Eccleſiaſtico adverſetur. Peccaret tamen graviter, ut docet Bertau, quia variaret electionem in re graviſſima.

55. Quid eſt impedimentum raptus?

Reſp. Eſt violenta extractio alicujus puellæ e domo Patris, ipſa invita. Quandiu ergo rapta manet ſub poteſtate raptoris, nequit eam valide ducere, etiamſi ipſa poſtea conſentiat. Debet igitur prius ſeparari, & conſtitui in loco tuto, & libero, ut ſic conſtituta ei nubat, ſi velit. Raptor incurrit ſtatim excommunicationem ipſo facto, ſicuti & eidem præſtantes conſilium, auxilium, & favorem, & inſuper ſive eam ducat, ſive non, ſemper tenetur illam dotare.

56. Quid ſi puella conſentiat raptui, non autem Pater, Tutor, aut is, ſub cujus cura manet?

Reſp. Tunc raptus non dicitur impedimentum, quia per hoc decretum Concilii conſulitur non libertati Parentum, ſed contrahentium, qui libere debent conſentire. Neque erit raptus, ſi puella blanditiis, precibus, & promiſſis e domo paterna abducatur. In iſtis duobus ergo caſibus non habet lo-

cum, neque impedimentum raptus, neque pœnam contra raptorem.

57. Quid est Matrimonium clandestinum?

Resp. Est illud, quod fit sine præsentia Parochi, & duorum Testium. Loco Parochi potest assistere alius Sacerdos ab eo delegatus, sufficit, quod habeat delegationem generalem ad omnia munera Parochialia, neque requiritur specialis facultas ad Matrimonia. Tam Parochus, quam Testes debent esse præsentes, non solum physice, sed etiam moraliter, & modo humano sufficienti ad testificandum in foro externo de Matrimonio in eorum præsentia celebrato. Hinc non sufficit Parochus ebrius, vel dormiens, vel in loco, in quo non potest videre & de facto non videt externum consensum ab utroque conjuge præstitum. Parochus nondum remotus a sua Parochia, licet sit excommunicatus, suspensus, & irregularis, valide assistit Matrimonio. Si aliquis ex errore communi putetur Parochus, aut habeat titulum coloratum, quia videlicet est beneficiatus illius Ecclesiæ; contrahentes coram illo bona fide valide contrahunt, quia in tali casu Ecclesia tanquam pia mater supplet defectum, & quantum ad hoc censetur dispensare; Ita Bertau citans Bonacinam.

58. Si incola illius loci, in quo Concilium Tridentinum quoad hoc receptum non est, divertat animo nubendi ad alium locum, in quo viget Concilium, valeretne Matrimonium clandestine contractum?

Resp. Negative, quia licet extraneus non teneatur legibus loci, ad quem divertit absque intentione manendi ibi per majorem partem anni, hoc tamen speciale est in contractibus, ut celebrentur juxta solemnitates requisitas a legibus loci, in quo fiunt; secus nulli sunt.

59. Quid facere debent Catholici degentes in terris Hæreticorum, ut valide contrahant?

Resp. Circa ipsorum Matrimonia, Congregatio Cardinalium hæc resolvit, primo, ubi hoc decretum Concilii publicatum nunquam fuit, ut in Anglia, Saxonia, valent Matrimonia absque Parochi, & Testium

stium præsentia : secundo, ubi hoc decretum semel fuit publicatum, ut in Olandia; observari debet forma a Concilio præscripta, *secus nulla sunt*. Tertio, si Parochia, in qua decretum aliquando fuit observatum, proprio Parocho, & Episcopo careat, nullusque sit qui vices Episcopi, vel Parochi habeat, Matrimonium valet absque forma a Tridentino præscripta, servata tamen quantum potest forma Concilii, hoc est adhibitis saltem duobus testibus. Idem dicendum, si Parochus, & Episcopus metu Hæreticorum lateant, & vere ignoretur, ubi sint, vel ad neutrum sit tutus accessus.

SECTIO VI.

De debito Conjugum, & usu Conjugii.

1. EX Conjugio plura oriuntur debita, & primo debitum mutuæ cohabitationis, amoris, alimentorum, & reverentiæ. Unde si contra hæc graviter quis faciat, utique cum proportione graviter peccabit. Sic maritus ob leves causas uxorem verberans, vel ex gravibus immoderate per excessum castigans, peccat mortaliter. Secundo, nomine debiti conjugalis venit copula reddenda, cum alter ex conjugibus petit : cum enim ob Matrimonium corpora fuerint voluntarie ligata, unusquisque potest juste petere corpus alterius. Hinc cum adulter ob fractam fidem amiserit jus petendi, reddere tantum poterit, donec ei remissa sit injuria. Notat tamen Alarius hic, verbo *debitum conjugale n.* 1. quod si innocens ignoret adulterium alterius, hic poterit petere, quia requiritur, quod innocens per modum pœnæ ipsum privet jure petendi debitum; inscius autem culpæ pœnam nequit infligere.

2. Estne peccatum, conjugem petere debitum, ut incontinentiam in se ipso vitet; vel tuendæ, aut restituendæ sanitatis gratia?

Resp. Cum Alario, sicuti reddere debitum ad vitandum in altero conjuge periculum incontinentiæ;

nullum peccatum est, a fortiori ad evitandum proprium; plus enim quis tenetur erga se, quam erga alium. Copula causa sanitatis tantum venialis est ex D. Thoma.

3. Si quis emisit votum simplex castitatis, potestne unquam petere debitum?

Resp. Ex Alario, quando quis petit gratia alterius, non peccat, quia hoc modo petere, ex Divo Thoma, est reddere. Si autem petat, ut sibi satisfaciat, peccat mortaliter, toties quoties.

4. Si alter ex conjugibus votum castitatis fecerit post Matrimonium, potestne ab alio irritari?

Resp. Ex Alario, affirmative, quia votum hoc præjudicat sibi, & nocet domesticæ gubernationi.

5. Si uxor sciat virum mortaliter peccare petendo debitum, teneturne illud reddere?

Resp. Cum Alario, affirmative, quia non cooperatur peccato exigentis, sed tantum actui ex natura sua licito, quem pravus finis petentis non vitiat; & sine peccato redditur, quod cum peccato exigitur. Si tamen uxor sciat virum alligatum esse voto simplicis castitatis, & ex alia parte difficillime posse abstinere a copula, lege charitatis tenebitur quandoque petere, ut docent plures apud Sanchez.

6. Si maritus solitus sit ex malitia sua semen extra vas effundere, peccatne mulier reddendo ei debitum?

Resp. Cum Alario n. 31. si non cooperetur hujusmodi effusioni, non peccat, quia malitia viri est omnino extrinseca, & per se ab actu non importata.

7. Si maritus ob virium imbecillitatem, vel ob morbum, puta paralysiæ, quandoque semen extra vas effundat; poteritne mulier reddere?

Resp. Si per experientiam compertum sit impossibilem esse fœminæ penetrationem, omnino a copula cessandum est, quia deest finis generationis, & bene pensatis omnibus, actus iste reducitur ad tactum cum pollutione, qui de se mortalis est. Si tamen sit aliqua spes penetrandi, & probabilitas seminandi intra vas, erit licitum conjugibus hoc tentare per

copu-

copulam, quamvis per accidens, & præter intentionem feminetur extra vas. Idem dicendum de uxore, quæ femen intra vas retinere nequit dummodo non desperetur aliquando detentura, quia, ut docent plures Auctores, matrix fœminea sæpe necessarium femen attrahit ad generationem, superfluo expulso.

8. Modus extraordinarius in copula estne licitus?

Resp. Primo, supponendum nullum esse adeo stultum, qui putare possit actum sodomiticum cum uxore licitum esse: insuper velle consummare in vase naturali, & actum inchoare in vase præpostero, illud penetrando ad Venerem excitandam, puto cum Pontio nullo modo excusari posse a lethali, neque enim hic modus reducitur ad simplicem tactum: nam qui hoc tentaret cum puero, aut cum fœmina soluta, non satisfaceret integritati Confessionis dicendo se habuisse tactus impudicos cum illis, dum penetravit vas præposterum animo etiam non seminandi. Quantum ergo ad alios modos sine periculo seminandi extra vas, sentio cum Alario n. 21. si fiant ex causa, puta ad evitandam suffocationem prolis, vel ex alio fine honesto, & bono, nullum esse peccatum: si sine causa, erit veniale.

9. Si fiat copula cum periculo abortus, eritne peccatum?

Resp. Cum Alario n. 25. ante animationem fœtus, si non intendatur abortus, non est mortale; si autem fœtus sit animatus, erit mortale.

10. Poteſtne aliquando sine peccato negari debitum habenti jus illud petendi?

Resp. Ex Alario n. 26. affirmative in his casibus, primo, si aliquis sit impotens ad illud reddendum, puta, vir debilis, non tenetur, quia nemo obligatur ad impossibile; aut quia sæpissime, & immoderate petit cum gravi incommodo, reddentis, cui notabiliter vires extenuantur copularum frequentia, ut enim habet D. Thomas, ordo naturæ postulat, ut prius individuum in se ipso perficiatur, & deinde superfluum ministret generationi: cum ergo Matrimonium institutum sit in beneficium naturæ, conjux

non habet potestatem corporis alterius, nisi quantum ad beneficium naturæ; non poterit ergo ab alio juste, & rationabiliter petere debitum, nisi salva illius incolumitate: Non propterea mulier poterit negare debitum, præcise ut eximat se a doloribus partus, quia ad hoc libere se subjecit. Non est peccatum differre redditionem debiti ad breve tempus, dummodo in alio non sit periculum incontinentiæ. Neque erit peccatum negare ad præsentiam puerorum, vel in alio casu notabilis verecundiæ, quia in istis casibus imprudenter quis petit. Neque erit peccatum negare remisse petenti, quia tunc non censetur petere cum intentione obligandi, sed potius alliciendi, & movendi. Negare quia plures sunt filii, qui nutriri nequeunt, non est justum; nam vel vult perpetuo continere, & hoc non est licitum, si in altero sit incontinentiæ periculum; vel vult tantum ad tempus, & hoc non juvat; quia si per mensem, immo per annum contineat, & postea copuletur, concipiet nihilominus, & quidem facilius. Menstruatam posse negare, nisi timeatur incontinentiæ periculum in viro, videtur certum propter turpitudinem actus; immo alii existimant virum sine lethali petere non posse in hac circumstantia, sola causa libidinis explendæ; quod cum Alario mihi videtur inverisimile. Non reddere debitum intra bimestre datum ad cogitandum de meliori statu, non est peccatum, quia est privilegium juris; & hoc facere poterit, etiamsi de Religione pro eo tunc non cogitet. Immo, ut addit Alarius *n.* 11. si mulier sit tantum duodennis, expectare cogitur sponsus per quatuor annos. Sponsa ante benedictionem Matrimonii negare potest debitum: si tamen diu differatur, consultius erit reddere, ut docet Alarius, ad vitanda plura peccata, modo non immineat scandalum, puta quia Matrimonium adhuc publicatum non est. Potest etiam marito infecto morbo gallico, vel simili, aut amenti negare.

11. Debentne conjuges conari, ut simul seminent?

Resp.

Resp. Affirmative: quia licet semen mulieris solum passive ad generationem concurrat; tamen valde conducit ad partum formosiorem. Hinc conjugi in seminando tardiori conceditur se per tactum disponere, ut simul cum viro seminet. Et si jam seminaverit, poterit mulier se tactibus excitare, ut seminet, quia illi tactus ordinantur ad complementum actus conjugalis, ad quod mulier habet jus. Si autem mulier jam seminavit, vel ad id sit excitata, ut probabilis futura sit seminatio maritus se retrahens peccat peccato mortali contra naturam, quia defraudat suo fine semen fœmineum; & contra justitiam, ut habet Bonacina, quia tunc cum copula jam sit incepta, uxor habet jus ad actum completum.

12. Estne aliquando licitum viro in copula non seminare?

Resp. Si nullum sit pollutionis periculum in neutro conjuge, & mulier de hoc actu invita non sit, poterit quis excusare se a seminando. Si autem fœmina jam seminavit, tenetur vir omnino seminare, nisi aliquod vitæ periculum immineat ante copulam non prævisum, vel superveniat aliquis, quia sic in ejus præsentia seminare adeo adversatur honestati, ut etiam periculum pollutionis adsit, nullum esse peccatum censeat Sanchez. Licet enim quis alium usum seminis licitum non habeat, nisi ad generationem; censendum tamen est in his gravissimis causis jus naturæ non obligare, cum alteri juri naturali contrarium sit.

13. Oscula, tactus, & amplexus extra copulam suntne uxoratis permissa?

Resp. Si absit periculum pollutionis, sunt permissa ex honesto fine ad fovendum mutuum amorem, & ad sedandam tentationem. Si fiant ex pura complacentia sine fine bono, erunt venialia.

14. Conjux dubitans de valore Matrimonii potestne petere debitum?

Resp. Certum est, si unus dubitet, alter non dubitans reddere potest, quoties alter exigit. Quantum autem ad petendum, si dubium de non valore excedat

in pro-

in probabilitate alteram partem de valore, debet conjux sufficientem diligentiam adhibere ad cognoscendum, num Matrimonium subsistat; interim non petat. Quod si facta diligentia adhuc dubitat; potest ex Alario citante pro se Sanchez, & alios, etiam petere; cum enim sit in possessione, Matrimonium in dubio judicandum est in favorem illius; neque enim quis tenetur propter scrupulum, quem deponere nequit, manere ligatus, ut non possit conjuge sua uti.

15. Si alter conjux juret se non consensisse in Matrimonium, poteritne quis adhuc debitum petere, & reddere?

Resp. Ex Alario, alter conjux non tenetur credere juranti, nisi tales assignet circumstantias, quæ eum totaliter certificent de consensu negato: si ergo non credit, licite petit, & reddit: si credit, illicite petit, & reddit.

16. Obliganturne conjuges ad conservandas vires, quibus indigent ad moderate utendum conjugio?

Resp. Affirmative, quia lex justitiæ, quæ obligat ad reddendum, obligat etiam ad media necessaria, quibus debitum reddatur. Hinc vir mediis illicitis reddens se impotentem, puta pollutionibus voluntariis, peccat contra justitiam; Peccat etiam, qui per voluntarias abstinentias, & jejunia reddit se impotentem ad moderate reddendum. Et si etiam per Ecclesiastica jejunia reddatur impotens uxori moderate satisfacere, non tenetur ad illa servanda, quia fortius est hoc justitiæ vinculum, quam Ecclesiæ præceptum. Excusatur etiam a jejunio uxor, quæ esset probabiliter certa ab eo se reddendam esse notabiliter deformem, & exinde viro odiosam. Caveat autem, ne quod conceditur necessitati, usurpetur ad vitæ licentiam. Hinc in praxi casum existimo metaphysicum, & non admittendum.

17. Quisnam est finis usus Matrimonii?

Resp. Præcipue sunt duo, primus scilicet procreatio prolis ad cultum Dei amplificandum; secundus fuga, seu remedium incontinentiæ.

Pro-

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab INNOCENTIO XI. 9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

CAPUT X.

De Censuris in genere.

1. QUid est Censura?

Resp. Ex Alario, est pœna spiritualis, & medicinalis, privans hominem usu aliquorum bonorum spiritualium, per Ecclesiasticam potestatem imposita.

2. Quotuplex est censura?

Resp. Triplex, excommunicatio, suspensio, & interdictum. Hinc carcer, exilium, privatio Beneficii, nisi habeant annexam suspensionem, censuræ non sunt, quia sunt pœnæ mere temporales. Neque etiam degradatio, depositio ab officio, vel Beneficio, censuræ sunt, quia licet sint pœnæ spirituales, non sunt medicinales, & possunt infligi etiam post emendationem peccati: neque etiam irregularitas ex defectu, quia hæc est impedimentum canonicum, non vero pœna; nec irregularitas ex delicto, quia non datur per modum pœnæ medicinalis, sed punitivæ, & perpetuæ, neque aufertur per absolutionem, sicuti censuræ, sed per dispensationem.

3. Quinam possunt ferre censuram?

Resp. Solus Superior Ecclesiasticus habens jurisdictionem in foro externo, & contentioso, sive ordinariam, sive delegatam. Qui habet potestatem delegatam, non potest alium subdelegare ad ferendam censuram, nisi habeat ad hoc speciale mandatum. Hinc ferre possunt censuras Papa, & Concilium generale in toto Orbe, ita ut eorum censuræ nunquam imp-

impediri possint; Concilium Provinciale in tota Provincia; Archiepiscopi, Episcopi, Capitula Sede vacante, Generales, Provinciales, Superiores locales Religiosorum respectu suorum subditorum. Alii etiam ex privilegio, & multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani in eorum jurisdictionibus.

4. Potestne delegari Laicus ad censuram ferendam?

Resp. Negative, quia non est Superior Ecclesiasticus, immo nec Religiosus Professus, nisi habeat primam Tonsuram.

5. Potestne Abbatissa ferre censuram in suas subditas?

Resp. Negative, quia fœminæ non sunt capaces potestatis clavium; possunt tamen suspendere Clericos subditos ab Officio, vel Beneficio, suspensione late accepta per modum præcepti, quo violato non incurritur irregularitas.

6. In quasnam personas potest ferri censura?

Resp. Ex Alario, in personam baptizatam, vivam, inferiorem, & subditam. Hinc Catechumeni nequeunt affici censura, quia adhuc non sunt de gremio Ecclesiæ; bene tamen Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, quia per Baptismum facti sunt Ecclesiæ subditi. Hinc secundo mortui ligari non possunt censuris, sed solum declarantur censuræ, quas vivi incurrerunt, & prohibetur Fidelibus, ne cum iis agant orando, & præstando ea officia, quæ cum solutis a censura præstari solent, & dicuntur absolvi mortui a censuris, quatenus permittitur fidelibus, ut pro iis publice orent, illis sepulturam Ecclesiasticam tribuant, & præstent ea publica Christianæ charitatis officia, quæ cæteris fidelibus solutis solent exhiberi. Hinc tertio nemo potest in se ipsum ferre censuram, quia sibi inferior non est. Qui dignitate, & gradu superior est, si delinquit in territorio inferioris, potest ab eo censura ligari. Addit Alarius, quod ex privilegio Imperatores, & Reges, sicuti eorum uxores, & filii ab Episcopis excommunicari nequeunt, ut etiam illi, qui in speciales filios Ecclesiæ Romanæ sunt recepti. Integra Civitas potest qui-

quidem ligari censura interdicti, non vero excommunicationis. Infantes, & amentes ex D. Thoma non possunt ligari censuris, quia in eorum actibus defectu cognitionis non peccant.

7. Propter quod peccatum ferri possunt censuræ?

Resp. Ex Alario, ob peccatum grave externum cum contumacia, & proportionatum censuræ; & si censura cadat super personam determinatam, debet esse peccatum proprium personale; si vero censura, puta interdictum locale, cadat supra Civitatem, vel locum, requiritur peccatum, vel totius Communitatis, vel Superioris loci, nec sufficit culpa gravis alicujus personæ privatæ. Adverte etiam, non pro quocunque lethali facile ferendas esse censuras, sed pro quibusdam tantum, ut monet Tridentinum, ne censuræ contemnantur.

8. Ad hoc ut incurratur censura lata supra aliquam culpam gravem externam, debetne actus peccaminosus esse in illo genere consummatus, & perfectus?

Resp. Affirmative ex Alario, nisi aliud exprimatur in comminatione censuræ, quia pœnæ, & odia sunt restringenda. Hinc excommunicationem latam supra homicidium non incurrunt mandantes, consulentes, juvantes, immo nec lethaliter vulnerantes, usque dum ex vulneribus secuta non sit mors. Cum vero excommunicatur mandans, consulens, juvans, furans, dans suffragium pro indigno, nisi aliter exprimant verba legis, semper intelligi debet de faciendo ista efficaciter, & effectu secuto. Alarius censet in excommunicationibus latis contra mandantes attendendum esse finem excommunicationis: Si, inquit, censura principaliter lata est contra occidentes, & accessorie contra mandantes, non secuto effectu homicidii mandantes non incurrunt censuram, secuto incurrunt: Si autem principaliter feratur in mandantes, & consulentes, mandans efficaciter, similiter efficaciter juvans, & consulens, etiam non secuto homicidio censura ligati sunt.

9. Ob peccatum veniale poteſtne ferri censura?

Resp. Ad summum ferri potest levis suspensio, vel

leve

leve interdictum; nunquam excommunicatio major; quia pœnæ debent proportionari culpæ; culpæ autem levi gravis pœna censuræ improportionata, & injusta est, proinde nulla. Hinc quod excusat a peccato mortali, excusat etiam a censura gravi lata propter ipsum: sic parvitas materiæ, indeliberatio, impotentia implendi legem, ignorantia invincibilis facti, v. g. si ignorans quem percutis esse Clericum, vel ignorantia invincibilis juris, ut si scias esse Clericum, nescias tamen propter hoc excommunicationem incurri; in his enim omnibus deest contemptus Ecclesiæ, & contumacia, vel quia lex graviter non læditur, vel quia ignoratur.

10. *Resp.* Secundo cum Alario, verbo censura num. 50. Censura saltem gravis ferri non potest, cum tota materia, supra quam cadit censura, levis est; cum autem tota materia simul sumpta continet gravitatem, licet dividendo illam in singulos delinquentes levis sit, censura gravis tenet. Sic valida est excommunicatio major lata in eos, qui fructus vinearum surripiunt, nisi restituant. Hinc etiam qui parum surripuit, nisi restituat, est excommunicatus: modica enim hæc furta inferunt notabile damnum domino, in cujus favorem fertur excommunicatio.

11. Si quis ex gravi metu committat peccatum, cui annexa est censura; incurritne illam?

Resp. Cum Bonacina, non incurrit; licet enim gravis metus quandoque non excuset a peccato, excusat tamen a censura, quia faciens ex metu, non censetur contumax.

12. Ex quot capitibus redduntur invalidæ censuræ?

Resp. Ex triplici capite, scilicet ex defectu jurisdictionis in ferente; secundo, ex defectu ordinis judicialis substantialiter non servati; tertio, ex defectu justitiæ. Ex primo capite invalida erit censura, si illam ferens, puta Episcopus, habeat jurisdictionem impeditam, eo quia inciderit ipse in censuras, vel suspensam per legitimam appellationem. Vel cum Ala-

Alario verbo Censuram n. 18. si Episcopus excommunicet aliquem existentem extra Diœcesim, qui in sua Diœcesi non deliquerit; si autem deliquerit in propria Diœcesi, & fuerit citatus, antequam exierit; aut si excommunicet aliquem propter absentiam a sua residentia, aut si eum conveniat, ut restituat creditoribus existentibus in Diœcesi, censuræ istos ligant, etsi latæ sint in absentes. Item Episcopus existens extra suam Diœcesim, non potest excommunicare suos subditos in Diœcesi delinquentes, nisi forte absit a Diœcesi, quia injuste fuit expulsus; in quo casu petita, & non obtenta licentia ab Episcopo illius Diœcesis, in qua existit, potest suos subditos excommunicare. Ita Alarius num. 4.

13. Ex secundo capite invalida est censura, si prætereatur, vel invertatur substantialis ordo Judicii. Hic autem ordo servari debet; primo, ut reus moneatur, & citetur citatione canonica, idest trina: quandoque autem ex justa causa sufficit una pro tribus, v. gr. moneo te semel pro tribus vicibus, secundo, ut scripto recitetur, & fiat; tertio, ut causa censuræ exprimatur: quarto, ut reo petenti exemplum scripturæ, intra mensem tradatur; secus Judex suspenditur a Divinis Officiis. Hæc omnia requiruntur ad probandam contumaciam delinquentis, & Ecclesiæ contemptum. Requiruntur etiam ista tantum ad validam censuram latam ab homine per sententiam particularem, cadentem in particularem personam propter delictum præteritum. Quæ enim fertur a Jure, vel per sententiam Judicis, non indiget monitione, sed lex, & sententia ex se ipsis sufficienter monent. Neque etiam alia monitio requiritur ad sententiam declarativam censuræ incursæ, quando crimen constat evidenter fuisse patratum.

14. Ex tertio capite invalida est censura, si deficit justa causa eam ferendi. Hæc autem tripliciter deficere potest. Primo; si neque in re fuerit patratum delictum, neque fuerit sufficienter in foro externo judiciali probatum; secundo, si delictum fuit quidem in re patratum, sed in foro judiciali proba-

tum

tum sufficienter non est, quia reus nec confitetur; nec legitimè convincitur; tertio, si crimen revera patratum non sit, juridice tamen probatum est: & judex habet titulum, & causam præsumptam deveniendi ad censuras secundum allegata, & probata: in quo casu licet in foro conscientiæ reus præsumptus nulla sit censura ligatus, in foro tamen externo debet se gerere ut ligatus, ne videatur contemnere censuras, & sit fidelibus occasio scandali.

15. Suntne aliqua determinata verba ad censuras ferendas?

Resp. Ex Alario negative, sed quæcunque sufficiunt, dummodo explicent qualitatem censuræ, qua quis alligare intendit reum patrantem delictum, ut v. gr. sit anathema, sit suspensus, sit ab Ecclesia interdictus. Si autem excommunicans, aut petens excommunicationem alicujus delinquentis, ligare non intendat, hic nulla censura ligabitur. Ita Alarius *n.* 3. Hoc autem nunquam reus præsumere debet, cum verba ferentia censuram demonstrent sufficienter intentionem ligandi, quam habet ferens.

CAPUT XI.

De Censuris in particulari.

Sectio I. *De Excommunicatione.*
Sectio II. *De Suspensione.*
Sectio III. *De Degradatione, & depositione.*
Sectio IV. *De Interdicto.*

SECTIO I.

De Excommunicatione.

1. Quid est excommunicatio?

Resp. Ex Divo Thoma in Supplemento; est censura Ecclesiastica, qua Christianus a communione Ecclesiæ quoad fructum, & ejus suffragia generali-

neralia, & a qualibet licita fidelium communione excluditur.

2. Quotuplex est excummunicatio?

Resp. Multiplex, & primo, alia major, alia minor: major privat omnibus bonis Ecclesiæ, & fidelium communione, minor aliquibus tantum. Utraque, alia est a jure, alia ab homine. Excommunicatio a jure est, quæ per Canonem, vel Statutum, vel Constitutionem fulminatur: Excommunicatio ab homine est, quæ a Judice profertur. Utraque, alia est comminatoria, alia ipso facto, vel jure incurrenda: comminatoria non ligat, nisi post Judicis sententiam: alia vero ligat ipso facto, nulla expectata sententia. Hinc prima explicatur per verbum temporis futuri, excommunicetur, anathematizetur, &c. secunda per verbum temporis præsentis, sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato, ipso jure, ipso facto, latæ sententiæ; quæ & similia verba explicant ligamen censuræ nullum expectare Judicis actum. Prima etiam dicitur sententiæ ferendæ, secunda vero latæ sententiæ.

3. Cum in jure habetur, sit excommunicatus, vel excommunicamus, intelligiturne de excommunicatione minori, vel majori?

Resp. Ex Alario n. 10. intelligitur de majori.

4. Quomodo differunt excommunicatio a jure, & ab homine?

Resp. Ex Alario n. 3. differunt primo, quia excommunicatio a jure est semper generalis; ab homine aliquando generalis, aliquando specialis; a jure semper durat, ab homine cessat per obitum ferentis, aut per cessationem ejus jurisdictionis, modo delictum patretur post cessationem vitæ, aut jurisdictionis; tertio, a jure, si nemini reservata sit, absolvit Confessarius ordinarius; ab homine autem non absolvit, nisi qui eam tulit, licet in alienum Episcopatum domicilium transtulerit, aut alius ab eo delegatus, aut ejus Superior; quarto, a jure ligat quoscunque contrafacientes in territorio legislatoris, etiamsi tempore legis conditæ non essent

sent subditi, ab homine vero nonnisi subditos tempore sententiæ.

5. Quænam est materia excommunicationis?

Resp. Materia remota est peccatum lethale Baptizati contra Ecclesiæ præceptum, intellige prohibitum ab Ecclesia sub pœna excommunicationis; materia proxima est contumacia consistens in hoc, quod quis sciens tale peccatum esse ab Ecclesia sub pœna excommunicationis prohibitum, illud nihilominus faciat; quapropter tanquam contumax, & rebellis Ecclesiæ, cujus est subditus, privatur ab ea bonis Ecclesiasticis, & fidelium consortio.

6. Sufficitne peccatum gravissimum, sine contumacia?

Resp. Negative.

7. Quot sunt effectus excommunicationis minoris?

Resp. Sunt duo; scilicet privare passiva Sacramentorum participatione, & passiva electione ad Beneficium. Hinc si excommunicatus minori excommunicatione, ante absolutionem aliquod Sacramentum recipiat, peccat mortaliter, non tamen incurrit irregularitatem: si vero administrat Sacramenta, secundum multos peccat tantum venialiter, secundum aliquos Doctores nullo modo peccat.

8. Suntne valide Sacramenta collata excommunicato excommunicatione minori?

Resp. Ex Alario, quoad reliqua Sacramenta puta Matrimonii, Confirmationis, Ordinis, &c. communis opinio est, valida esse. De sola Pœnitentia dubitatur, aliis affirmantibus cum Cajetano, & Soto: aliis negantibus cum Sylvestrina, & Navarro.

9. Quamnam ob causam incurritur excommunicatio minor?

Resp. Ob unicam causam tantum, scilicet si quis advertenter communicet cum excommunicato excommunicatione majori, notorio, & publice denunciato, in iis casibus, in quibus non licet cum eo communicare; item si quis communicet cum publico Clerici percussore, qui nulla tergiversatione negare potest percussionem, etiamsi talis communicatio cum

excom-

excommunicatis sit solum levis, & venialis. Catholici in Germania sine incursu excommunicationis minoris communicant cum hæreticis, & consequenter cum excommunicatis, quia non sunt nominatim excommunicati, & publice denuntiati; & etiam sine pœna minoris excommunicationis quis communicat cum eo, quem scit crimen aliquod patrasse, cui annexa est excommunicatio, si nondum publice, & nominatim per Judicis sententiam sit excommunicatus, vel saltem ita exprimatur persona ratione officii, quod habet, puta, Excommunicamus Judicem ordinarium talis loci, ut de ea quis dubitare non possit. Cum in sententia habetur, excommunicamus, puta, Petrum incendiarium, & omnes complices incendii, tenetur quis vitare Petrum; non autem alium, quem scit esse consimilem, quia circa hunc sententia est tantum generalis, non specialis.

10. Quid est excommunicatio major?

Resp. Est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus exterius separatur a communione fidelium, & passiva, & activa Sacramentorum participatione, & Ecclesiastica sepultura.

11. In quo consistit fidelium communio?

Resp. Præcipue in duobus; in participatione Sacramentorum, & publicarum precum: secundo, in consortio fidelium, seu civili conversatione.

12. Quinam sunt effectus excommunicationis majoris?

Resp. Est privatio omnium bonorum communium Ecclesiæ, videlicet participationis activæ, & passivæ Sacramentorum; participationis communium suffragiorum; communicationis in divinis officiis, & Ecclesiastica sepultara; electionis passivæ, & activæ ad beneficia Ecclesiastica, jurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori, communicationis forensis, & similis convictus, ut continetur in hoc carmine;

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Quæ omnia sic breviter ex Alario expono.

13. Quid

13. Quid significat os?

Resp. Significat negationem osculi, & cujuscunque signi familiaris amicitiæ, etiam per nuntium, & interpositam personam, etiam per litteras; hinc etiam amplexus, munera mittere, & recipere; quod si quis scienter recipiat munus ab excommunicato excommunicatione majori, peccat, & debet illud ex consilio pauperibus distribuere.

14. Quid significat orare?

Resp. Significat participationem in divinis cum excommunicato; hinc sub lethali nequit quis oratione publica orare pro excommunicato; potest tamen quis orare pro eo oratione privata, ut Sacerdos in *Memento*, precando, ut resipiscat, vel alia bona temporalia, & spiritualia recipiat; nequit quis administrare, vel ab eo recipere Sacramenta, nisi illa Mortuorum in casu extremæ necessitatis, cum non est alius: nequit quis simul cum eo audire Missam, interesse processioni, cantui Horarum, benedictionibus, & cæteris, quæ ab ordine Clericali solemniter fiunt excepta Concione. Parvitas materiæ poterit excusare a lethali, ut si quis usque ad Evangelium audiat cum eo Missam, ut docent Avila & Diana. Qui in Ecclesia audiret Sacrum ad unum Altare separatim ab excommunicato audiente Sacrum ad aliud Altare non videretur cum eo in divinis participare. Neque videtur communicare in divinis, si excommunicatus transiens per Ecclesiam, ut aliud agat, breviter, & separatim ab aliis oraret.

15. Quid facere debet Sacerdos, qui incepta Missa advertit ibi esse excommunicatum denuntiatum, & non toleratum?

Resp. Ex Alario n. 43. prius expellendus est excommunicatus, & si nolit exire, vi asportandus est. Si timeatur magnum scandalum, & incommodum ex tali violenta asportatione, Sacerdos desistere debet a Missa, casu quo Canonem nondum inceperit, vel jam Sacram Eucharistiam susceperit. Si vero inceptus est Canon, finienda est Missa usque ad consumptionem inclusive cum uno Ministro tantum, & reli-

reliqua perficienda sunt in Sacristia, vel in alio loco decenti; & hoc etiamsi sit dies festus. Si excommunicatus stet extra ostium, ut audiat Missam, est expellendus, vel claudenda janua. Quod dico de Missa, idem dicendum est de aliis Officiis Divinis, Concione excepta. Hæc omnia procedunt de excommunicato denuntiato non tolerato, adeoque vitando.

26. Quid significat vale?

Resp. Significat negationem salutationis, verbo; facto, vel signo, ut aperire caput, dare locum decentiorem, & similia urbanitatis indicia. Quantum ad salutationem, & dare locum decentiorem, plures concedunt licitum esse, ut apud Alarium; scribenti epistolam licet respondere: Deus te convertat, & similia.

17. Quid significat communio?

Resp. Significat negationem cohabitationis in eodem domicilio cum excommunicato; item commercium in eodem exercitio, & per contractus, & conversando sive in domo, sive in itinere. Privatur etiam communicatione forensi; sic non potest esse Judex, Actor, Testis, Tabellio, Procurator, Advocatus, Tutor, aut Curator. Potest tamen pro se ipso Advocatum facere, & respondere. Reus potest semper excipere contra Judicem excommunicatum etiam toleratum; quod si non excipiat, ejus acta erunt valida: si non sit toleratus, acta erunt invalida, utpote ab homine carente jurisdictione.

18. Potestne Advocatus patrocinari causam alicujus excommunicati?

Resp. Ex Alario si cognoscat causam esse justam, potest illam patrocinari; cum enim non prohibitum sit excommunicato se defendere, neque ei prohibita sunt media ad se defendendum: si vero Advocatus advertat causam esse injustam, & nihilominus suscipiat illam defendendam super idem crimen, pro quo fuit excommunicatus, incidit etiam ipse in excommunicationem majorem, quia participat in crimine criminoso.

19. Suntne liciti & validi contractus cum excommunicato excommunicatione majori?

Resp. Sunt illiciti, & ratione illorum non datur actio in foro externo, durante excommunicatione. Acta etiam, quæ fiunt a Judice ministro, vel publica persona excommunicata vitanda, & non tolerata, invalida sunt, quia ejus auctoritas, durante excommunicatione suspensa est ab exercitio jurisdictionis. Acta tamen excommunicati tolerati probabile est esse valida ob bonum commune; peccat tamen mortaliter toleratus jurisdictionem exercens.

20. Estne validum testamentum excommunicati?

Resp. Ex Alario, testamentum hæretici, intellige nominatim excommunicati, vel percussoris Cardinalis, vel usurarii, qui antecedenter non satisfecit, nullum & invalidum est: testamentum vero excommunicati ex alio crimine validum erit. Peccant tamen mortaliter testans, notarius, testes; præmittenda enim est absolutio, nisi forte præmitti non possit; vel sine magno periculo nequeat expectari. Item qui inducit excommunicatum ad testandum, quia sperat se hæredem futurum, non peccat; neque enim quis pati debet detrimentum ob alterius crimen.

21. Quid venit nomine mensæ?

Resp. Venit non posse simul comedere cum excommunicato; neque interesse convivio, ubi ipse sedet, etsi sedeat ad diversam mensam, si tamen illa spectat ad idem convivium. Et si excommunicatus cœpta mensa superveniat, teneris recedere. Si autem mensæ sint separatæ, & non spectent ad idem convivium, potes etiam in eodem cubiculo manducare, ut evenit in publicis hospitiis occasione itineris. Item non potest quis concedere amico cubiculum, ut ibi recipiat excommunicatum, & manducet; dico titulo amicitiæ; si enim facias titulo pietatis, concedendo excommunicato hospitium & mensam, ne fame deficiat, nullam pœnam incurris, maxime si facias cum protestatione te præcise huic succurrere, ne pereat; non autem habeas cum eo commercium, quod est omnino illicitum.

22. Qua-

22. Quale peccatum est communicare cum excommunicato?

Resp. Communicare in divinis cum excommunicato, mortale est; in civilibus autem, si absit contemptus, veniale est; incurritur tamen excommunicatio minor. Si quis communicet cum excommunicato in eodem crimine, pro quo excommunicatus est, facit peccatum mortale, etiam contra obedientiam Ecclesiæ debitam, puta si quis cognoscat concubinam excommunicatam ratione concubinatus.

23. Ob quod crimen inferuntur excommunicationes majores?

Resp. Ob plura crimina mortalia cum contumacia; & istæ excommunicationes solent dividi in quatuor classes: aliæ scilicet nulli reservatæ, a quibus potest simplex Confessarius absolvere: aliæ Episcopo reservatæ, a quibus potest absolvere solus Episcopus, aut ab eo delegatus; aliæ reservatæ Papæ extra Bullam Cœnæ, aliæ in Bulla Cœnæ, a quibus absolvit Papa, aut ab eo delegatus.

24. Quænam sunt excommunicationes non reservatæ?

Resp. Usitatiores sunt istæ; prima in vexantes Ecclesiasticos, eo quod non elegerint eum, pro quo fuerunt rogati: secunda in directores Monialium, si foveant discordias in electione: tertia in extorquentes absolutionem a censura per vim, aut metum: quarta in compellentes Ecclesiasticos, ut laicis submittant Jura Ecclesiæ: quinta in docentes leges, vel medicinam Religiosos, qui dimiserunt habitum, vel eos retinentes in suis scholis: sexta in sepellientes mortuos tempore interdicti, vel interdictos, vel excommunicatos non toleratos, vel manifestos usurarios: septima in impedientes Visitatores Monialium: octava in contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Monialibus: nona in edentes glossas in Tridentinum: decima in imprimentes Libros sine Superiorum licentia: undecima in præcipientes suis subditis, ne officia communia Reipublicæ exhibeant Ecclesiasticis, v. g. ne iis ven-

 dant,

dant, ne coquant panes: duodecima in Doctores; & Professores non facientes professionem Fidei, ubi recepta est Bulla S. Pii V. decimatertia in negligentes administrare justitiam Ecclesiasticis: decimaquarta in Potestates foventes usuras.

25. Contra Clericos istæ usitatiores sunt; prima in Clericos in dignitate constitutos audientes publice jus, aut medicinam; secunda in Sacerdotes recipientes Præfecturas sæculares; tertia in Clericos minores, Episcopis locantes domos usurariis; quarta in alienantes Bona Ecclesiæ, vel locantes ultra triennium; quinta in impugnantes in Concionibus Montes Pietatis; sexta in contrahentes Matrimonium, si sint in Sacris; septima in ficte signantes, vel permutantes Beneficia Ecclesiastica; octava in præsumentes absolvere a casibus Bullæ Cœnæ.

26. Contra Religiosos; usitatiores sunt: prima in audientes leges, vel medicinam extra claustra; secunda in habitum temere dimittentes, vel matrimonium contrahentes; tertia in instituentes novum Ordinem; quarta in adeuntes Curias Principum ad nocendum suis Monasteriis, vel Prælatis; quinta in tenentes arma sine licentia intra Claustra; sexta in non servantes interdictum, quando servatur a Cathedrali.

27. Supradictis censuris adjectæ sunt a Tridentino sequentes, quæ ligant ubi illud est receptum. Prima in imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud se retinentes, vulgantes Libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, & approbatione ab Ordinario obtenta. Secunda in docentes non esse necessariam Confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. Tertia in raptores mulierum, juvantes, faventes. Quarta in cogentes contrahere Matrimonia cum præscriptis. Quinta in Magistratus, qui requisiti non juvant Episcopos ad restituendam, vel conservandam Clausuram Monialium. Sexta in ingredientes, cujuscunque conditionis fuerint, vel sexus, Monasteria Monialium sine licentia in scripto obtenta. Septima in cogentes mulierem ingredi Monasterium, & profiteri. Octava in impedientes sanctam voluntatem mulieris emittendi

vota.

vota: Nona in dominos temporales concedentes in suis Terris locum pro duello.

28. Quænam sunt excommunicationes Episcopis reservatæ?

Resp. Usitatiores sunt istæ. Prima, quæ contrahitur ex percussione levi Clerici, vel gravi; si sit mulier. Secunda in eos, qui absoluti in articulo mortis a censura, vel peccato habente annexam censuram, scilicet a Sacerdote, qui alias non poterat, non præsentant se Superiori, postquam convaluerint. Tertia in Fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis ad Officia Divina Fratres tertii Ordinis. Quarta in procurantes abortum fœtus animati effecto secuto. Quinta in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. Demum omnes alias censuras, quas Episcopi ferunt per propria statuta, & sibi reservant.

29. Quænam sunt excommunicationes reservatæ Papæ extra Bullam Cœnæ?

Resp. Usitatiores sunt istæ: Prima contra incendiarios. Secunda contra habentes Litteras Apostolicas falsas, & non ea destruentes. Item in falsarios litterarum Apostolicarum. Tertia in effringentes, & spoliantes Ecclesias. Quarta in communicantes in eodem crimine cum excommunicatis a Papa. Quinta in vexantes eos, qui censuram tulerunt in alios. Sexta in absolventes eos sub conditione, & non implentes. Septima in violantes interdictum Papale. Octava in dantes & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem in Religionem. Nona in simoniacos reales circa Ordinem, vel Beneficium. Decima in committentes simoniam confidentialem. Undecima in impedientes executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. Duodecima in dantes & recipientes aliquid pro gratia & justitia apud Sedem Apostolicam. Decimatertia in committentes duellum, & ad id cooperantes suadendo. Decimaquarta in mulieres ingredientes Monasteria Regularium. Decimaquinta in impugnantes Institutum Societatis Jesu. Decimasexta in facientes jurare illicita, & contraria

Ecclesiasticæ libertati. Decimaseptima in capientes Bona Ecclesiastica, item in exigentes tributa ab Ecclesiasticis. Decimoctava in violantes libertatem Ecclesiasticam quoad confugientes ad Ecclesiam. Decimanona in docentes posse fieri Confessionem in absentia. Vigesima in eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæresis; item in eos, qui in concionibus, aliisque publicis actibus, ut Lectionibus, & Conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in originali. Vigesimaprima in percussores Clericorum.

30. Contra Clericos & Religiosos præcipuæ sunt istæ. Prima in participantes in Sacris cum excommunicatis a Papa. Secunda in procurantes alienationem Ecclesiarum. Tertia in Concionatores, qui sensum Scripturæ a Doctorum interpretatione alienum circa tempus Antichristi, extremi Judicii, aliaque signa revelata, prædicant. Quarta in Parochos non adimplentes juramentum de residentia factum. Quinta in Mendicantes transeuntes in alium Ordinem præter Carthusianum. Sexta in Moniales exeuntes claustra sine licentia. Septima in Religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel Unctionis ministrare, vel Matrimonia solemnizare præsumunt.

31. Quænam sunt excommunicationes reservatæ Papæ in Bulla Cœnæ?

Resp. Præcipue in Hæreticos, in Fautores, Receptores, Defensores Hæreticorum, in scienter retinentes, legentes, imprimentes, defendentes Libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel Hæreses continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam quatuor requiruntur conditiones. Prima, ut Auctor Libri sit Hæreticus. Secunda, ut Liber expresse hæresim contineat, vel de Religione tractet. Tertia, ut legatur materia notabilis, & sufficiens ad mortale. Quarta, ut scienter legatur, imprimatur, vel detineatur. Aliæ censuræ in eadem Bulla contentæ habentur in prima Parte in capite *de casibus reservatis*.

32. Qui-

32. Quicunque Liber Hæreticorum lectus, vel detentus, estne causa sufficiens hujus excommunicationis incurrendæ?

Resp. Si sit pure tractans de Philosophicis, vel Historicis, nequaquam. Layman putat neque illum, qui incidenter aliquid dicit de Religione, vel Hæresim aliquam continet, quam ex professo ibi non extendit. Suarez etiam putat non incurri hanc excommunicationem a legente Libros Catholici Auctoris, qui haberet annotationes, & Scholia Auctoris Hæretici, nisi tamen hæc essent adeo copiosa, ut ex illis potius, quam ex textu, Liber constare videretur. Adverte tamen quoad Libros Hæreticorum, quod licet quandoque in casibus supradictis non incurratur excommunicatio Papæ reservata, incurritur tamen non reservata, contenta in Indice Librorum prohibitorum.

33. Incurriturne hæc excommunicatio a legente in quantitate notabili prooemium, vel indicem Libri, vel partem Libri, in qua nulla continetur Hæresis, vel qui alterum jussu suo legentem audit?

Resp. Affirmative, & etiam qui per alium legit; nam qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Immo non excusatur ab hac censura, qui Librum vel in aliena domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi tenet. Item neque is, qui affirmat non esse pravum, non esse comburendum; qui impedit, ne comburatur; qui disputationis causa defendit. Bonacina excusat eum qui laudat stilum Auctoris, ingenium, doctrinam, quæ in eo est; sed non quatenus in eo est, ut v. g. si quis dicat, hic Liber bonus esset, si hæresim non contineret: quia sic conditionate laudans, non defendit Auctorem.

34. Parvitas materiæ excusatne a censura?

Resp. Affirmative ex Graffio, Sayro, & Sanchez: sic legens unam, vel alteram lineam; detinens apud se una, vel altera die. Non admitto id, quod habet Layman, parvam esse materiam integram paginam magni voluminis: qui tamen fatetur, se hoc asserere, ne Confessarius statim damnet peccati mor-

talis, & censuræ reservatæ eum, qui bono fine, vel curiositate unam paginam legerit.

35. A quibusnam incurritur excommunicatio lata in percussores Clericorum?

Resp. Incurritur ab omnibus, qui efficaciter mandant, consulunt, consentiunt, ratam habent suo nomine factam: qui non impediunt, cum ex officio impedire tenentnr, ut sunt Judices, Principes, Superiores respectu suorum subditorum, Patres, Tutores, Heri, & alii, quibus Clericorum cura quomodolibet demandata est. Incurritur autem, si percutiatur quicunque Clericus, etiamsi sola tonsura initiatus, etiam conjugatus, dummodo cum virgine, & habitum deferat, & serviat Ecclesiæ; etiamsi sit excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus, verbaliter tantum. Circa Monachos, & Religiosos, incurritur etiam a percutiente Novitios, Conversos, immo & Tertiariorum Sanctorum Dominici & Francisci, si deferant habitum, & vivant in communitate: etiam Eremitarum subjectorum alicui Regulæ, & Superiori. Nomine percussionis intelligitur quæcunque actio contumeliosa, & violenta exterior, & mortalis contra personam Clerici, vel res adhærentes, sive hæc manu, sive baculo, sive gladio fiat.

36. Hinc est excommunicatus, qui conspuit in Clericum, eum conspurcat contumeliose aqua, pulvere, & luto, qui evellit crines, lacerat vestem, vel alia actione injuriam facit, quæ secundum se est materia peccati mortalis: sic qui est causa, ut in fossam incidat, vel cadat ab equo, qui frænum ejus equi, cum insidet, tenet, & injuriose eum sistit; quæ actio licet levis sit respectu corporis, non tamen respectu honoris.

37. Quænam causæ excusant a tali censura?

Resp. Plures: prima, si actio Clerico damnosa sit, non tamen violenta, & contumeliosa, ut puta fur, qui clam scindit vestem Clerico, ut crumenam surripiat; talis enim actio ex Bonacina est fraudolenta, non violenta, neque respicit læsionem honoris, aut corpo-

corporis; sed pecuniæ. Secundo, si actio sit jocosa, vel casualis; is enim non percutit suadente Diabolo; item si Clerici pueri habentes primam tonsuram pugnis se percutiant, ut tenet Bonacina; item si percussio sit ad defendendum se, vel vitam suam, vel uxorem, vel parentes, vel res suas cum moderamine inculpatæ tutelæ, & cum actio est adeo levis, aut imperfecta, ut illata in Laicum non damnaretur peccati lethalis. Item si fiat in eum, quem pro Clerico non cognoscit, eo quod non gestet habitum, quia ignorantia excusat. Si percutiatur realiter degradatus, vel bigamus, vel si exerceat officium cauponis, vel Macellarii, & ter canonice monitus non cesset: isti enim pro Clericis non computantur; vel inventus sit turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia, vel mulierem turpiter sollicitans: isti enim perdunt privilegium in talibus actibus. Prælatus, Præceptor, Pater, subditum Clericum in minoribus constitutum correctionis causa si percutiant, non sunt excommunicati, etiamsi in tali actione aliqua ira accedat, dummodo tamen moderate hoc faciant. Si autem filius sit in sacris, controvertitur de Patre, affirmatur de Præceptore, & Prælato.

38. Potestne Episcopus absolvere percussorem Clerici?

Resp. Si percussio facta sit a muliere, etiamsi sit gravis, potest absolvere: & quoscunque alios, si percussio levis sit facta v. gr. pugno, manu, etiamsi aliquæ guttæ sanguinis effluant. Si gravis, vel enormis sit, aut respectu personæ percussæ, ut si leviter percutiatur Episcopus, aut Abbas, aut alius nobilis Clericus simplici alapa, recurrendum est ad Papam. Item si gravis, vel enormis sit in se, puta, quia facta est cum magna sanguinis effusione, cum fractione, diminutione, mutilatione alicujus membri, aut magno vulnere, recurrendum est ad Papam: Si media sit inter gravem, & levem, ad Papam quoque recurrendum est.

39. Si quis solus sciat aliquem esse alibi publice excommunicatum, teneturne illum vitare?

Resp. Ex Alario, affirmative: qui tamen limitat in casu, in quo quis probare possit hunc esse notorie & publice alibi excommunicatum, tenetur etiam vitare, si fama publica sciat hunc esse alibi publice excommunicatum.

40. Qui habet scripturas secreto, & private, pro quibus revelandis ad instantiam partis fertur excommunicatio, teneturne eas revelare?

Resp. Ex Alario n. 55. affirmative, & hoc etiam si pertineant ad se, & faveant proprio juri. Idem etiam, cum scripturæ sunt vere & probabiliter ejus, qui indiget; qui enim illas habet, tenetur revelare, licet sibi damnosas; Alias peccaret contra justitiam.

41. Placet hic cum Alario nonnullas regulas generales pro extensione, vel restrictione censurarum, quæ ordinarie feruntur, superaddere. Et primum excommunicatio lata in faventes includit etiam consulentes; isti enim consilio auxiliantur, & favent. Secundo; lata in defendentes extenditur etiam ad receptores, & fautores. Tertio, lata in aliquem sub nomine officii, & publici muneris, extenditur etiam ad successorem, si post monitionem per mensem in eadem contumacia sui prædecessoris perseveret: mensis autem computandus est a die assumptionis officii. Quarto, lata in non restituentem ligat impotentem solvere totum, & potentem solvere secundum partem, si secundum eam non restituat: lata etiam contra debitorem, nisi intra certum tempus restituat, creditore prorogante terminum, non ligat, quia Judex sententiam fulminat ad instantiam partis; hinc per consensum illius cessat contumacia, sine qua excommunicatio non incurritur: hoc autem est intelligendum, cum prorogatio facta fuit ante contractam pœnam, non autem post. Quinto, excommunicatio lata in non revelantes, non ligat Advocatos, Procuratores, Consultores, & Medicos, si non revelent delicta clientulorum, & ægrotorum; nisi tamen isti aliunde quam ex occasione proprii officii noverint, vel nisi in aliorum damnum redundent; & tunc non ultra necessitatem est revelandum.

Ex

Ex Navarra, neque necessario revelandum est, cum ex tali revelatione majus damnum famæ propriæ, aut eius qui detegitur, quam damnificati, resultat. Neque obligat ad revelandum filios, uxores, & alios domesticos, si in genere tantum proponatur; secus si in censura expresse habeatur, ut omnes quantumvis conjuncti teneantur revelare.

42. Danturne causæ excusantes a peccato, & minori censura, quæ incurritur a communicantibus cum excommunicato non tolerato?

Resp. Affirmative, & continentur in hoc carmine:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

cuius singula verba peculiarem continent causam excusationis, ideo hic explicanda.

43. Quid significat ly utile?

Resp. Significat, propter utilitatem participantis posse hunc in civilibus, & in humanis sine culpa participare cum excommunicato: non enim excommunicatio vertitur in damnum fidelis innocentis: sic potest quis petere solutionem sui crediti a debitore excommunicato: pauper eleemosynam a divite excommunicato: potest quis emere necessaria ad victum, petere medicinam a Medico, & consilium a Doctoribus excommunicatis, quando tamen hæc omnia æque bene obtineri non possunt a non ligato excommunicatione.

44. Utilitas excommunicati excusatne participantem a culpa?

Resp. Ordinarie loquendo, negative; potest tamen ex Thesauro c. 20. quis tradere eleemosynam excommunicato indigenti, eum in periculo amittendi vitam, vel honorem, adjuvare; ei vendere necessaria ad victum, & vestitum, eum adjuvare sancto consilio, & hortatione, ut resipiscat. Hæc omnia erga excommunicatos denuntiatos fieri possunt sine culpa, non quia ipsis utilia sunt, sed quia per excommunicationem præceptum naturale & divinum adjuvandi proximum non aufertur.

45. Poteſtne quis propter utilitatem propriam participare in Divinis cum excommunicato, puta, ſi ſibi magnum damnum imminere prævideat non admittendo excommunicatum ad divina Officia?

Reſp. Alarius ſuſtinet verbo *cenſura n.* 29. metum gravem gravis damni certe venturi eum excuſare, niſi tamen cogatur in contemptum fidei, aut Eccleſiæ, participare cum excommunicato. Contraria ſententia tenenda eſt, & etiam ab Alario vocatur probabilior, utpote conformis capiti *Sacris, de iis, quæ vi*: ibi enim, *cum pro nullo metu, &c.* ſolum excipitur coactus ad agendum divina, qui magis pati, quam agere videtur; non autem ſponte operans ex metu.

46. Quid ſignificat lex?

Reſp. Significat legem Matrimonii obligantem ad individuam vitæ ſocietatem; cum hac tamen differentia poteſt alter conjugatus converſare cum excommunicato, ſcilicet excommunicato viro, poteſt uxor participare cum ipſo quoad debitum Matrimonii, curam domus, & menſam: e contra autem vir cum uxore excommunicata poteſt ſolum participare quoad debitum conjugale, non vero quoad alia. Contraria ſententia docens æqualem excommunicationem, ſuos habet Patronos citatos ab Alario; iſti tamen docent virum peccare, & in excommunicationem incidere, ſi uxorem non inducat ad petendam abſolutionem, quia poteſt cogere, & non cogit. Peccat etiam communicando cum ipſa in caſu, quo videat mulierem per communicationem fieri pejorem, & obſtinatiorem.

47. Quid ſignificat humile?

Reſp. Significat hominem ſubjectum poſſe participare cum Domino ſuo excommunicato, ſi ſervus cum hero, Religioſus ſubditus cum ſuo Prælato, cum Epiſcopo Clericus, qui tamen ſit de ejus familia, miles cum Duce, filius, ſive naturalis, ſive legitimus, & emancipatus, qui recipit a Patre neceſſaria ad victum, & eſt ejus commenſalis, poſſunt cum Patre communicare. Adde ex Alario, quod ſi ex

caufa

causa Judex sententiam aggravando hujusmodi personis communionem interdicat, uxor tamen tenetur reddere debitum viro, & filius Patrem honorare, servire, & subvenire; tamen non possunt secum dormire, & comedere, aut vana & inutilia loqui.

47. Quid significat res ignorata?

Resp. Significat ignorantiam, quod quis sit excommunicatus; unde dubitans an talis sit excommunicatus, excusatur, si participet; tenetur tamen veritatem inquirere, maxime si fama sit illum esse publice excommunicatum, aut a fide dignis audivit, aut factum est notorium, & interim abstinere a participatione; Excusat etiam inadvertentia. Si quis sciat aliquem esse publice denuntiatum in alio loco, puta Venetiis, & nihil hic sciatur de tali excommunicatione, non tenetur eum vitare in publico, si censuram probare non possit; sed tenetur vitare privatim.

48. Quid significat necesse?

Resp. Significat magnam & urgentem necessitatem, vel innocentis, qui participat, vel excommunicati, cum quo participat, ut dixi supra *verbo utile*. Adverte tamen cum Alario, qui citat pro se Ugolinum, non licere filio subvenire Patri bannito, si hoc prohibitum sit a Papa sub pœna excommunicationis; censetur enim condemnatus ad hoc genus mortis, quod licet ob publicam utilitatem; & si subveniat, peccat, & est excommunicatus.

Propositiones damnatæ, ad hanc Sectionem reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 44. Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

S E C T I O II.

De Suspensione.

1. QUid est suspensio?

Resp. Est censura Ecclesiastica, qua alicui personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officii,

officii, vel Beneficii Ecclesiastici, in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum, a lege, vel ab homine. Ex præfata definitione, quæ est Alarii, colliguntur omnes species suspensionum. Sic alia suspensio est e jure, & est pœna imposita a jure in vindictam delicti, & ad emendationem Rei; alia dicitur ab homine, & est pœna apposita a Judice Ecclesiastico potente censuris ligare: Alia est ad tempus, puta ad mensem; alia perpetua, quæ tempus limitatum non habet, & durat usque dum absolvatur: Alia est ab Officio tantum, alia a Beneficio tantum; prima privat suspensum exercitio sui Ordinis, secunda privat & exercitio Ordinis, & emolumento Beneficii: Alia est ab Officio, & Beneficio simul, & est illa, quæ privat tam exercitio Ordinis, quam fructibus Beneficii.

2. Cum Episcopus aliquem absolute suspendit, qua specie suspensionis intelligitur suspensus?

Resp. Ex Ugolino c. 4. intelligitur & ab Officio, & a Beneficio; nam sub genere absolute prolato intelliguntur species omnes, ita etiam cum non determinatur tempus, intelligitur perpetua.

3. Quid est prohibitum suspenso a Divinis Officiis?

Resp. Prohibitum est, ne celebret, ne Missæ, aut aliis Officiis Divinis intersit in choro ut Clericus; si vero more Laicorum audiendo tantum assistat, non peccat. Insuper ne absolvat, ne benedicat, ne communicet, ne conferat Beneficia. Uno verbo, Suspensus a Divinis in totum, nullum actum exercere potest, qui proprius sit Ordinis, aut Jurisdictionis. Qui vero suspenditur a Divinis non in totum, sed in parte, non potest exercere illius Ordinis functiones. Sic qui suspensus est a celebratione Missæ tantum, potest adhuc juxta Filliucium Confessiones audire, & jurisdictionem in Foro pœnitentiali exercere, quia suspensio Ordinis non importat suspensionem jurisdictionis, neque e contra: quapropter bene attendenda sunt verba suspensionis.

4. Quam pœnam incurrit exercens Ordines, a quibus fuit suspensus?

Resp. Incurrit irregularitatem, quæ si occulta sit, est ab Episcopo dispensabilis; si autem publica, aut ad forum contentiosum deducta, statim est Papæ reservata. Adverte tamen, quod si Prælatus solo verbo, & oretenus dicat: *Suspendo te a celebratione Missæ*, est simplex tantum prohibitio, non censura, quæ licite non fertur nisi scripto: Prælatus autem non præsumitur velle peccare: nisi aliud constet de ejus intentione.

5. Quid est prohibitum suspenso a Beneficio?

Resp. Privatur fructibus Beneficii, quos durante suspensione nullatenus percipere potest: non tamen privatur Officio, quod ei competit ratione Beneficii. Hinc potest canere in choro, & cætera exercitia Ecclesiastica annexa Beneficio exercere absque ullo emolumento distributionum quotidianarum. Non tamen quis privatur eleemosyna data propter Anniversarium, aut onera personalia Clericorum, quia hæc emolumenta non sunt proprie fructus Beneficii. Alarius docet posse suspensum administrare fructus Beneficii, & etiam ex his percipere quantum sufficit ad honestam sustentationem, si aliunde non habeat. Docet etiam Navar. & alii suspensum a Beneficio, quantumvis peccet assistendo Choro, lucrari tamen distributiones; quod mihi videtur improbabile, quia sic sumeret commodum ex iniqua actione.

6. Si suspensum sit Capitulum, vel Conventus, vel Communitas Religiosa, suntne singuli suspensi?

Resp. Ex Sà *verbo suspensio*, Layman, & Busembau, non sunt suspensi innocentes, sed solum illi, qui sunt in culpa, pro qua lata est suspensio.

7. Quid requiritur ad validam suspensionem, quæ est ab homine?

Resp. Ex Alario, requiritur, ut prius constet de crimine & contumacia, propter quam lata est suspensio, citata parte; & ut propter contumaciam prius moneatur, & sententia ferri debet in scriptis in certa causa. In delicto tamen notorio, vel in crimine probato, non est opus admonitione, sicuti neque in suspensione, quæ est a jure; ipsum enim jus stat loco admonitionis.

8. Su-

8. Suspensus peccatne mortaliter non observando suspensionem?

Resp. Affirmative, & si sit suspensus a Divinis; & celebret, vel aliud Ordinis officium exerceat, fit irregularis. Suspensus a concionibus, concionando peccat, non tamen fit irregularis, ex Alario *verbo suspensio*, *n.* 16. qui non admittit sententiam Navarri, qui vult esse irregularem, eo quod concionari est officium proprium Diaconi. Suspensio, posita legitima appellatione, nulla est, adeoque sine ullo peccato potest quis ad eam non attendere, tamen absque contemptu.

9. Estne peccatum mortale audire Missam a Sacerdote suspenso, vel communicare in Divinis cum suspenso ab Officio?

Resp. Cum Alario n. 14. si suspensus sit denuntiatus, mortale est.

10. Quænam est forma absolutionis a suspensione?

Resp. Nulla sunt necessaria determinata verba, sed sicuti ponitur per quæcunque verba significantia injunctionem hujus pœnæ, ita & tollitur per quæcunque indicantia absolutionem ab ipsa: ad conformandum tamen se Ecclesiæ, oportet dicere: *Ego te absolvo ab omni vinculo suspensionis.*

11. Quisnam potest absolvere a suspensione?

Resp. Ex Alario n. 39 habens auctoritatem Episcopalem potest absolvere a suspensione a jure, quæ reservata non est, nisi esset pro peccato, a quo absolvere nequit; si autem suspensio sit ab homine, solus suspendens, vel successor, aut illius Superior absolvere possunt. Episcopus potest absolvere ab omnibus suspensionibus, quæ sunt ex delicto occulto, nisi tamen illud delictum deductum sit ad forum contentiosum, in quo si reus se defendat etiam per falsos testes, ita ut per sententiam liberetur, & innocens declaretur, potest Episcopus hunc absolvere; censetur enim tunc delictum occultum; ita cum Alario Sayrus.

12. Quænam sunt suspensiones in particulari?

Resp. Suspensiones ab homine sunt omnes illæ, quæ

quæ feruntur ab habentibus auctoritatem Episcopalem contra Clericos aliquod delictum perpetrantes. A jure frequentiores, & magis obviæ sunt: Prima contra recipientes Ordines Sacros ab alieno Episcopo, vel a proprio in aliena Diœcesi, vel sine ætate legitima, vel sine dimissoriis, vel sine titulo, vel extra tempora, vel non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, vel denique post Matrimonium ratum; isti omnes suspensi sunt ab Officio, nisi forte hæc fecerint absque dolo. Secunda, excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scriptura, aut causæ expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælatus Regularis. Tertia, Clerici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum, bienno suspenduntur a Beneficio. Quarta, ordinans, & ordinatus simoniace, sunt suspensi ab Ordinibus. Quinta, Parochi jungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia. Sexta, gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas. Septima, occupantes bona, vel census Ecclesiæ, Beneficii, vel alterius loci pii. Octava, sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, fautores, vel præbentes auxilium. Nona, disputantes in alterutram partem in cœtu virorum, ac mulierum de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis. Decima, visitantes, si accipiant pecuniam, vel munera, qui, si sunt Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ; inferiores Episcopo, suspensi sunt ab Officio & Beneficio, usque dum restituant duplum. Undecima, Judex Ecclesiasticus, non Episcopus, qui facit injuriam contra justitiam & conscientiam parti litiganti.

13. Contra Religiosós. Prima, Religiosi Apostatæ recipientes Ordines in Apostasia. Secunda, admittentes ad Professionem ante annum probationis peractum. Tertia, non utentes habitu, modo sibi præscripto. Quarta introducentes mulieres in Monasteria.

14. Contra Episcopos. Prima, ordinans non subditum, suspensus est a Pontificalibus per annum: ordinans

dinans vero invitum, suspensus est per annum a celebratione. Secunda, admittens resignationes contra formam præscriptam. Tertia, intrans in Monialium clausuram sine necessitate.

SECTIO III.

De Depositione, & degradatione.

1. Quid est depositio?

Resp. Est perpetua privatio Clericalis muneris per Canonicam sententiam cum debita solemnitate prolatam.

2. Quisnam potest Clericum deponere?

Resp. Vel immediate Episcopus, vel Vicarius ab Episcopo ad hoc specialiter deputatus.

3. In quibusnam casibus fieri potest depositio?

Resp. Cum sit pœna gravissima, fieri nequit, nisi in delictis gravioribus, & enormibus, a Jure expressis, vel etiam aliis consimilibus arbitrio Judicis, tamen quæ tanta pœna sint digna. Depositus nihilominus retinet Privilegium fori, & Canonis.

4. Quid est degradatio?

Resp. Est perpetua privatio executionis legitimæ Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto, absque spe restitutionis, & cum privatione Privilegiorum fori, & Canonis.

5. Quotuplex est degradatio?

Resp. Est duplex, verbalis, & actualis. Prima fit verbo tantum per formam traditam in *c. degradatio, de pœna in 6.* & hæc exerceri potest etiam contra absentem. Degradatio actualis est, cum re ipsa exercentur verba degradationis verbalis in personam præsentem.

6. Propter homicidium potestne Clericus degradari?

Resp. Cum Alario hic verbo *Degradatio n. 7.* negative, nisi adeo sit qualificatum, ut transeat in aliam speciem criminis, ut est homicidium Sacerdotis.

7. Pro-

7. Propter alia crimina a jure non expressa poteſtne quis degradari?

Resp. Cum Alario n. 5. omnis criminoſus incorrigibilis degradari poteſt; ſecluſa vero incorrigibilitate nemo degradandus, aut deponendus eſt, niſi propter crimen a jure expreſſum. Addit tamen, quod cum a ſimilibus ad ſimilia procedi poſſit, in caſibus enormibus Judex poteſt judicare ex iis, quæ in Jure exprimuntur; non enim pro ſingulis certa regula poteſt aſſignari.

8. Quiſnam degradari poteſt?

Resp. Quilibet Eccleſiaſticus habens privilegium fori, & Canonis; proinde etiam Clericus ſola prima Tonſura initiatus.

9. Quiſnam poteſt diſpenſare cum depoſitis, & degradatis?

Resp. Epiſcopus poteſt diſpenſare cum depoſito a ſe verbaliter ob crimina minora adulterio; nonnulli etiam affirmant apud Alarium verbo *Degradatio n.* 2. adulterum, vel inceſtuoſum verbaliter depoſitum poſſe ab Epiſcopo diſpenſari. Quoad degradatum, docet Alarius *ſub eodem n.* 8. reſtitui poſſe ab Epiſcopo in priſtinum, cum reſtitutio eſt jure debita, ut cum poſt degradationem apparet falſitas teſtium. In aliis autem caſibus ſolemniter degradatum ſolus Papa poteſt reſtituere.

10. Quomodo differunt degradatio, depoſitio, & ſuſpenſio?

Resp. Degradatio & depoſitio differunt a ſuſpenſione, primo, quia ſuſpenſio eſt cenſura, degradatio vero, & depoſitio non. Secundo, quia ſuſpenſio impedit ſolum actum Ordinis, depoſitio vero, & degradatio auferunt jus hominis radicale in perpetuum ad actum Ordinis exercendum, nihilominus Sacerdos degradatus, aut depoſitus, valide conſecrat, quia ejus character ſignans poteſtatem conſecrandi indelebilis eſt. Inter degradationem, & depoſitionem hæc principalis eſt differentia; quod depoſitio non privat depoſitum privilegiis fori, & Canonis, bene tamen degradatio.

SE-

SECTIO IV.

De Interdicto.

1. QUid est interdictum?

Resp. Est Censura Ecclesiastica prohibens usum divinorum, quatenus quidam usus est; per quod differt interdictum ab excommunicatione, quæ privat usu divinorum, ut est quædam communicatio cum aliis fidelibus; & a suspensione, quæ privat usu divinorum, ut illi competente ex Officio, vel Beneficio; interdictum vero privat usu, ut usu.

2. Quænam sunt illa, quibus privat interdictum?

Resp. Sunt tria, usus Sacramentorum, usus publici Divini Officii, & usus Ecclesiasticæ sepulturæ.

3. Hinc quoad primam privationem, & effectum interdicti, est privatio activa, & passiva Sacramentorum, excepto Baptismo, Confirmatione, & Pœnitentia, quæ omnibus permittuntur, exceptis qui causam dedere, etiam consilio, auxilio, & favore. In casu necessitatis, Eucharistia potest dari morituris, & deferri cum lumine, & campana. Extrema Unctio cum tantæ necessitatis non sit, in loco interdicto ministrari nequit. Sanchez, Coninch, & Layman docent, licere interdictis contrahere Matrimonium, quia hoc Sacramentum secundum substantiam non ab Ecclesia, sed a contrahentibus ministratur. Debere tamen fieri sine benedictione, monet Alarius num. 1. 5.

4. Hinc quoad secundum effectum, scilicet privationem divinorum Officiorum, qui sunt interdicti, etiam ex culpa aliena, non possunt interesse Missæ, aut Divinis Officiis, aut Processionibus. Clerici tamen, & Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt, & debent sicuti antea Missas, & Divina Officia celebrare, sed januis clausis; non pulsatis campanis, nisi ad Concionem, salutationem Angelicam, vel obitum alicujus: Quæ omnia se-

clusa

clusa concione fieri debent exclusis interdictis, submissa voce, & sine solemnitate; est enim tale tempus viduitatis Ecclesiæ, & publici luctus. Nihilominus permissum est, ut in festo Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. & per Octavam Corporis Christi Divina Officia solemniter celebrentur, admissis etiam interdictis, modo qui causam interdicto dederunt, non appropinquent Altari, nec veniant ad Communionem, vel ad Offertorium. Possunt insuper ex Alario dici Litaniæ cum cantu, modo sine Cruce; superpelliceo, & ordine procedendi: hoc enim secundo modo Divina Officia non sunt, alio sunt.

Hinc tertius effectus interdicti est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ: Clerici tamen servantes interdictum possunt sepeliri in loco sacro, sed sine solemnitate, ut habet Alarius n. 18. Item privilegiati ad audienda Divina Officia; si enim gaudeant privilegio dum degunt inter vivos, non est cur eodem priventur mortui. Item ex Bertau citante pro se Suar. cum pluribus aliis, qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt eodem modo sepeliri in loco sacro non interdicto. Alarius n. 14. docet personam interdictam, si moriatur cum signis contritionis, posse in loco sacro non interdicto sepeliri.

6. Privatne semper interdictum istis tribus Ecclesiasticis?

Resp. Negative; sed quandoque uno, quandoque altero, prout fuerit in Jure expressum: vel in sententia Judicis; est enim interdictum quid minus excommunicatione, quæ non solum privat hisce omnibus, sed etiam pluribus aliis.

7. Quotuplex est interdictum?

Resp. Quadruplex; primo Locale, quo prohibetur, ne in certo loco Sacramenta ministrentur, ac Divina Officia audiantur; Personale, quo certæ personæ prohibentur audire Divina Officia, ubicunque illæ reperiantur; Generale, quo magnum Regnum, vel Provincia, vel Urbs, vel tota Communitas subji-

citur

citur interdicto: & Speciale, quo particularia aliqua loca, puta Monasterium, Parochia, vel Capitulum interdicitur?

Resp. Illi iidem, qui habent potestatem excommunicandi, & suspendendi.

9. Quænam est materia proxima interdicti?

Resp. Pro interdicto personali requiritur peccatum mortale externum, de quo Ecclesia potest judicare. Ad interdictum locale, vel generale, vel speciale, requiritur peccatum valde grave cum contumacia, commissum a tota Communitate, vel præcipuis membris illam repræsentantibus, licet reliquæ personæ particulares vacent culpa.

10. Placet hic cum Alario plures regulas generales pro interdicto apponere. Primo ergo interdictum locale non includit populum, includit tamen eos qui fuerunt causa interdicti. Secundo, interdicto Clero non intelligitur interdictus populus, nec e contra. Tertio, interdicta Diœcesi non intelligitur interdicta Civitas, quia aliud venit nomine Diœcesis, aliud nomine Civitatis, præsertim in materia odiosa, quæ stricta esse debet, nisi per verba interdicentis constaret satis mentem illius esse utrunque amplecti. Quarto, interdicto uno cœmeterio non intelligitur interdictum aliud illi contiguum, nisi unum sit pars alterius. Quinto, interdicta Ecclesia sunt interdictæ Capellæ, & Cœmeterium contiguum; non vero interdicta Capella, est interdicta Ecclesia. Sexto, interdicta Civitate sunt interdicta suburbia. Septimo; interdicto populo ob delictum domini, mortuo domino non dissolvitur interdictum, sed necessaria est absolutio, quia per se primo fuit interdictus populus, qui remanet idem & domino defuncto. Octavo, interdictum positum donec aliquid fiat, illo facto cessat, sicuti & suspensio. Nono, interdicto loco, qui culpabiles non sunt, possunt alibi Divinis Officiis interesse, Sacramenta recipere, & ministrare, & Clerici cum dimissoriis sui Ordinarii Ordines recipere. Decimo, si in loco interdicto fiant Divina Officia, possunt illi interesse qui non sunt interdicti.

Unde-

Undecimo, qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, potest in eo orare, quando non celebrantur Divina Officia, & quando celebrantur potest per eam transire. Item potest audire Sacrum in Oratorio fundato auctoritate Episcopi, modo ita stricte sit Oratorium, ut Ecclesia nequeat appellari: Potest etiam audire Sacrum in Cœmeterio contiguo Ecclesiæ, & in illo ministrare, & recipere Sacramenta, quia pœna extendenda non est ultra legem a Judice taxatam. Si tamen celebraret in Cœmeterio, vel ibi reciperet, & ministraret Sacramenta in fraudem interdicti, peccaret, & violaret, saltem intentionaliter, interdictum. Non licet hujusmodi interdicto audire Sacrum stando extra Ecclesiam ante januam illius: nec Clerici debent ita alte pronuntiare, ut ille audiat: hæc enim omnia sunt in fraudem interdicti: potest tamen interesse Concioni, quæ fit in Ecclesia, cum non sit deterioris conditionis ab excommunicato. Decimotertio, si interdictus violet interdictum, & assistat Divinis Officiis, alii adstantes non tenentur exire: Decimoquarto, si non servet interdictum ille, cujus gratia locus interdictus est, neque alii servare tenentur. Decimoquinto, celebrans scienter, aut celebrare faciens Divina in loco interdicto, aut publice excommunicato, aut interdicto ad Divina Officia, vel Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittens, est ipso facto interdictus, donec de ipsa transgressione ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit, satisfecerit. Decimosexto, Religiosi non servantes interdictum impositum a Papa, vel ab Episcopo, quando servatur a Matrice, & Cathedrali, sunt excommunicati. Si vero Cathedralis, aut Matrix non observet, & interdictum sit validum, Regulares illud non servantes incidunt in alias pœnas, non tamen in excommunicationem. Decimoseptimo, communiter interdictum est nullum in casibus, in quibus nulla est excommunicatio.

11. Quale peccatum est violare interdictum?

Resp. Est peccatum mortale contra obedientiam debitam Ecclesiæ præcipienti in re gravi: insuper Cleri-

Clerici violantes interdictum, exercendo aliquem Ordinem Sacrum in loco interdicto, vel si ipsi sint personaliter interdicti, incurrunt Irregularitatem.

12. Quisnam potest absolvere ab interdicto?

Resp. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec Papæ reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem quasi Episcopalem in locum, & personas interdictas; non tamen a Religiosis privilegiatis. Ab interdicto a jure in personam particularem, si reservatum non est, potest absolvere quilibet approbatus ad Confessiones, ab interdicto ab homine potest absolvere qui illud tulit. Per privilegium absolvendi a censuris non intelligitur potestas absolvendi ab interdicto locali, aut alicujus communitatis.

CAPUT XII.

De Irregularitate.

1. Quid est irregularitas?

Resp. Est impedimentum inductum a jure Canonico, quo quis directe impeditur etiam post pœnitentiam ab exercitio, & receptione Ordinum. Hinc proprie censura non est: & licet quandoque imponatur per modum pœnæ, non est tamen pœna, sed potius inhabilitas inducta a Jure.

2. Quotuplex est Irregularitas?

Resp. Dividitur primo in eam, quæ est ex delicto, & eam quæ est ex defectu. Secundo, in totalem seu proprie dictam, quæ inhabilitat ad omnem Ordinem suscipiendum, & privat omni exercitio Ordinis suscepti, ut v. g. homicidium injustum; & partialem, seu improprie dictam, quæ inhabilitat

tantum ad ascensum Ordinis superioris; & privat ministerio alicujus Ordinis suscepti; v. gr. cæcitas Sacerdoti superveniens privat tantum exercitio celebrationis Missæ, non tamen ministerio suscipiendi Confessiones; & Diaconus oculo sinistro orbatus inhabilitatur ad ascensum Ordinis Sacerdotalis, potest tamen exercere Ordinem Diaconatus.

S E C T I O I.

De Irregularitate ex delicto.

1. QUot sunt species Irregularitatum ex delicto?

Resp. Sunt sex; prima provenit ex infamia inducta per Jus Canonicum, vel civile, aut communem hominum existimationem, qui involutos certis criminibus habent tanquam infames: tales sunt Apostatæ, Sodomitæ, Hæretici, & qui pœnam in triremibus consummarunt: unde est illud axioma, A triremi ad Altare non datur regressus. Intellige tamen, ut notat Alarius *hic de Irregularitate ex defectu bonæ famæ*, *n.* 3. scilicet valere dictum axioma de eo, qui fuit in triremibus, non vero de condemnato tantum, cujus pœna immutata est in carcerem, vel exilium, aut quid simile. Similiter contrahens Matrimonium cum serva, vel meretrice, vel joculatrice, uxore propria mortua, est irregularis ex defectu bonæ famæ. Ita Alarius n. 1.

2. Secunda Irregularitatis species est pœnitentia publica, quæ nunc in usu non est.

3. Tertia Irregularitatis species oritur ex reiteratione Sacramenti Baptismi, serio, & scienter facta, cum quis scilicet non dubitans de valore primi Baptismatis, tamen rebaptizat, in hoc casu est irregularis, tam rebaptizans, quam rebaptizatus. In rebaptizante vero Irregularitas est tantum partialis, impediens Clericum, ne ascendat ad Ordinem superiorem, & non incurritur, si sit occulta; ut enim notat Alarius, hæc pœna detur propter notorietatem tam

grandis sceleris. Adultus, si ab Haereticis baptizetur, fit irregularis. Addit tamen Alarius num. 3. si constitutus in articulo mortis alium non haberet, a quo baptizaretur, Irregularitatem non contraheret. Porro haec Irregularitas non incurritur nisi ex solius Baptismi reiteratione, non autem extendenda est ad alia Sacramenta imprimentia characterem, quia hoc in Jure non habetur. Ita Alarius hic n. 4.

4. Quarta Irregularitatis species oritur ex delicto Ordinis, quia quis male suscepit Ordines, v. gr. in excommunicatione, suspensione, vel in loco interdicto, vel tempore interdicti, cui ipse causam dedit; vel suscepit ab Episcopo excommunicato, aut suspenso, aut non habente jurisdictionem, vel quia suscepit ordinem per saltum: Ordinatum tamen per saltum, tantum esse suspensum, non vero irregularem, si in tali Ordine ministret, docet cum pluribus Bonacina: vel si suscipit ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, aut furtive Episcopo nesciente, nec approbante; vel si exercet solemniter Ordines Sacros, suspensionis, aut excommunicationis vinculo irretitus. Parochus excommunicatus assistens Matrimonio non fit irregularis, quia nullum Ordinem exercet, sed tantum assistit tanquam testis qualificatus; bene tamen irregularis fiet, si benedicat nuptias, quia tunc exercet Ordinem Sacrum. Suspensus a jurisdictione; eam exercendo non fit irregularis, si nullum Ordinem exerceat. Suspensus ab Ordine inferiori fit irregularis, si exerceat Ordinem superiorem, non vero e contra. Suspensus ab ingressu Ecclesiae fit irregularis, si in ea celebret, vel in coemeterio, non autem si extra. Suspensus a divinis, baptizans in casu necessitatis sine ulla solemnitate, sed more laicorum; item canens Epistolam, vel exercens actus Ordinum minorum inserviendo Sacrificio Missae sine solemnitate, sed ut Laicus, non fit irregularis; haec omnia Alarius *hic verbo abusus ordinis*, *n. 4. 6. & 7.*

5. Quinta Irregularitatis species oritur ex crimine enormi, quod in Jure est depositione dignum; haec

autem

autem ab Alario enumerantur *hic de irregularitate*; Adulterium scilicet; & alia carnis peccata illo graviora, Homicidium, Blasphemia, Perjurium in Judicio, Sacrilegium, Maleficium, Hæresis, Simonia, Concubinatus diu continuatus, Fornicatio longa, Stuprum, Incestus, etiam cum filia spirituali. Irregularitas tamen ex crimine enormi, excepto homicidio, non incurritur, nisi crimen sit notorium, & publicum. Est etiam irregularis ex crimine enormi schismaticus non purus, ut habet Alarius hic n. 7. Schismaticus non purus dicitur ille, qui licet aliam Ecclesiam sibi non constituat præter Romanam, quam credit esse veram, ejusque caput esse Romanum Pontificem, tamen per actum solum voluntatis indicatum per actum externum se subtrahit ab ejus obedientia ex aliqua animi passione: & item quando duo, vel plures de Papatu contendunt, & se pro Summo Pontifice gerunt.

6. Sexta Irregularitas oritur ex defectu perfectæ lenitatis, quam debet habere Ecclesiasticus, ut imitetur mansuetudinem Christi. Et hæc præcipue habet locum, ubi intervenit mutilatio, aut illicita deformatio, & multo magis ubi homicidium etiam indirecte voluntarium; & extenditur ad omnes, qui mandant, consulunt, aut aliquo alio modo causa sunt homicidii, vel mutilationis, scilicet separationis alicujus partis a corpore. Hinc qui non abscindit, sed tantum membrum debilitat, non fit irregularis, etiamsi illud membrum proprium exercitium exercere non valeat: manet enim anima in illo membro, & sic debilitatum pertinet ad ornatum corporis, & inter membra computatur.

7. Quid venit nomine membri?

Resp. Intelligitur illa pars hominis, quæ habet officium per se distinctum ab alia parte, ut manus, pes: non autem digitus, qui membrum non est, sed pars membri. Hinc ad Irregularitatem ex mutilatione requiritur separatio alicujus membri proprie dicti, non autem præcise partis membri. Sic in rixa præscindens ab aliquo digitum pollicem, unguem,

dentes, barbam, capillos, cartilaginem aurium, & qui excæcat, privando aliquem visu, non autem extrahendo oculum, irregularis non est, quia vere non mutilat.

8. Qui graviter vulnerat cum magna sanguinis effusione, sitne irregularis?

Resp. Negative; quia vere nullo membro privat: nec fit irregularis, qui potum dat mulieri adhuc in utero fœtum non gerenti, ut eam reddat sterilem; nec qui dat potionem ad disperdendum fœtum nondum animatum; & idem dic de mutilante mortuum.

9. Qui jubet aliquem percuti, & vulnerari sine deformatione, si vulneratus, vel percussus mutiletur, vel deformetur, estne irregularis?

Resp. Affirmative, immo etiam si quis non contradicat volentibus sua causa aliquem deformare, si contingat deformatio, irregularis erit.

10. Qui dat operam alicui rei, unde sequitur deformatio, vel mors, estne irregularis?

Resp. Distinguendum est inter dantem operam rei licitæ, unde sequitur deformatio, & dantem operam rei illicitæ. Qui dat operam rei licitæ, & adhibet omnem diligentiam, quam potest, ne sequatur deformatio, mutilatio, aut mors, istis nihilominus secutis quis non efficitur irregularis, nisi forte opus sit de se periculosum, & mortis aut deformitatis inductivum. Hinc Clericus utens chirurgia circa vulneratum, etiamsi hoc ex sola charitate faciat, est irregularis, quia ministerium chirurgiæ de se periculosum est, & ob tale periculum Clericis prohibetur. Qui vero dat operam rei illicitæ, etiamsi adhibeat omnem diligentiam possibilem, ne sequatur mors, aut mutilatio, hac secuta, fit irregularis. Si quis rixetur illicite cum alio, si supervenientes Amici eum deforment sui gratia, etiam sine suo consensu, fit irregularis. Idem dic de Clericis, qui intersunt rixæ, auxiliando, & animando pro parte injusta, si quis deformetur, fit irregularis; si vero interfit solum ad pacificandum, licet ex eorum præsentia, amici, affines, servi animentur, contraria

pars

pars terreatur, & inde sequantur mutilationes, & deformationes, non fit irregularis, quia dat operam rei licitæ, quæ de se non est incitativa ad sanguinis effusionem, sed retractiva, licet per accidens hæc sequatur.

11. Ex homicidio casuali sequiturne Irregularitas in eo, qui causam aliquam dat homicidio?

Resp. Homicidium casuale dicitur illud, quod fit præter intentionem agentis; & hoc dupliciter sequi potest, uno modo immediate, quando scilicet aliquis est causa proxima & immediata, ex qua sequitur mors; alio modo, quando quis est causa tantum mediata & remota, unde illa sequatur. Doctores utuntur etiam hic distinctione superius insinuata, scilicet cum quis vacat rei licitæ adhibita sufficienti diligentia, & cum quis vacat rei illicitæ: sic ergo in genere respondendo communiter sentiunt, homicidum casuale ortum cum sufficienti diligentia ad illud evitandum, irregularitatem non causare, nisi forte actio de se sit valde periculosa; ortum vero ex actione illicita & periculosa eam causare: res tamen indiget per casus particulares dilucidari.

12. Quinam sunt casus usitatiores, in quibus ex homicidio casuali non oritur Irregularitas?

Resp. Sunt isti; deserviens infirmo, & vertens in eodem lecto, vel transferens diligenter de lecto ad lectum, vel porrigens cibum, qui a Medico vetitus non fuit, si ex his infirmus moriatur, irregularis non est. Docet Bonacina, Sacerdotibus, & Religiosis circa moribundos eadem opera servilia licere, quæ licent Laicis; secus in claustris ex hoc periculo quandoque immo sæpius cum multo infirmorum detrimento minueretur servitus necessaria. Amicus amicum comitans; ne periclitetur in via, si postea ille inveniens inimicum suum eum occidat, Clericus comitans non est irregularis, nisi amicum animet ad occidendum; Adulter caute & prudenter se gerens juxta existimationem hominum in tali materia, si adultera a viro occidatur, non ideo est irregularis. Mittens servum ad villam; si a furibus,

& prædonibus occidatur: Qui aliquem condemnatum ad patibulum comitatur, & casu impellit jumentum, quo ille vehitur, unde per aliquod tempus acceleretur mors: Qui de mandato Episcopi conducit armatos ad custodiam Castri, si exurgente pugna multi moriantur, isti omnes ex Alario, & Diana irregulares non sunt, quia nullum Jus talibus actibus prudenter gestis Irregularitatem imponit.

13. Quinam sunt casus, in quibus ex homicidio casuali oritur irregularitas?

Resp. Si quis domi suæ nutriat ferocem belluam, quæ culpa sua, quia eam solutam tenet, aliquem occidit, vel deformat; Qui rixatur injuste cum aliquo, si supervenientes Amici illum deforment, etiam sine suo consensu; Qui non est Medicus, vel Chirurgus, & evellit telum infixum corpori alicujus, vel vulnerati, ut citius moriatur; Qui assistit infirmo valde laboranti, & aliquid præbet, vel consilium dat, ut ei porrigatur ad citius moriendum, si moritur, est irregularis: Magister castigans discipulos indiscrete, & sine circumspectione, ita ut eos deformet: Clericus in venatione illicita, vel aliis exercitiis illicitis se detinens, in quibus accidentaliter aliquem deformat: Introducens meretricem in domum suam per tecta, vel fenestras, si decidens deformetur, vel abortiri cogatur: Adulter inventus a marito, si in sui defensionem eum occidat: Jocans, vel saltans illicite cum muliere gravida, quæ propter hoc fœtum animatum abortitur: Qui dormiens suffocat infantem a se illicite positum in eodem lecto; Mittens per lusum puerum in flumen, qui per accidens in eo suffocetur: In his casibus apud Doctores incurritur Irregularitas. Ubi advertis appositum verbum *illicite*, scias quod ex eadem actione licite facta cum cautela; puta venatione, lusu, & joco, licet sequatur deformitas, occisio vel mutilatio, cum tamen sit casualis ex opere licito, & cum debita diligentia facto, Irregularitas non incurritur.

14. Nunquid semper ex actione illicita, si sequatur homicidium casuale, quis evadit irregularis?

Resp.

Resp. Negative, sed solum cum actio illicita est periculosa, & forte propter periculum deformationis Clericis est prohibita. Hæc regula generalis non est: nihilominus valde inservit ad solvendos sequentes casus communiter ab Auctoribus positos, ex quibus ad consimiles quis facile poterit erudiri. Si Clericus illicite secans alienam arborem, casu sine culpa deformet aliquem præsentem: Pulsans Campanam tempore prohibito, & adhibens eam diligentiam, quam adhiberet tempore licito, nihilominus cadens tintinnabulum aliquem occidit: Monachus, cui ex Regula prohibita est equitatio, equitando mulam, quæ calcibus puerum occidit: in istis casibus censet Navarrus irregularitatem non incurri, licet homicidium sequatur ex actione illicita, quæ tamen nullatenus ordinatur ad deformandum.

15. Ex homicidio, vel in deformitate tempore belli secuta oriturne irregularitas?

Resp. Si bellum injustum sit, ex homicidio, deformitate, & mutilatione unius tantum militis totus exercitus fit irregularis. Item qui vendit arma, custodit sarcinas præliantium, aliquo modo adjuvat, animat, & hortatur, irregularis est. In bello justo Clericus adhortando generaliter ad victoriam, & efficiendo ope, & hortatur, ut milites plures occidant, præbendo, vel vendendo arma, vel percutiendo manibus, dummodo per se non deformet, neque occidat, neque occisionem directe præcipiat, non fit irregularis, quia hoc modo se gerens, non mortem, sed quod justum est, & appetibile tanquam bonum, principaliter intendit, scilicet Principis, Patriæ, suorumque liberationem. Si autem per se occidat vel deformet aliquem ex hostibus, irregularis est, quia necessitas defendendi excusat quidem a peccato, non vero ab irregularitate, quia se immiscet rei Clericali statui indecenti, & prohibitæ: Christi enim militia cruenta non est: ita Navarrus. Addit Alarius, quod Papa dando Clerico potestatem præliandi tollit irregularitatem. Sententiarum diversitatem in hac materia vide in parte secunda *c. de homicidio*, Sectione *de Bello*.

16. Ex homicidio facto in sui defensionem oriturne irregularitas?

Resp. Invasus, qui aliter vitam suam tueri non potest, quam occidendo aggressorem, nullatenus incurrit irregularitatem, quia homicidium hoc est necessarium ad servandum jus naturæ dictans defensionem suæ vitæ. Hoc intellige, si occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ; si enim potest vulnerando & fugiendo incolumitati suæ sufficienter providere, & occidit, irregularis est; occisio enim est cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ. Neque enim meo videri, cum Alario, qui citat plures, ex fuga redditur Clericus infamis, cum honor Clericalis mensurandus sit ex mansuetudine, & imitatione Christi Domini, non vero ex fortitudine, & strenuitate militari sæculari. Hinc etiam irregularitatem incurrit Clericus vulneratus, qui invasorem post illatum vulnus fugientem occidit; tunc enim non est amplius in necessitate se defendendi, sed occidit animo vindictæ. Item ex Alario. *n.* 3. *De deformatione licita*, irregularis non est occidens, vel mutilans parantem insidias, cum aliter se defendere nequit. Neque etiam vocans socium, ut se ab invasore defendat, qui propterea illum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit; in quo casu est homicidium necessitatis, defensio justa. In nullo casu quam in illo propriæ vitæ defendendæ excusatur quis ab irregularitate. Unde ad defendendam vitam consanguinei, amici, vel innocentis injuste invasi, vel ad defendenda propria bona a jure, licet quandoque quis non peccet, fit tamen semper irregularis irregularitate modo ex delicto, modo ex defectu lenitatis.

17. Itaquæ personæ Ecclesiasticæ, ut sibi in bonorum direptione & vitæ consulant, vel etiam damno alterius sibi ita conjuncti, ut injuria illius habeatur tamquam propria: tales sunt parentes, fratres, filii, consanguinei, eorumque bona, immo & bona Ecclesiastica, non autem amici, aut eorum bona; possunt absque peccato & irregularitate apud Judices Sæculares querelas deponere, de

de malefactoribus conqueri, indicia tradere, immo & capere, & Judici consignare, facta tamen prius protestatione se nec mortem, nec mutilationis pœnam intendere, sed solum defensionem sui, suarumque rerum vel Consanguineorum, vel Servorum, aut Ancillarum, ut diximus; quæ protestatio tutius scripto facienda est, licet ad evitandam irregularitatem sufficiat tantum verbalis. Hæc protestatio juvat solos accusantes, aut denuntiantes, non autem Notarios, Advocatos, vel Testes. Ut Clericus accusans sit vere ab irregularitate immunis, debet de facto sic protestari, & ope & animo ab omni vindictæ desiderio spoliari: aliter vult Molina eum esse irregularem in foro conscientiæ, si contra Reum procedatur ad pœnam capitalem, aut ad mutilationem. Verum Diana putat ex hoc actu interno irregularitatem non incurri, quia Ecclesia non judicat de interno. Protestatio Ecclesiastici tunc solum necessaria est, cum accusatur, vel denunciatur Reus de delicto, pro quo pœna sanguinis debeat imponi, vel agatur criminaliter, non civiliter contra ipsum. Quod si ex Judicis imperitia non servetur ordo Juris, Reus mutiletur, Judici, non accusatori imputabitur mutilatio: hinc non erit irregularis.

18. Ex homicidio publico oriturne irregularitas?

Resp. Homicidium publicum dicitur occisio delinquentis ob sua delicta, publice ab executore Justitiæ facta. Occasione hujus plures irregularitates incurri possunt a Clericis se ingerentibus in hoc fine cautela & moderatione Ecclesiastica, quam supra notavimus, & qualis decet Christi imitatorem, qui pro Crucifixioribus exoravit, non autem vindictam petiit. Hinc irregularitatem incurrunt personæ publicæ, aliquo modo concurrentes ad sententiam vel executionem mortis tamquam Ministri Justitiæ, tales sunt Judex, Fiscalis, Accusator, Advocatus contra Reum, Carnifex, deferentes ligna ad Hæreticum comburendum; dummodo ligna lata inserviant morti, non autem præcise ut post mortem cadaver comburatur. Ex Francisco

Molina, etiam pulsans Campanam, quando malefactor est occidendus, tum quia id facit tanquam Minister Justitiæ, tum etiam quia signum hoc occisionem intendit. Indicans Latronem latentem, quem scit a Judice pœna capitis esse plectendum, si autem signa & indicia sint insufficientia, & hoc faciat animo recuperandi res furatas absque illius mortis intentione, & cum protestatione, ut dixi, irregularis non est. Quid inimicis venientibus, vel voce, vel aliquo alio instrumento turbam convocat, ut eos occidant, vel Latronem vocent, irregularis est; nec juvat, antequam occidant, protestationem facere, quia protestatio est privilegium tantum accusatoris, & Judicis facienda est.

18. Circa Sacerdotes comitantes Reum ad supplicium, placet hæc, quæ beniguiora sunt apud Dianam, tradere, qui posito hoc principio, irregularitatem nempe ex homicidio publico impositam esse tantum concurrentibus ad illud tanquam Ministris Justitiæ, hæc resolvit. Primo, Sacerdos comitans Reum ad furcam, si hortetur Reum, ut scalas ascendat, vel caput admoveat stipiti, non fit irregularis, contra Alarium, qui vult hortantem condemnatum, ut admoveat caput ad stipitem, ascendat scalas, aut aliud faciat, quo acceleretur mors, esse irregularem. Placuit apponere utranque sententiam, ut Sacerdos ex una parte caveat se istis immiscere: si vero incaute aliquid ex his egerit, non statim sit de irregularitate dubius. Secundo, Confessarius obligans Pœnitentem ad confitendum delictum capitale, ne sit perjurus, vel consulens acquiescere sententiæ mortis, quam nequit differre, nisi per appellationem injunctam, non fit irregularis. Tertio, Confessarius a Judicibus quæsitus, an Reus homicidii sit decapitandus, potest sine scrupulo irregularitatis incurrendæ respondere homicidam pœna mortis secundum leges puniendum esse, & negare potest absolutionem Judici nolenti condemnare, vel sequi sententiam justam; in istis casibus enim, inquit Suarez, sic in genere respondendo non movet determinate Judicem

ad con-

ad condemnandum hunc Reum in particulari, sed omnes Reos in generali. Adde, quod sic se gerendo bene gerit munus proprium Directoris conscientiarum, proinde ex hoc munere bene præstito nequit ullà pœna puniri. Quarto ex Diana, Episcopus permittens Judici Laico exhumationem corporis occisi ad capiendas informationes de delicto in genere, non fit irregularis, quia hic actus est valde remotus a morte occisoris, neque ex hoc habetur positive concursus, sed mera permissio; & sic actum esse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur Genuensis, qui addit in eadem Curia decisum esse, quod possit Curiæ Sæculari concedi copia sententiæ depositionis, seu degradationis verbalis alicujus Clerici, qui inquisitus de homicidio allegat se esse Clericum, Curia Sæculari id negante. Clericus assistens ex mera curiositate, quando Reus suspenditur, secundum Sayrum, peccat mortaliter propter prohibitionem, quæ super hoc habetur in Sacris Canonibus; secundum Suarez venialiter tantum ex levitate materiæ, secundum Dianam nullo modo peccat, quia putat Canonem prædictum abrogatum jam esse contraria consuetudine. Tu vero scias propter hoc irregularitatem non incurri, interim abstine; non enim hæc spectacula oculis Clericorum sunt digna.

20. Ex consilio oriturne irregularitas?

Resp. Consilium homicidii tripliciter dari potest; vel per modum exhortationis, vel per modum approbationis, vel per modum simplicis opinionis. Cum ergo homicidium sequitur ex vi consilii quomodocunque dati, tunc quis irregularis efficitur ex consilio. Excipe tamen hos casus: primo, Principum Consiliarii, sive sint Sæculares, sive Clerici, in condendis legibus pœnam capitis statuentibus malefactoribus, non fiunt irregulares; non enim intendunt homines trahere ad mortem; sed retrahere a criminibus: hoc autem ministerium implere bonum est. Secundo, qui alicui consulit, ut pro fide Christi, vel Ecclesiæ, pro parentibus, amicis, Patria; & etiam pro bonis illorum se mortis periculo expo-

nat, etiamsi indubitanter sciat aliquem moriturum; non est irregularis; hic enim consulit, & intendit, quod bonum, & justum est, ex quo per accidens sequitur mors. Tertio, qui consuluit homicidium, & ante ipsius consummationem consilium revocavit, & omni studio conatus est persuadere contrariam sententiam, si alter non acquiescat, & nihilominus occidat, consulens non fit irregularis; homicidium enim alterius malitiæ, non consulentis persuasioni tribuendum est; item transacto tempore, quo homicidium consultum, & non patratum fuit, si postea fiat ex aliquo extrinseco adveniente, non est irregularis consulens: secus si virtute prioris consilii fiat; tunc enim esset irregularis ex homicidio casuali. Hæc omnia Molina ex Toleto, cui addit Diana, dubium an homicidium ex suo consilio patratum sit, debere se gerere ut irregularem: neque sufficienter evacuat dubium, homicidium contigisse post multos dies, nisi novum, & grave motivum homicidii irrepserit postquam consilium fuit datum. Qui alteri consulit homicidium, quod absque tali consilio paratus erat executioni mandare, non est irregularis, nisi forte ex consilio quis magis animetur, & confirmetur ad illud patrandum. Quod dico de consulente, a fortiori dici debet de mandante, sed forte facilius excusatur ab irregularitate homicidii casualis revocans mandatum, quam revocans consilium, qui strictius tenetur conari totis viribus contrariam sententiam retractativam homicidii persuadere, ne suum consilium aliquo modo influat in mortem: mandans autem, qui operatur per imperium, hoc revocat, & quidem graviter, & sincere nihil influit in mortem, quæ tota tribuitur malitiæ mandatarii.

21. Ex ratihabitione homicidii quis sitne irregularis?

Resp. Ratihabitio est quædam complacentia, quam hic habet de homicidio facto ipso inscio, non machinante, non consentiente. Ex Alario, & aliis, simplex ratihabitio homicidii facti, licet peccatum sit, irregularitatem tamen non causat, quia hæc in

jure

jure non exprimitur, & etiam quia ratihabitio, cum sit posterior ad homicidium jam factum, non potest illud causare, cum implicet actum agere.

22. Ex omissione auxilii, ratione cujus extreme indigens moritur, oriturne irregularitas?

Resp. Si quis tenetur ex justitia succurrere personæ extreme indigenti, & quia non succurrit, illa moritur; tunc fit irregularis; aufert enim quod est debitum extreme indigenti, proinde occidit. Sic inserviens infirmo, & negligens ea, quæ necessaria sunt ejus saluti, quapropter infirmus moritur, fit irregularis: si autem sola tenetur charitate indigenti succurrere, non fit irregularis.

23. Collige ergo, irregularitatem ex homicidio oriri ex homicidio voluntario, & casuali, cum quis dat operam rei illicitæ, vel licitæ sine debita diligentia; ex defensione sui cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, ex defensione bonorum, & amicorum etiam justa, & cum moderamine, ex bello injusto, & justo: ex homicidio publico, ex consilio, & ex mandato; istæ autem irregularitates, cum intervenit culpa, sunt ex delicto; cum culpa non intervenit, sunt ex defectu lenitatis, quæ decet Clericum imitatorem mansuetudinis Christi.

24. Carens usu rationis, si eo tempore occidat, vel mutilet, aut deformet, efficiturne irregularis ex delicto?

Resp. Cum Alario *verbo deformitas licet n.* 30. negative, si sit furiosus, infans, dormiens, puer ante usum rationis, qui adhuc doli capax non sit, & nesciat, quid faciat, dum occidit, vel mutilat. Ita etiam ebrius, nisi forte culpa sua fiat ebrius, & ante ebrietatem advertat se solitum esse arma capere, & alios lædere; tunc nisi diligentia adhibeatur, ne sequatur homicidium, erit irregularis ex delicto, & homicidio voluntario; hoc enim est illi voluntarium in causa: si autem nullo modo prævideat ante ebrietatem, erit irregularis ex homicidio casuali secuto occasione operis illiciti.

SECTIO II.

De Irregularitate ex defectu.

1. Quot sunt species irregularitatis ex defectu?

Resp. Quinque, nempe ex defectu animæ, ex defectu corporis, ex defectu natalium, ex defectu ætatis, ex defectu Sacramenti.

2. Quinam sunt irregulares ex defectu animæ?

Resp. Primo, energumeni, qui etiam dæmoniaci, & abreptitii vocantur: Tales ergo a Dæmone vexati, etiamsi semel arrepti fuerint, si nondum ad Ordines sunt promoti, neque promovendi sunt. Si fuerint promoti ad Ordines minores, nequeunt ascendere ad majores: quantum autem ad ministerium Ordinum, quibus jam sunt insigniti, si post annum probationis fuerint ab Episcopo reperti omnino liberi a Dæmone, poterunt in Altaris ministerio inservire, celebrare, & reliqua munera Ordinis Sacerdotalis exercere.

3. Secundo furiosi, lunatici, epileptici, qui morbo caduco laborant, ad Ordines nequeunt promoveri: quantum ad ministerium in susceptis Ordinibus post annum probationis, si fuerint omnino liberati, poterunt in Altari ministrare, sicuti de dæmoniacis jam dictum est. Epileptici tamen, qui sæpius cadunt, vel etiam raro, sed cum deformatione, spuma, & clamoribus, nunquam in Altari ministrare permittuntur: si vero raro cadant, & absque prædictis accidentibus, permittuntur celebrare, sed cum coadjutore, qui in casu necessitatis suppleat Sacrificium.

4. Tertio, neophyti, seu recenter conversi a Judaismo, arceantur ab Ordinibus, usque dum judicio Episcopi fuerint sufficienter instructi: ad Ordines autem majores promoveri non debent, nisi a multo tempore ad Fidem fuerint conversi, & hoc tempus a Toleto censetur spatium decem annorum. Non

sunt

sunt computandi inter neophytos neophytorum filii ab infantia baptizati.

5. Quarto, illiterati ab Ordinibus susceptis ministrandis, & ab aliis suscipiendis omnino detruduntur, usque dum sufficienter erudiantur de necessario requisitis ad decens sui Ordinis ministerium.

6. Quinam sunt irregulares ex defectu corporis?

Resp. Quicunque notabiliter, & deformiter deficiunt, vel abundant in corporis membris, & quidem parentibus, non autem occultis: isti irregulares sunt, non tantum ad Ordines suscipiendos, verum etiam ad ministrandum in jam susceptis. Omnis etiam defectus corporis, sive in membro sit, sive in membri parte, qui hominem, vel reddit totaliter ineptum ad Ordinis exercitium, vel relinquit aptum ad exercendum cum deformitate tali, ut ingeneret horrorem præsentibus, facit irregularem; si autem absque horrore aliquod exercitium Ordinis ministrare valeat, quoad hoc irregularis non est. Prima irregularitate irregulares sunt carentes auribus, naso, notabiliter gibbosi, leprosi, paralytici: in dubio autem; utrum deformitas sufficiens sit ad irregularitatem, in Clericis sæcularibus interest Episcopi judicare: in Regularibus hoc spectat ad eorum Prælatos. Secunda irregularitate irregulares sunt cæci, surdi, claudi, qui sine baculo ad Altare ire non possunt; carentes manu, pollice, indice, oculo sinistro, seu Canonico, aut ejus virtute visiva.

7. Irregulares etiam sunt defectu corporis eunuchi, sive per vim, sive per infirmitatem tales sint: item Hermaphroditus, quia est monstruosus, Gigas, Pigmæus, Æthiops, non tamen inter suos, sed inter alienos, inter quos tanta disparitas ludibrio est.

8. Quinam sunt irregulares, defectu natalium?

Resp. Omnes illegitimi, qui ex illicito concubitu, tam occulto, quam publico, orti sunt; isti enim reputantur viles, & ad vitia paterna valde proclives. Nati matrimonio non valido propter occultum impedimentum reputandi sunt tanquam legitimi, & habent capacitatem ad quascunque dignitates;

tes: filii etiam fornicationis per subsequens Matrimonium legitimati, irregulares non sunt; non autem illi qui legitimantur a Principibus Sæcularibus, isti enim ad sola sæcularia officia, non autem ad Ecclesiastica munera habilitantur. Expositi præsumuntur illegitimi & irregulares. E contra quilibet natus ex matre conjugata, & cum viro suo cohabitante, censeri debet legitimus, donec aliud probetur; neque tenetur credere matri, etiam in extremo vivendi, defendenti ipsum esse illegitimum, nisi convincatur rationibus, vel etiam vir, aut pater idem confirmet. Per ingressum Religionis, & solemnem Professionem in ea, tollitur hæc irregularitas quoad Ordines suscipiendos, non autem quoad Religionis Generalatum, seu primam dignitatem. Sæculares possunt ab hac irregularitate dispensari ab Episcopo quoad Ordines minores tantum, & quoad simplex Beneficium obtinendum; quoad majores Ordines, Beneficium curatum, & cæteras dignitates, solus Papa dispensat.

9. Hanc irregularitatem sequitur alia, quæ est ex defectu originis, & istam contrahunt, qui nati sunt servi legales, nisi dominus concedat libertatem: natus tamen ex Matre libera, & Patre servo potest ordinari, quia fructus sequitur ventrem, adeoque vere liber est.

10. Si servus ante libertatem adeptam domino sciente ordinetur, acquiritne libertatem?

Resp. Affirmative: Episcopus tamen, qui eum ordinavit, & ipse ordinatus peccant, quia faciunt contra Sacros Canones.

11. Idemne dicendum est de servo legali Sacerdotio initiato domino ignorante, vel contradicente?

Resp. Negative: Immo Episcopus, præsentator, testes, si scienter ad talem Ordinationem concurrunt, tenentur duplum domino reddere; vel ad minus, ex Toleto, ordinatus tenetur peculium reddere domino juxta valorem servi, & sic redimitur a servitute; quod si neque hoc reddere valeat, serviet ipsi in spiritualibus, & temporalibus, quæ non dedecent Sacerdotem; & si inobediens, & notabiliter contumax

eva-

evadat, degradabitur, & domino serviet sicut antea: Idem dici debet de ordinatis in minoribus, quoad obligationem Episcopi, præsentatoris, & testium. Si ergo domino sciente & non contradicente, servus ordinetur in minoribus, fit liber: si domino ignorante, vel contradicente, deponi debet, & iterum ad pristinam servitutem reduci. Diacono, & Subdiacono permittitur, ut vicarium, vel alium servum substituant, & si hoc nequeunt præstare, deponi debent, & iterum ad pristinam servitutem reduci.

12. Ordinatus restitutus suo domino incederene debet in habitu, & tonsura?

Resp. Negative, quia hoc est valde indecens Ordini Ecclesiastico; donec ergo totaliter non liberetur, incedere debet more laicorum: nec amplius gaudet privilegio fori, sed tantum Canonis.

13. Quantum tempus conceditur dominis ad reclamandum, & repetendum servum, ipsis insciis, vel invitis ordinatum?

Resp. Potest reclamare infra annum, quo elapso, servus liber omnino efficitur, si non reclamaverit: si tamen servus Monasterium aliquod sit ingressus, & nullo Ordine sit initiatus, potest repetere intra spatium triennii, & non ultra.

14. Irregularitatem servitutis comitatur irregularitas ex defectu liberationis perfectæ, & hanc contrahunt Curiales, obligati ad ratiocinia.

15. Quisnam venit nomine Curialis?

Resp. Nomine Curialium veniunt Judices, Advocati Forenses, Notarii, Milites, & alii quicunque Curiæ obligati, & quandam servitutis speciem cum ipsa habentes. Isti si sunt in perpetuum ad Curiam obligati, perpetuo arcentur ab Ordinibus: si autem solum ad tempus, eo elapso, & abdicato officio, ordinari possunt, nisi se immiscuerint causæ mortis, & mutilationis, unde perpetua irregularitas orta sit, vel etiam si aliquod officium infame in Curia exercuerint.

16. Quinam dicuntur obligati ad ratiocinia?

Resp. Tutores, Procuratores, Curatores, & aliæ perso-

personæ, quæ ministrationem facultatum alicujus exercent, isti omnes administratione etiam deposita ordinari nequeunt ante redditam rationem administrationis: si publicum officium administraverint, si autem administraverint bona personæ privatæ, illa deposita, etiam ante redditam rationem promoveri possunt, nisi manifestum sit illos de dolo teneri, vel eis in ipsa promotione ad Ordines contestata fuerit de ratione reddenda; in quo casu tempus litis decidendæ, & quidem congruum, taxari debet, qua finita, deposita administratione, persolutis debitis promoveri possunt. Debitor creditore reclamante ad Clericatum promotus, non est deponendus, sed ejus bona cedent creditori: quæ si ad debita solvenda sufficientia non sint, qui inconsiderate, & negligenter illum ordinavit, supplere tenetur.

17. Obligatus personæ miserabili, cujus curam ex charitate suscepit, poteftne ordinari onere non deposito?

Resp. Affirmative, miserabilium enim personarum curam suscipere non est alienum a pietate Ecclesiastica: idem dic de serviente Ecclesiæ, quia in hoc casu nec infamatur, nec molestatur Ecclesia.

18. Quænam est irregularitas defectu ætatis?

Resp. Est tempus determinatum a jure ad Ordines suscipiendos, ante quod quis irregularis dicitur, eo quod est Ordinum incapax. Ætas legitima primæ Tonsuræ suscipiendæ est a septennio usque ad duodecimum annum. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus suscipi possunt solum duodecimo anno completo. Ætas pro Subdiaconatu est annus vigesimus secundus inceptus pro Diaconatu vigesimus tertius; pro Presbyteratu vigesimus quintus.

19. Quænam est irregularitas defectu Sacramenti?

Resp. Est illa, quæ reperitur in bigamo, qui ratione bigamiæ contraxit Matrimonium non repræsentans perfectam unionem Christi cum Ecclesia, quia bigamia jam divisit carnem in plures. Tres alias rationes adducit Glossa, propter quas bigamus ab Ordinibus arcetur, scilicet propter Ordinis excellentiam,

tiam, ratione cujus quis aliqua imperfectione notatus ad præstantissima Ordinum munera promoveri non debet: secundo, propter signum incontinentiæ, quæ in bigamo præsumitur: tertio, quia bigamus frontem non habet adhortandi alios ad viduitatem, & ad continentiam.

20. Quid, & quotuplex est bigamia?

Resp. Bigamia est multiplicitas nuptiarum, & triplex est, vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamus verus est, qui realiter duas uxores successive habuit, sive ante Baptismum, sive post, sive unam ante Baptismum, alteram post. Bigamus interpretativus est, qui Viduam duxit, vel ab alio corruptam accepit in uxorem. Bigamus similitudinarius est, qui habens solemne votum castitatis perpetuæ, quo Deo purissimo vinculo Matrimonii ligatus est, audet cum muliere contrahere, vel Laicus legitimam uxorem habens, & cum alia invalide contrahens; nec refert, quod hæc Matrimonia invalida sint, quia quantum est ex parte contrahentis, effectus a parte rei ponitur.

21. Qui successive contrahit duplex Matrimonium; quorum unum invalidum est, incurritne irregularitatem bigamiæ?

Resp. Si utramque uxorem cognovit, sive valide, sive invalide Matrimonium cum illis contraxit, semper est irregularis, quia ad hanc irregularitatem incurrendam non requiritur necessario veritas Matrimonii; sed satis est, ut sit forma tantum, licet ficta, & non vera. Hinc etiam est irregularis, qui contraxit Matrimonium nullum, & invalidum cum Vidua.

22. Qui contraxit Matrimonium cum Vidua, quæ a primo viro cognita non fuit, sed adhuc virgo remansit, estne irregularis?

Resp. Negative, quia in hac carnis divisio facta non est. Hinc secundum Matrimonium habet perfectam significationem Sacramenti.

23. Qui contraxit cum deflorata, quam putabat virginem, estne irregularis?

Resp.

Resp. Affirmative, quia hæc irregularitas cum non sit ex culpa, sed ex defectu, ab ignorantia non excusatur. Qui autem contraxit cum ea, quam ipse defloraverat ante Matrimonium, irregularis non est, quia ille non dividit carnem; sed eandem repetit Matrimonio secuto.

24. Qui de patrato adulterio ab uxore adhuc ignarus eam cognoscit, contrahitne irregularitatem bigamiæ?

Resp. Affirmative, quia hoc actu carnem dividit, & Ecclesia judicat factum, non errorem. Hinc etiam irregularis erit, si post adulterium uxorem cognoscat Ecclesiæ præcepto coactus.

25. Ultra irregularitatem, Clericus, qui existens in Clericatu bigamiam contraxit, amittit privilegium fori, & Canonis; Sacerdos autem, qui post susceptum Ordinem contraxit, non amittit privilegia fori, & Canonis, quia perpetuo in statu Clericali manere debet: non sic minoribus tantum initiatus, quia ad sæcularem vitam potest se transferre. Hac eadem ratione Alarius docet, bigamum bigamia similitudinaria privilegium fori, & Canonis non amittere.

SECTIO III.

De effectibus Irregularitatis.

1. QUinam sunt effectus Irregularitatis?

Resp. Sunt sequentes: primo inhabilitare ad Ordines suscipiendos, etiam primam Tonsuram, & ad ministrandum in jam susceptis. Hinc ex Bonacina, Sacerdos irregularis, etsi valide absolvat, illicite tamen absolvit. Secundo collatio Beneficii facta irregulari inhabili ad exercendas functiones Beneficii, invalida est secundum communem sententiam. Docent tamen Layman, Sylvestrina, & Bonacina, collationem non esse ipso facto irritam; sed cognita per Judicem irregularitate; illam merito irritandam esse. Irregularitas non impedit actum jurisdictionis, sed Ordinis.

2. Sunt-

2. Suatne validi Ordines collati irregulari?

Resp. Validi sunt: irregularis autem cum hac inhabilitate sibi cognita eos suscipiens, aut exercens, peccat mortaliter contra præceptum Ecclesiæ.

3. Excusaturne quandoque a peccato mortali irregularis ministrans, & exercens Ordines?

Resp. Ex Alario hic verbo *Irregularitas n.* 4. qui citat pro sua sententia Navarrum & Castrum *de lege pœnali*; Irregularis etiam ex homicidio occulto, aut etiam in foro conscientiæ excommunicatus, vel suspensus, potest celebrare, ne alioquin infametur; item in articulo mortis, si nullus sit Sacerdos, potest infirmum absolvere sine ullo peccato; hoc enim est indultum ratione necessitatis; ne infirmus sine pœnitentia decedat.

4. Celebrare in irregularitate inducitne novam irregularitatem?

Resp. Ex Alario n. 9. negative, qui addit ex Graffio, nec etiam inducere novam irregularitatem retinere id, ob quod quis est irregularis.

5. Irregularitas privatne ipso facto irregularem Beneficio acquisito?

Resp. Ex Alario, verbo *Irregularitas num.* 3. nulla irregularitas privat Beneficio acquisito, sed tantum acquirendo. Hinc ante Judicis sententiam potest irregularis licite uti fructibus Beneficii obtenti, etiamsi irregularitas sit ex homicidio voluntario, & ut inquiunt Doctores, ex homicidio qualificato. Excipe tamen sequentes casus, in quibus irregularis ex homicidio est ipso facto Beneficio privatus. Primo, quando occidit Christianum per assassinium. Secundo, quando occidit, vel percutit Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Tertio, si occidat Episcopum consecratum. Quarto, si Beneficiatus occidat, vel mutilet, vel per se, vel per alium, Rectorem alicujus Ecclesiæ, aut Clericum consocium ejusdem Ecclesiæ, in hisce casibus, quia amissio Beneficii est ipso facto, tenetur quis restituere fructus perceptos post patrationem criminis, & ante Judicis sententiam.

6. Ir-

6. Irregularis secundum quid, & inhabilis ad exercitium unius Ordinis, non vero alterius, potestne obtinere Beneficium?

Resp. Ex Alario, affirmative, si Beneficium habeat annexum tantum exercitium illius Ordinis, quod ex irregularitate secundum quid impeditum non est; non autem si habeat annexum exercitium Ordinis impeditum.

7. Si quis dubitet, an sit irregularis, debetne se gerere tanquam irregularem?

Resp. Ex Alario *n.* 8. in foro interiori, & conscientiæ, debet se gerere tanquam irregularem, quia in foro pœnitentiæ & conscientiæ, tutior pars est eligenda; oportet autem dubium esse probabile, & practicum, nec sufficit conscientiæ scrupulus: in foro autem exteriori, si quis sit tantum dubius, non vero certus de irregularitate, non tenetur se gerere tanquam irregularem: ita communiter Doctores apud ipsum.

Resp. Secundo cum pluribus, qui sic distinguunt: aut dubium irregularitatis est dubium Juris, quia non constat certe esse Jus, & Canonem inducentem talem pœnam; & tunc in neutro foro quis tenetur se gerere tanquam irregularem, quia nulla irregularitas incurritur, nisi sit in Jure expressa: aut dubium est facti, quia scilicet constat irregularitatem esse in Jure Canonico expressam, & dubitatur solum, an reus in eum casum inciderit, cui affixa est pœna irregularitatis; & tunc in utroque foro censendus est irregularis, quia possessio stat pro irregularitate, & pertinet ad eum probare contrarium.

8. Si quis sit dubius, an ex consilio suo secutum sit homicidium, teneturne se gerere ut irregularem?

Resp. Cum Alario, sic dubitans est irregularitate ligatus: stat enim præsumptio contra consulentem, dum ipse non probat oppositum; Suarez tamen §. 6. *n.* 8. negat.

S E-

SECTIO IV.

Quomodo tollatur Irregularitas?

1. Cum Irregularitas sit inhabilitas inducta a Jure, non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel consimili forma: Dispenso tecum in irregularitate, quam ob hanc, vel illam causam incurristi; & si plures sint irregularitates, omnes in dispensatione explicandæ sunt. Si autem dispensans possit tollere unam, non vero omnes, illa tantum, quam potest, & vult dispensare, erit ablata, remanentibus aliis reservatis habenti majorem auctoritatem.

2. Quisnam potest dispensare ab irregularitate?

Resp. Cum irregularitas ex delicto etiam homicidii qualificati non sit a Jure divino, hinc a quacunque irregularitate ex eo proveniente potest Summus Pontifex dispensare. Ex jure novo, & ex Concilio Tridentino, ubi est receptum, possunt Episcopi in suis Diœcesibus dispensare ab irregularitatibus provenientibus ex delicto non deducto ad forum contentiosum, præterquam ab illa homicidii directe & in re voliti. Neque etiam dispensare potest Episcopus ab irregularitate proveniente a simonia in Ordine, vel Beneficio; in hac enim quamvis occulta non dispensat Episcopus, ut habetur in Bulla Clementis VIII. incipiente, *Romanum Pontificem*. Nomine Episcopi venit Prælatus consecratus habens jurisdictionem Episcopalem, non autem nondum consecratus, & habens jurisdictionem quasi Episcopalem, juxta declarationem Congregationis Concilii, quam refert Alarius n. 12.

3. Poteſtne quandoque Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ab homicidio voluntario?

Resp. In istis casibus, juxta Alarium, qui citat pro se Navarrum; scilicet primo, cum quis ad sui defensionem alterum occidit excedendo moderamen inculpatæ tutelæ: nisi tamen illa defensione formaliter,

ter, & directe intendisset mortem invadentis. Secundo, in homicidio voluntario dispensant Episcopus, & privilegiati cum clausula *Ab omnibus Censuris, &c.* quando quis nequit facile obtinere dispensationem a Summo Pontifice, & ex altera parte non celebrando sequeretur grave scandalum.

4. Potestne Episcopus dispensare ab irregularitate occulta subditum proprium existentem extra Dioecesim?

Resp. Cum Alario n. 12. negative. Potest tamen Episcopus existens extra Dioecesim subditum proprium existentem in Dioecesi dispensare ab irregularitate.

5. Prælati Regulares possuntne dispensare proprios subditos, sicuti faciunt Episcopi, ab irregularitatibus occultis?

Resp. Quamvis Franciscus Toletus contrarium sentiat; tamen Alarius n. 13. admittit Prælatos Regulares virtute privilegiorum posse absolvere proprios subditos ab omni irregularitate quomodolibet contracta, præterquam in homicidio voluntario, aut præstatione favoris aut auxilii in eodem, & etiam præterquam in bigamis, quibus adde ex dictis simoniam in susceptione Ordinum, vel alicujus dignitatis in Religione. Nomine Prælatorum intendit Alarius etiam Conventuales Præpositos, immo Vice-præpositos, & Vice-provinciales; quod tamen non auderem affirmare, nec extendere talem potestatem infra Generales, vel ad summum ultra Commissarios Generales, & Provinciales. Immo Diana & Barb. sentiunt hujusmodi dispensationes spectare ad Capitulum Generale, vel Provinciale, quod tamen generaliter non est in usu. Hoc privilegium Sixtus IV. ampliavit etiam ad Novitios, pro excommunicationibus, & irregularitatibus in sæculo contractis, ex causis in dicto privilegio narratis, dato tamen quod a Jure, vel a Judice generaliter lata fuerit Censura; secus si dicti Novitii fuissent particulariter excommunicati, vel suspensi, vel interdicti a Judice, & deinde Divina celebrassent.

6. Si quis obtinuit Beneficium, dum actu est irretitus

titus aliqua irregularitate, posita dispensatione super irregulatitate poteſtne Beneficium retinere?

Resp. Cum Alario n. 10. negative; sed petendo dispensationem ab irregularitate debet mentionem facere de possessione illicita Beneficii, cujus irregularis est incapax: non temen idem sentiendum est de pensione, quia ex Congregatione Concilii pensio non est Beneficium.

7. Quantum ad irregularitates, quæ tolluntur ex Baptismo, vel Religionis approbatæ ingressu, dictum est sufficienter in Sectione *de Irregularitate ex defectu.*

CAPUT XIII.

De Confessariis sollicitantibus.

1. QUid venit nomine Confessarii sollicitantis?

Resp. Ex Bulla Greg. XV. venit primo ille, qui in actu Sacramentalis Confessionis, provocat, allicit, & excitat ad actus inhonestos, & a Pœnitente tale aliquid petit, vel procurat, sive ab ipso exequendum tunc, sive absoluta Confessione, sive cum ipso Confessario, sive cum aliis. Secundo, si Confessarius ante, vel post Confessionem immediate, inhonestos ipsos tractatus habuerit. Tertio, si prætextu Confessionis, etiam Confessione non secuta, hoc idem præstiterit. Quarto, si extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, simulans ibi audire Confessionem Sacramentalem, tentet ad inhonesta Pœnitentes, aut cum iisdem inhonestos tractatus, sive sermones habuerit.

2. Quale peccatum committit Confessarius sollicitans?

Resp. Peccatum gravissimum sacrilegii, a quo tamen potest absolvi a simplici etiam Confessario, quia in jure nemini est reservatum.

3. Quænam obligatio est in Pœnitente ad turpia sollicitato?

Resp. Pœnitentes, sive masculus, sive fœmina, ad turpia sollicitati, vel cum quibus Confessarius inhoneste se gesserit verbo, vel actibus, altero ex quatuor modis supradictis, sive ipsi talibus consenserint, sive non, tenentur denuntiare Inquisitori, vel Ordinario loci; alioquin tales Pœnitentes absolvi nequeunt, nisi vel per se, vel per alium revelent; immo etiam incidunt in excommunicationem propter Edicta Inquisitorum.

4. Teneturne alius, qui sub sigillo secreti naturalis scivit a Pœnitente fide digno illum sollicitatum fuisse in Confessione, Confessarium revelare, & denuntiare?

Resp. Affirmative, quia hæc revelatio est in favorem fidei, & propter bonum publicum.

5. Estne revelandus Sacerdos, qui non est Confessarius, & fingens se esse Confessarium, aliquo ex prædictis modis sollicitat?

Resp. Affirmative, quia omnis Sacerdos pro aliquo casu Confessarius est.

6. Estne revelandus Confessarius, qui in Confessione, vel immediate ante, vel post ipsam, præbet Pœnitenti scriptum, in quo continetur sollicitatio?

Resp. Affirmative, etiamsi tale scriptum tunc non legatur a Pœnitente, sed postea domi suæ, aut alibi; nam etiam in hoc casu Confessarius abutitur Confessione in ordine ad inhonesta procuranda; quod est immediate contra finem Bullæ.

7. Si pœnitens primus fuerit in miscendis sermonibus inhonestis, vel Confessarium sollicitaverit, & deinde Confessarius consentiat, & eosdem prosequatur, teneturne tunc Confessarium revelare?

Resp. Affirmative, nam obligatio revelationis Confessarii habentis inhonestos sermones & tractatus inducta a Bulla Gregorii XV. est sine exceptione casus, in quo ipsi non fuerint primi. Nec dici potest, quod pœnitens provocans aut consentiens non teneatur revelare, quia est socius, vel causa criminis; non enim est socius criminis prout hoc pertinet ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal, & ideo in dicto Tribunali

bunali consensus Pœnitentis, aut quidquid secutum inde sit, non recipitur, tanquam non pertinens ad Sanctum Officium, sed solum attenditur delictum, & crimen, prout se tenet ex parte Confessarii.

Propositiones damnatæ, ad hoc Caput reducendæ.

Ab ALEXANDRO VII. 6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

F I N I S.

INDEX
DEFINITIONUM.

Ut nihil omittatur eorum, quæ inservire possunt utilitati Examinandorum, appono Indicem ad excolendam memoriam, in quo reperiuntur omnes Definitiones morales, non quidem rigore Scholastico exacte probatæ, sed ut solent afferri a Summistis: insuper divisiones & Carmina, ubi sunt, omnia ad facilem memoriæ usum. Placuit hunc non ordine alphabetico disponere, sed per Capita hujus Operis, ut quæ habens connexionem materiæ, simul etiam conjuncta in Indice facilius addisci possint; Ubi non invenies indicem, signum est in eo Capite non esse Definitiones.

INDEX PRÆLIMINARIUM
PARTIS PRIMÆ.

Divisio: POEnitentia est Virtus, & Sacramentum.

Definitio Pœnitentiæ, ut est Virtus: Est Virtus Moralis supernaturalis, qua dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei, ex supernaturali motivo, cum proposito amplius non peccandi.

Definitio Pœnitentiæ, ut est Sacramentum: Est Sacramentum novæ legis reconcilians hominem cum Deo virtute Clavium, seu absolutionis Sacramentalis, a peccatis commissis.

Divisio: Materia hujus Sacramenti dividitur in remotam, & proximam: rursus materia remota dividitur in necessariam, & sufficientem.

Definitio materiæ remotæ: Sunt peccata confitenda, & per Confessionem destruenda.

Definitio materiæ proximæ: Sunt actus Pœnitentis; qui proxime subjici debent absolutioni.

Definitio materiæ necessariæ: Sunt peccata lethalia post ultimam Confessionem commissa, quorum quis habet

habet conscientiam, & quæ tenetur subdere confessioni.

Definitio materiæ sufficientis: Sunt peccata venialia, vel peccata mortalia alias confessa, & absoluta, quæ quis non tenetur confiteri.

INDEX CAP. I.

de Ministro.

Definitio Ministri Sacramenti Pœnitentiæ. Est Sacerdos habens potestatem Ordinis, & Jurisdictionis.

Definitio potestatis: Est spiritualis facultas ligandi atque solvendi.

Divisio potestatis: Alia est potestas Ordinis, alia est potestas Jurisdictionis.

Definitio potestatis Ordinis relate ad Clavium administrationem: Est facultas ligandi, atque solvendi, tradita ab Episcopo in collatione Ordinis Sacerdotalis, cum dicitur: Accipe potestatem, &c. quorum remiseris peccata, remittuntur eis; quorum retinueris, retenta sunt.

Definitio potestatis Jurisdictionis: Est spiritualis facultas ad certas personas in foro conscientiæ judicandas concessa.

Divisio potestatis Jurisdictionis: Alia est ordinaria; alia delegata.

Definitio potestatis Jurisdictionis ordinariæ: Est facultas ligandi, atque solvendi, quæ sequitur officium habentis curam Animarum.

Definitio potestatis delegatæ: Est facultas ligandi, atque solvendi, quæ habetur per concessionem Episcopi.

Definitio articuli mortis: Est status ille infirmitatis in quo plurimi ordinarie decedunt.

Definitio periculi mortis: Est status ille, in quo probabiliter & prudenter timetur, quod quis sit proxime moriturus.

INDEX CAP. II.

De Casibus Reservatis.

Definitio reservationis: Est restrictio jurisdictionis in Confessario, ne certa peccata absolvat.

Definitio Jubilæi: Est Bulla Summi Pontificis concedens indulgentiam plenariam, & alia privilegia adimplentibus certa opera, quæ in Bulla continentur, & imponuntur.

INDEX CAP. III.

De materia remota.

Definitio peccati. Est dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam Dei.

Definitio vitii: Est inclinatio ad agendum contra Legem.

Divisio peccati, Primo, in actuale, & habituale.

Definitio actualis: Est actus internus, vel externus contra Legem æternam Dei.

Definitio habitualis: Est macula relicta in anima a peccato actuali.

Divisio peccati actualis: Primo in veniale, & mortale:

Definitio mortalis: Est dictum, vel factum, vel concupitum præter legem æternam, privans hominem gratia, & amicitia Dei.

Definitio venialis: Est dictum, vel factum, vel concupitum præter legem æternam, privans hominem fervore amicitiæ erga Deum.

Divisio peccati, sive mortalis, sive venialis: In peccatum oris, cordis, & operis; vel in se ipsum, in Deum, & in proximum: vel in carnale, & spirituale; vel in peccatum per excessum, & per defectum, quæ omnia patent ex terminis. Ulterius dividitur in peccatum commissionis & omissionis.

Definitio peccati commissionis: Est actio contra, vel præ-

præter legem, quæ opere, five interno, five externo completur.

Definitio peccati omiſſionis: Eſt voluntaria omiſſio operis præcepti, ſine ulla cauſa legitime excuſante.

Diviſio præceptorum, contra quæ ſunt peccata: In affirmativa, & negativa.

Definitio præcepti affirmativi: Eſt, quo præcipitur aliquid fieri: *Definitio negativi*: Eſt, quo præcipitur aliquid non fieri.

Definitio circumſtantiæ peccatorum: Circumſtantia eſt accidens, ſeu modus; cum quo peccatum committitur.

Diviſio circumſtantiæ: Alia eſt aggravans in infinitum, & eſt accidens, ſeu modus circumſtans peccato, & transferens materiam venialem in mortalem, ut v. g. furari paucos nummos pauperi extreme indigenti. Alia eſt aggravans finito modo, & eſt accidens, ſeu modus circumſtans peccato, exiſtens intra latitudinem materiæ venialis, ut furari a divite paucos nummos.

Diviſio circumſtantiæ; Alia eſt immutans ſpeciem: alia præciſe aggravans. Prima eſt modus circumſtans peccato, & transferens materiam unius peccati ad materiam contra aliam virtutem ſpecie diverſam, ſeu addens malitiam ſpecie diverſam, ut adulterium Sacerdotis, additur enim malitia adulterii malitiæ ſacrilegii. Præciſe aggravans eſt modus circumſtans peccato, exiſtens in eadem ſpecie malitiæ peccati.

Carmen complectens circumſtantias peccatorum: Quis; quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

INDEX CAP. IV.

De Contritione.

Diviſio contritionis. ALia eſt perfecta, alia eſt imperfecta, ſeu attritio.

Definitio contritionis perfectæ: Eſt dolor ſupernatura-

 lis,

lis, & deteſtatio peccatorum, ut ſunt offenſa Dei ſumme & ſuper omnia dilecti.

Definitio attritionis: Eſt dolor ſupernaturalis, & deteſtatio peccatorum, ut ſunt offenſa Dei, propter timorem gehennæ, aut turpitudinem peccati, aut aliud motivum honeſtum ſupernaturale, involvens ſaltem propoſitum implicitum non peccandi.

INDEX CAP. V.

De Confeſſione.

Definitio Confeſſionis. Est legitima & Sacramentalis accuſatio peccatorum coram Sacerdote Chriſti Vicario, ad veniam illorum virtute clavium, & abſolutionis Sacramentalis, obtinendam.

Diviſio Contritionis integræ: In integram materialiter, & integram tantum formaliter.

Definitio Confeſſionis materialiter integræ: Eſt legitima & Sacramentalis accuſatio de omnibus peccatis commiſſis in materia neceſſaria ab ultima Confeſſione.

Definitio Confeſſionis tantum formaliter integræ: Eſt accuſatio aliquorum peccatorum tantum cum præparatione animi ad exponendum reliqua, quæ reticentur, vel propter oblivionem, vel propter urgens, & graviſſimum motivum.

Carmina complectentia conditiones veræ Confeſſionis:

Sit ſimplex, humilis, confeſſio, pura, fidelis:
Atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lacrymabilis, accelerata:
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Diviſio conditionum eſſentialium: Sunt quatuor, ſcilicet integritas quoad lethalia: fidelitas dicens dubia pro dubiis & certa pro certis, & cum circumſtantiis aggravantibus in infinitum, valde aggravantibus, & immutantibus, dolor, & propoſitum ſatisfaciendi. Reliquæ conditiones poſitæ in illis carminibus ſpectant ad perfectionem accidantalem,

talem, seu ad melius confitendum; non vero simpliciter ad integritatem Confessionis.

INDEX CAP. VI.

De Satisfactione.

Definitio satisfactionis, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ: Est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus & pœnalibus & sanctis, a Confessario injunctis.

INDEX CAP. VII.

De Absolutione.

Definitio Absolutionis. Est forma Sacramenti Pœnitentiæ; virtute Christi delens maculas peccatorum, quæ quis confessus est cum debitis dispositionibus Sacerdoti habenti potestatem jurisdictionis.

Divisio absolutionis: Alia est directa, alia indirecta.

Definitio directæ: Est forma Sacramenti Pœnitentiæ delens peccata confessa, sine onere de novo confitendi.

Definitio indirectæ: Est forma Sacramenti Pœnitentiæ delens peccata confessa, cum onere ea denuo confitendi.

INDEX CAP. VIII.

De Sigillo.

Definitio Sigilli: Est obligatio tacendi ea, quæ audita sunt in Confessione Sacramentali, orta a jure Divino, Naturali, & Ecclesiastico.

INDEX CAP. IX.

De Conscientia.

Definitio Conscientiæ: Est judicium practicum particulare ordinatum ad operandum, quo quis judicat aliquod esse bonum, & licitum, vel malum, & illicitum.

Divisio Conscientiæ: Est recta, erronea, dubia, probabilis, & scrupulosa.

Definitio Conscientiæ rectæ: Est judicium prudens, quo quis judicat bonum esse bonum & licitum, & malum esse malum & illicitum.

Definitio erroneæ: Est judicium practicum, & imprudens: quo quis judicat bonum esse malum, & malum esse bonum.

Definitio dubiæ: Est judicium confusum, quo quis nescit determinare, an aliquod sit bonum, vel malum, & hoc fit, vel suspendendo judicium determinatum ad utrumque, vel positive de utraque parte formidando.

Definitio probabilis: Est judicium practicum, quo quis rationibus non levibus, vel ex Doctorum auctoritate assentitur uni parti cum formidine partis oppositæ.

Definitio dubii: Est suspensio assensus circa objectum apprehensum, per quam fit, ut neque judicet rem esse bonam, neque malam: sed circa utrumque est perplexio nescientis quo se vertat.

Divisio dubii: Aliud est speculativum, aliud practicum.

Definitio dubii speculativi: Est suspensio assensus, circa objectum in universali, & in genere, sitne bonum, vel malum.

Definitio dubii practici: Est suspensio assensus circa objectum particulare, ut tale, an sit bonum, vel licitum, cum urget hic, & nunc occasio operandi.

Definitio scrupuli: Est motio judicii ex levibus indiciis,

ciis, & conjecturis, ad dubitandum quasi de qualibet re, quod sit peccatum.

INDEX SECUNDÆ PARTIS.

Definitio Præceptorum Decalogi: SUnt decem Leges naturales traditæ Moysi a Deo.

INDEX CAP. I.

De Adoratione.

Definitio adorationis: ESt exhibitio reverentiæ, & servitutis alicui rei, propter ejus excellentiam, & dignitatem.

Divisio Adorationis: Latria, Dulia, & Hyperdulia.

Definitio Latriæ: Est exhibitio summæ servitutis, & reverentiæ, quæ soli Deo debetur, tamquam ultimo fini, propter ejus dignitatem, superioritatem, & excellentiam.

Definitio Duliæ: Est exhibitio servitutis, & reverentiæ, quæ Sanctis præstari solet, propter excellentiam, & dignitatem, quam habent in gratia, & amicitia Dei perpetua inamissibili.

Definitio Hyperduliæ: Est exhibitio servitutis, & reverentiæ aliquibus creaturis, propter excellentiam, & dignitatem, quam habent ex speciali affinitate, & connexione cum Deo.

Divisio actuum contrariorum adorationi Dei: Superstitio, magia, divinatio, vana observantia, maleficium, blasphemia, secrilegium, tentatio Dei.

Definitio superstitionis: Est vana, seu falsa Religio, indebitum cultum Deo exhibens, vel cultum Deo, & Sanctis debitum transferens ad alia, quæ neque Deus sunt, neque connexionem habent cum ipso in gratia, & sanctitate.

Definitio Magiæ: Est ars falsa, a Dæmone inventa ad effectum faciendi effectus mirabiles, & extraordinarios ope Dæmonis.

Definitio divinationis; Est superstitiosa prædictio even-

tus futuri, quæ fieri nequit via ordinaria, & arte humana.

Definitio vanæ observantiæ: Est augurium boni, vel mali, ex consideratione certarum rerum casu occurrentium, & naturaliter incapacium præsagire.

Definitio Pyromantiæ: Est expressa Dæmonis invocatio per ignes; ut ea sciantur, quæ natura duce sciri non possunt.

Definitio maleficii: Est ars falsa a Dæmone tradita ad finem nocendi aliis ope Dæmonis accurrentis ad nutum alicujus dicti, signi, vel facti.

Definitio Blasphemiæ: Est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, & cultum ipsis debitum.

Divisio Blasphemiæ: Hæreticalis, & simplex.

Definitio Hereticalis: Est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, quoad verba, continens errorem in fide.

Definitio simplicis: Est dictum contumeliosum contra Dei, vel Sanctorum honorem, non continens errorem in fide.

Divisio modorum quibus blasphematur: Per modum enuntiationis, ut Deus est impotens: per modum imprecationis: ut Pereat Deus, per modum detestationis, ut ad despectum Dei.

Definitio Sacrilegii: Est violatio rei sacræ.

Divisio modorum, quibus committitur Sacrilegium in furto; Primo, cum furatur sacrum de sacro; secundo, cum furatur sacrum de non sacro; tertio, cum furatur non sacrum de sacro.

Definitio tentationis Dei: Est actus contra Religionem, quo quis absque justa causa aliquid facit, vel dicit ad capiendum experimentum de divina perfectione, puta, justitia, sapientia, omnipotentia.

Definitio simoniæ: Est mentalis, conventionalis, aut spirituali annexa, pro temporali.

Divisio simoniæ: Est mentalis, conventionalis, realis, ficta, & confidentialis.

Definitio mentalis: Est traditio temporalis pro spirituali sine pacto explicito, sed tantum mente retento.

Defi-

Beatitudinem consequendam auxiliante nos Gratia Dei per merita Christi, non vero nostræ naturæ viribus.

Definitio Charitatis: Est virtus Theologica inclinans ad amandum Deum super omnia propter suam infinitam bonitatem, & proximum propter Deum.

Definitio hæresis: Est error intellectus cum pertinacia voluntatis circa aliquem articulum fidei a Deo revelatum, & ab Ecclesia propositum.

INDEX CAP. II.

De Juramento.

Definitio Juramenti: Est invocatio divini testimonii in confirmationem alicujus dicti, vel facti, vel promissionis.

Divisio Juramenti: In assertorium, promissorium; comminatorium, & execratorium.

Definitio assertorii: Est invocatio divini testimonii in confirmationem alicujus dicti, vel facti, præsentis, vel præteriti.

Definitio promissorii: Est invocatio divini testimonii in confirmationem alicujus rei faciendæ, ad quam quis se sponte obligat.

Definitio comminatorii: Est invocatio divini testimonii in confirmationem voluntatis, qua quis se obligat ad dandum alicui pœnam.

Definitio execratorii; Est invocatio Dei, vel Creaturarum, in quibus elucet justitia Dei, ut ab illis puniatur in casu falsitatis illius, quod asserit de præsenti, vel præterito, aut promittit de futuro.

Divisio conditionum, quæ dicuntur Juramenti comites: Veritas, Judicium, & Justitia. Veritas est, qua quis prudenter putat esse veram rem, quam asserit, aut habet animum adimplendi id, quod jurat. Judicium est, quo quis jurat reverenter, cum advertentia, cum necessitate, in materia honesta. Justitia est, cum non offenditur irrationabiliter proximus juramento. Defectu primæ, vel tertiæ con-

conditionis, juramentum regulariter est lethale, defectu secundæ, est veniale.

Divisio voti: In simplex, & solemne; in reale, & personale; in absolutum, conditionale, & pœnale.

Definitio voti: Est promissio facta Deo de meliori bono.

Definitio simplicis: Est promissio facta Deo de meliori bono sine publicis solemnitatibus.

Definitio solemnis: Est promissio facta Deo cum publicis solemnitatibus, quæ fiunt in Professione Religiosa, vel in receptione Subdiaconatus.

Definitio voti realis: Est promissio facta Deo de aliqua re, quæ alia est à vovente.

Definitio personalis: Est promissio facta Deo de aliqua re, quæ afficit personam voventis, ut servare castitatem, jejunare, & similia, quæ nequeunt per tertiam personam fieri.

Definitio voti absoluti: Est promissio facta Deo ob amorem virtutis simpliciter.

Definitio conditionalis: Est promissio facta Deo sub conditione, quod concedatur aliquod bonum, puta dignitas; aut avertatur aliquod malum, puta infirmitas.

Definitio pœnalis: Est promissio facta Deo de re aliqua adimplenda in pœnam alicujus mali patrati.

Divisio circumstantiarum, in quibus votum non obligat: Interpretatio, seu Epicheja: causa rationabilis, irritatio, dispensatio, & commutatio.

Definitio mendacii: Est verbum prolatum cum intentione fallendi, & decipiendi audientem, qui existimat verum, id quod dicitur.

Divisio mendacii: In jocosum, officiosum, & perniciosum.

Definitio jocosi: Est verbum dictum cum intentione fallendi audientem ob motivum delectationis, & lusus.

Definitio perniciosi: Est verbum dictum cum intentione fallendi audientem, & cum fine proximum damnificandi.

Definitio officiosi: Est locutio contra mentem causa utilitatis propriæ vel alienæ.

INDEX CAP. III.

Sabbata sanctifices.

Definitio Sanctificationis Sabbati: Est præbere certis diebus ab Ecclesia designatis exteriorem cultum Deo, abstinendo ab operibus servilibus, & audiendo Missam.

INDEX CAP. IV.

Ne occidas.

Divisio homicidii: Aliud est voluntarium; aliud casuale.

Definitio voluntarii: Est actio deliberata, & violenta, qua quis vel per se, vel per alium, homini vitam aufert.

Definitio casualis: Est actio, quæ præter intentionem agentis homini vitam aufert.

Definitio vulneris: Est læsio partis ex disruptione proveniens.

Definitio occisionis cum moderamine inculpatæ tutelæ: Est actio occisiva aggressoris ex necessitate justæ defensionis, cum aliter quis non potest se defendere, quam occidendo.

Definitio occisionis sine moderamine inculpatæ tutelæ: Est actio occisiva aggressoris occasione justæ defensionis, quam aliter quis poterat obtinere, etiam non occidendo invasorem.

Divisio modorum, quibus homicidium dicitur voluntarium: Sunt sex, factum, præceptum, consilium, negatio auxilii debiti, patrocinium occisoris, & cooperatio ad occisionem, scilicet si quis opere suo exequatur homicidium: si imperet, & mandet; si consulat amicum, vel Principem, ut occidat; si debens, & potens impedire, non impedit;

dit; si patrocinetur, & foveat homicidas; si auxilio, & opere suo adjuvet alios ad occidendum.

Divisio belli: In Offensivum, & defensivum.

Definitio belli offensivi: Est actio, qua publica auctoritate armis, & aliis instrumentis martialibus vis alterius Provinciæ infertur.

Definitio belli defensivi: Est actio, qua publica auctoritate vis illata Regno seu Provinciæ ab exteris, repellitur per possidentes:

Definitio duelli: Est pugna duorum, vel plurium cum periculo mortis, aut vulnerationis gravis, ex illicito fine, & ex condicto assumpta.

Definitio scandali: Est occasio ruinæ spiritualis proximi.

Divisio scandali: In scandalum activum, & passivum.

Definitio scandali passivi: Est occasio ruinæ spiritualis, accepta ex opere alicujus licito, vel etiam illicito, sed non habente sufficientem connexionem cum ruina spirituali.

Definitio scandali activi: Est actio dans proximo occasionem ruinæ spiritualis.

Divisio scandali activi: In scandalum per se intentum, & est actio directe intendens trahere homines ad peccandum: & per se non intentum, & est actio præter intentionem agentis trahens proximum ad peccandum.

INDEX CAP. VI.

Non mœchaberis.

Definitio delectationis morosæ: Est voluntaria, & deliberata complacentia mentalis in re turpi sine ordine ad actum.

Definitio desiderii inhonesti: Est actus voluntatis, quo quis determinate cupit exequi actum turpem, & illicitum.

Divisio actuum contra castitatem: Sunt septem species, scilicet fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam.

Defi-

Definitio fornicationis : Est copula illicita liberi cum libera in vase naturali.

Definitio concubinatus: Est copula frequens, & illicita cum fœmina, quam quis retinet in sua potestate, veluti si esset propria uxor.

Definitio stupri: Est defloratio puellæ virginis per fractionem claustri virginalis.

Definitio adulterii: Est copula illicita personæ conjugatæ cum libera, vel conjugatæ cum conjugata, vel liberæ cum conjugata in vase naturali.

Definitio incestus : Est copula illicita inter personas consanguineas, vel affines, in gradibus propinquitatis Matrimonium dirimentibus.

Definitio raptus : Est actio violenta, qua adducitur puella invita a domo parentum ad finem fornicandi, vel ducendi eam in uxorem.

Definitio sacrilegii: Est peccatum luxuriæ consummatum cum persona Deo sacrata, vel cum persona libera, sed in loco sacro.

Definitio peccati contra naturam : Est actus libidinosus extra vas, vel præter modum a natura institutum ad generandum.

Divisio peccati contra naturam : In mollitiem, inordinatum concubitum, sodomiam, & bestialitatem.

Definitio mollitiei: Est inordinata, & voluntaria seminis effusio extra omne vas.

Definitio inordinati concubitus: Est modus extraordinarius habendi copulam impeditivus generationis, vel effusionis seminis extra vas.

Definitio Sodomiæ: Est actus libidinosus consummatus inter masculos in vase non naturali: minus proprie etiam cum fœmina in vase non naturali.

Definitio bestialitatis: Est coitus personæ humanæ cum bestiis.

I N.

INDEX CAP. VII.

De Furto.

Definitio furti: Est ablatio injusta rei alienæ invito domino, occulta tamen, & sine violentia.

Definitio rapinæ: Est injusta ablatio rei alienæ invito domino, palam, & cum violentia.

Definitio compensationis: Est occulta ablatio pecuniæ, vel rei pretio æstimabilis, a suo debitore, ad effectum reparandi damnum injustum, quod quis ab eo passus est.

Divisio conditionum, quæ requiruntur ad licitam compensationem: Sunt tres: certitudo justi crediti: æqualitas rei ablatæ cum damno, quod quis passus est: & gravissima difficultas obtinendi satisfactionem a suo debitore.

Definitio restitutionis: Est actus justitiæ commutativæ: quo alicui redditur, quod ab eo injuste ablatum, vel surreptum est, vel quo compensatur damnum injuste illatum.

Divisio radicis restitutionis: Radices restitutionis sunt tres: Res accepta: Injusta actio, seu acceptio: Damnum illatum.

Divisio fructuum: Alii sunt naturales, ut partus pecorum: Alii industriales, ut fructus ex ludo, & mercatura: Alii mixti ex industria, & natura, ut fructus vinearum.

Divisio possessoris rei alienæ: Alius est possessor bonæ fidei, qui retinet rem alienam credens esse suam; Alius malæ fidei, qui retinet rem alienam sciens non esse suam.

Definitio usuræ: Est lucrum proveniens ex mutuo ratione mutui.

Divisio causarum, quæ excusant dantem mutuo ab usura, si accipiat aliquid ultra sortem: Sunt duo, lucrum cessans, & damnum emergens.

Definitio lucri cessantis: Est emolumentum, quod quis cessat percipere præcise ratione mutui.

Defi-

Definitio damni emergentis : Est detrimentum, quod quis patitur in bonis suis præcise ratione mutui.

Divisio titulorum, seu conditionum, quæ requiruntur, ut licitum sit mutuanti aliquid sumere ultra sortem: Conditiones sunt quatuor: Primo, ut lucrum cesset, vel damnum emergat præcise ex mutuo, non aliunde, ex negligentia domini, vel alia causa. Secundo, quod lucrum sit verum, & reale, non imaginarium, & speculativum. Tertio, ut non sumatur tantum, quantum lucrum speratum valeret, sed detrahatur aliquid ratione expensarum, discriminum, & laborum, quæ quis subire deberet in comparatione lucri. Quarto, ut mutuans faciat pactum expressum de quantitate pretii recipiendi pro lucro cessante, & damno emergente.

Definitio contractus : Est conventio inter duos, vel plures, ultro citroque obligans, vel saltem obligans alterutram partem.

Divisio specierum contractus : Alii sunt nominati, & sunt quinque: mutuum, commodatum, locatum, emptio, venditio. Alii innominati, & sunt quatuor: do, ut des, do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.

Definitio mutui : Est traditio alicujus rei certo tempore restituendæ, cum translatione usus, non autem dominii.

Definitio commodati : Est traditio alicujus rei certo tempore restituendæ, cum translatione usus, non autem dominii.

Definitio locationis : Est traditio alicujus rei certo tempore restituendæ, cum translatione usus, non autem dominii, adhibito pretio convenienti.

Definitio depositi: Est contractus, quo aliquid custodiendum traditur, adhibito, vel non adhibito pretio pro custodia, sine translatione usus, atque dominii.

Divisio culpæ, ratione cujus habens rem alterius, vel commodatam, vel locatam, vel depositam, quæ perit: tenetur dominum compensare : Alia est legalis: seu civilis, & est defectus custodiæ etiam sine peccato:

cato: alia est Theologica, & est defectus custodiæ cum peccato. Utraque dividitur in latam, & levem. Lata est defectus custodiæ, quam solent adhibere homines prudentes in custodiendis rebus propriis, vel alienis, illorum curiæ commissis. Levis est defectus custodiæ, quam solent adhibere homines cautissimi in custodiendis rebus propriis, vel alienis, ipsorum curæ commissis: qui ideo dicuntur abundare in cautela.

Divisio diligentiæ in custodiendis rebus: Triplex est, maxima, media, & infima.

Definitio diligentiarum: Maxima, est cura, quam solent adhibere homines cautissimi in custodiendis rebus: media, quam solent adhibere homines prudentes; minima, quam solent adhibere homines vulgares, ac ignavi.

Definitio contractus Societatis: Est conventio inter duos, vel plures ponentes certam quantitatem nummorum, quæ habet nomen sortis principalis, in negotio aliquo, cum obligatione dividendi fructus, & damna cum proportione ad sortes,

Definitio contractus trium contractuum. Est contractus Societatis cum assecutione capitalis, & cum assecuratione fructuum.

Definitio contractus mohatra: Est contractus venditionis ad pretium summum pecunia credita, cum pacto retrovenditionis ad pretium infimum pecunia numerata.

Definitio Cambii: Est negotiatio consistens in commutatione, & transportatione numismatum de uno in alium locum.

Definitio Census: Est contractus venditionis, quo traditur pecunia, & emitur jus ad percipiendum annuum fructum super rem aliquam fructiferam securitati pecuniæ subjectam, servatis conditionibus a Summis Pontificibus appositis.

Definitio Monopolii: Est mercatorum conventio, ut nemo illorum vendat rem infra tale pretium. Improprie etiam est conventio emptorum, ne rem supra tale pretium emant.

Defi-

servitutis, & ornamentorum, juxta conditionem cujuscunque.

Divisio eleemosynæ sufficientis : Alia est sufficiens ex parte recipientis, & est illa, quæ aufert a recipiente omnem præsentem necessitatem, & angustiam: Alia est sufficiens ex parte dantis, & est qua dans parum habens, tantum donat, quantum patitur ejus præsens conditio,

Definitio correctionis fraternæ : Est admonitio ex virtute charitatis procedens, qua quis conatur proximum revocare a peccato, in quod lapsus est.

INDEX CAP. VIII.

De non dicendo falsum testimonium.

Definitio detractionis, & contumeliæ. DEtractio est injusta ablatio famæ alterius absentis, apponendo ei crimen falsum, vel occultum: Contumelia est injusta ablatio famæ alterius præsentis.

Definitio murmurationis: Est confabulatio de factis publicis, quæ possent in bonam partem sumi, vertendo ea in malam partem, & exaggerando rem ultra meritum causæ.

Carmina explicantia octo modos detrahendi, quatuor circa bonum, & quatuor circa malum.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisse.

Definitio judicii temerarii: Est assensus firmus sine ulla hæsitatione de culpa proximi, fundatus in conjecturis levibus, & frivolis.

Definitio suspicionis : Est opinio mali, orta ex levibus indiciis, sine assensu firmo, sed cum formidine oppositi.

Definitio derisionis: Est dehonoratio proximi per verba, vel gestus: cum intentione confundendi.

I N-

INDEX CAP. IX.

De peccatis capitalibus.

Definitio peccati capitalis: Est habitus malus in anima positus, ex quo tanquam a fine intrinseco plura vitia frequenter oriuntur.

Divisio vitiorum capitalium: Sunt septem, Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, & Accedia.

Definitio superbiæ: Est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, ratione cujus quis vult super alios ire, & extolli.

Divisio filiarum superbiæ: Vanagloria, præsumptio; ambitio. Vanagloria est inanis cupiditas existimationis, ex manifestatione propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Præsumptio est cupiditas aggrediendi aliquid magnum & arduum supra proprias vires. Ambitio est inordinata cupiditas dignitatis, & honoris non debiti, vel debito majoris.

Definitio avaritiæ: Est appetitus inordinatus divitiarum. Filiæ avaritiæ sunt sex. Obduratio cordis in egentes: Inquietudo cordis cum timore non acquirendi, vel dimittendi divitias; Violentia in rapiendo, vel retinendo aliena: Fallacia, sive dolus in verbis: Fraus, sive dolus in facto: Proditio contra fidem datam proximo, cum deterimento facultatum illius.

Definitio luxuriæ: Est inordinatus appetitus venereorum.

Divisio filiarum luxuriæ: Cæcitas mentis in rebus salutis. Præcipitatio, quæ sine consilio operatur: Inconsideratio, sine rubore exequens indecentia: Inconstantia in bonis propositis: Amor sui: Odium Dei prohibentis & vindicantis illicita venerea; Affectus præsentis sæculi, & horror futuri.

Definitio iræ: Est appetitus inordinatus vindictæ.

Divisio filiarum iræ: Sunt septem, indignatio, tumor mentis, clamor, blasphemia, contumelia, opprobrium,

brium, rixæ. Tumor mentis consistit in hoc; quod quis morose excogitat diversas vias vindictæ, quibus cogitationibus animus tumescit.

Definitio gulæ: Est inordinatus appetitus cibi, vel potus.

Divisio filiarum gulæ: Mentis hebetudo, inepta lætitia, multiloquium, scurrilitas, & immunditia.

Definitio invidiæ: Est tristitia de alterius bono, prout est diminutivum propriæ excellentiæ.

Divisio filiarum invidiæ: Sunt quinque, odium, susurratio, detractio, gaudium in adversis proximi, & tristitia in prosperis.

Definitio acediæ: Est tristitia de bono spirituali, ut ad ipsum hominem spectat.

Divisio filiarum acediæ: Desperatio salutis; pusillanimitas, qua quis non audet aggredi perfectionis viam: torpor in non adimplendis præceptis: malitia, qua quis odit spiritualia: rancor, quo sunt ei fastidio spiritualia, & homines spirituales: evagatio mentis in orando.

INDEX PRÆLIMINARIUM TERTIÆ PARTIS.

De Præceptis.

Definitio Præcepti Ecclesiastici: Est motus Superioris Ecclesiastici imponentis aliquid fieri, vel omitti, ex debito, seu necessitate salutis.

INDEX CAP. I.

De Jejunio.

Divisio Jejunii: Aliud est naturale, aliud Ecclesiasticum.

Definitio jejunii naturalis: Est abstinentia totalis a qualibet re sumpta per modum cibi, vel potus.

Definitio jejunii Ecclesiastici: Est unica comestio

ciborum non prohibitorum circa meridiem; cui addi potest seronita cœnula, seu collatio more Ecclesiastico.

Definitio ebrietatis: Est inordinatus usus vini, ratione cujus quis voluntarie se privat usu rationis.

INDEX CAP. II.

De decimis.

Definitio decimæ: Est aliqua quantitas bonorum temporalium debita Ecclesiæ ministris in ipsorum subsidium, & sustentationem.

INDEX CAP. III.

De Sacramentis.

Definitio Sacramenti: Est signum sacrum gratiam causans; seu melius, est signum sensibile spiritualis sanctificationis animæ ad cultum veri Dei a Christo Domino institutum.

Definitio intentionis: Est motio voluntatis in finem, seu est actus liberæ voluntatis, quo illa se determinat ad aliquid faciendum, vel omittendum.

Divisio intentionis: Triplex est, actualis, virtualis, & habitualis.

Definitio actualis: Est actus liber voluntatis, quo se determinat ad aliquid faciendum, vel omittendum, actualiter perseverans, & concomitans actionem, vel omissionem.

Definitio virtualis: Est actus liber voluntatis, quo se determinat ad aliquid faciendum, vel omittendum, durans, & perseverans in opere incepto virtute actualis præcedentis non retractatæ.

Definitio habitualis: Est consuetudo operandi.

Definitio characteris: Est qualitas spiritualis indelebilis, divinitus animæ infusa, per quam homo redditur idoneus ad recipiendum, sive administrandum Sacramentum, & ad exercendum alia ad cultum Dei spectantia.

IN-

INDEX CAP. IV.

De Baptismo.

Definitio Baptismi: Est Sacramentum consistens in exteriori ablutione corporis per aquam naturalem cum certa verborum forma a Christo Domino institutum.

Divisio Baptismi: In Baptismum fluminis, flaminis, & sanguinis.

Definitio Baptismi flaminis: Est desiderium vehemens recipiendi Baptismum cum contritione de peccatis in casu, in quo deest commoditas illud recipiendi in re.

Definitio Baptismi sanguinis: Est martyrium, seu mors in odium fidei Domini nostri Jesu Christi tolerata.

Carmina complectentia ea, quæ observare debet Baptizans:

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.
Ly morari significat, quod sine mora debent simul poni ablutio, & pronuntiatio verborum formæ.

Divisio Ministri: In Ministrum solemnitatis, & est Sacerdos habens animarum curam: & ministrum necessitatis, & est quilibet homo cujuscunque sexus, & conditionis, habens intentionem faciendi id, quod intendit Ecclesia.

Definitio cognationis spiritualis: Est vinculum canonicum, quod oritur ratione Baptismi, seu regenerationis spiritualis, ex quo inter sic alligatos nequit contrahi Matrimonium, nisi posita dispensatione.

INDEX CAP. V.

De Confirmatione,

Definitio Confirmationis: Est Sacramentum novæ Legis, quo homo baptizatus & viator inungitur

gitur per sacrum Chrisma in fronte manu Episcopi sub præscripta verborum forma, ut confirmetur in fide, & sine quo licite Sacramentum Ordinis suscipi nequit.

INDEX CAP. VI.

De Eucharistia.

Definitio Eucharistiæ: EST Sacramentum, in quo sub speciebus panis, & vini consecratis, Corpus, Sanguis, Anima Christi, & ejus Divinitas continentur ob nutrimentum, conservationem, & propagationem vitæ spiritualis in Baptismo receptæ.

Definitio Missæ: Est Sacrificium consistens in consecratione panis & vini: & est actus latriæ, qui fit in recognitionem supremi dominii Dei, & signum nostræ servitutis.

Definitio Sacrificii: Est actus latriæ, quo aliquid offertur & consumitur in protestationem supremi dominii Dei, & signum nostræ servitutis.

Divisio valoris Sacrificii Missæ: Est impetratorius: propitiatorius, & satisfactorius.

Definitio valoris propitiatorii: Est dignitas supernaturalis Sacrificii Deo acceptabilis, mediante qua confert Deus offerenti saltem de consequenti gratiam sanctificantem, & auxilia ad se conterendum, & amandum ipsum amicabiliter; nisi ponatur obex.

Definitio impetratorii: Est dignitas supernaturalis Sacrificii Deo acceptabilis, mediante qua Deus succurrit necessitatibus temporalibus, pro quibus a Sacrificante oratur.

Definitio satisfactorii: Est dignitas supernaturalis Sacrificii Deo acceptabilis, mediante qua deletur pœna debita peccatis antecedenter commissis, & deletis quoad reatum culpæ, non quoad reatum pœnæ.

INDEX CAP. VII.

De Extrema Unctione.

Definitio Extremæ Unctionis: Est Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam salutem animæ, vel etiam corporis ægroto periclitanti, per unctionem Olei benedicti, & orationem Sacerdotis.

INDEX CAP. VIII.

De Ordine.

Definitio Ordinis: Est Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo traditur spiritualis potestas ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium perficiendum, vel immediate, vel mediate, plus, minusve: juxta cujusvis Ordinis gradum, & Officium.

Definitio Officii Divini: Est laus Dei per Ecclesiæ institutionem determinata, & divisa in septem Horas Canonicas; & humana voce expressa.

Carmina explicantia significationem septem principalium mysteriorum Passionis Christi, a septem Horis Canonicis repræsentatorum:

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

INDEX CAP. IX.

De Matrimonio.

Definitio sponsalium: Est futuri Matrimonii mutua promissio, signo externo expressa.

Definitio Matrimonii: Est contractus legitimus & indissolubilis inter marem, & fœminam, per quem

mutua corporum poteſtas traditur & acceptatur reciproce, ac gratia ſanctificans confertur.

Definitio divortii: Eſt viri ab uxore, & uxoris a viro legitima ſeparatio.

Definitio impedimenti Matrimonii: Eſt indiſpoſitio contrahentium, reddens matrimonium vel illicitum, vel invalidum.

Diviſio impedimenti: Aliud eſt impediens, aliud dirimens.

Definitio impedimenti: Eſt indiſpoſitio contrahentium, reddens matrimonium illicitum, non tamen invalidum.

Definitio dirimentis: Eſt indiſpoſitio contrahentium, reddens Matrimonium & illicitum, & invalidum.

Diviſio impedimentorum impedientium: Votum ſimplex caſtitatis, vel non nubendi, vel Religionis: interdictum, ſponſalia, catechiſmus, & crimen.

Diviſio criminis impedientis: Uxoricidium injuſtum, presbytericidium, inceſtus, raptus alienæ ſponſæ, cognatio ſpiritualis cum ſua uxore malo animo ſuſcepta, ducere ſcienter Monialem.

Diviſio impedimentorum dirimentium: Continentur in his tribus carminibus, quibus addi debent duo alia impedimenta de jure novo inducta a Tridentino, ſcilicet abſentia Parochi & teſtium, & raptus. De jure antiquo ſunt hæc duodecim.

> Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
> Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas:
>
> Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis.

Definitio ſtipitis in arbore genetliaca, ſeu genealogica: Eſt perſona illa, a qua omnes, de quarum conjunctione quæritur, per ſanguinem deſcendunt, & originem ducunt.

Definitio lineæ: Eſt ordinata ſeries perſonarum conſanguinearum deducta a ſtipite, ſecundum quam magis propinqua capiti & ſtipiti præponitur, & ſucceſſive alii eo ordine, quo diſtant, poſtponuntur.

Diviſio lineæ: Alia eſt recta, alia collateralis.

Definitio lineæ rectæ: Eſt ordinata ſeries perſonarum deſcen-

descendentium a stipite, vel immediate, vel mediate, itaut tamen una sit ab alia genita.

Definitio collateralis: Est ordinata series personarum descendentium a stipite, sive immediate, sive mediate; ipsæ autem personæ a se invicem per generationem non descendunt.

Definitio gradus: Est talis distantia personarum sanguine junctarum, qua cognoscitur, quanta sit proximitas, vel distantia inter personas, quæ in linea includuntur.

Definitio affinitatis: Est conjunctio plurium inter se, orta ex copula carnali, sive licita, sive illicita, perfecta tamen, seu cum seminatione viri in vase naturali fœminæ.

Definitio adoptionis: Est voluntaria & gratuita assumptio personæ extraneæ ad hæreditatem, ac si esset filius naturalis.

INDEX CAP. X.

De Censuris.

Definitio Censurarum: Est pœna spiritualis, & medicinalis, per Ecclesiasticam potestatem imposita, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium.

Divisio censuræ: Est triplex, scilicet excommunicatio, suspensio, interdictum.

INDEX CAP. XI.

De Censuris in particulari.

Definitio excommunicationis: Est censura Ecclesiastica, qua baptizatus a communione Ecclesiæ quoad fructum, & ejus suffragia, & a qualibet licita fidelium communione excluditur.

Divisio excommunicationis: In majorem, & minorem: a jure, & ab homine; comminatoriam, & ipso facto incurrendam.

Definitio excommunicationis minoris: Est censura Ecclesiastica, qua baptizatus privatur passiva Sacramentorum participatione, & passiva electione ad Beneficia.

Definitio excommunicationis majoris: Est censura Ecclesiastica, qua baptizatus separatur a communione fidelium; & a passiva & activa Sacramentorum participatione, & Ecclesiastica sepultura.

Carmen complectens ea, in quibus nequit fidelis communicare cum excommunicato vitando, & non tolerato:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Carmen complectens casus, in quibus potest quis communicare cum excommunicato vitando, & non tolerato.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Definitio excommunicati vitandi: Publicus Clerici percussor, & reus per publicam Judicis Ecclesiastici sententiam denuntiatus excommunicatus.

Definitio excommunicati tolerati: Reus criminis, cui annexa est excommunicatio, a nullo Judice declaratus talis.

Definitio suspensionis: Est censura Ecclesiastica, qua personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui Officii, vel Beneficii Ecclesiastici, in totum, vel in partem; ad tempus, vel in perpetuum; a lege, vel ab homine.

Divisio suspensionis: Est a jure, & ab homine; ab Officio, vel a Beneficio: ad tempus, vel in perpetuum:

Definitio suspensionis a jure: Est censura Ecclesiastica, qua personæ Ecclesiasticæ prohibetur a Jure exercitium sui Officii, vel Beneficii, in totum vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum. Muta ly *a jure* in *ab homine*, & erit definitio suspensionis ab homine.

Definitio suspensionis ab officio: Est censura, qua personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui Officii, seu Ordinis, in quo est constitutus; a Beneficio est, qua prohibetur, ne percipiat fructus.

Definitio depositionis: Est perpetua privatio clericalis muneris per canonicam sententiam, cum debita solemnitate prolatam.

Defi-

Definitio degradationis : Est perpetua privatio executionis legitimæ Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter, & ex toto, absque spe restitutionis, & cum privatione fori & Canonis.

Definitio interdicti : Est censura Ecclesiastica prohibens usum divinorum, ut quidam usus est.

Divisio interdicti : In locale, & personale: generale, & speciale.

Definitio localis : Est censura, qua prohibetur usus divinorum in aliquo loco: Personale, qua usus divinorum prohibetur certæ personæ: Generale, qua toti Regno, vel Provinciæ: Speciale, qua determinato territorio, prohibetur usus divinorum, ut usus est.

INDEX CAP. X.

De Irregularitate.

Definitio Irregularitatis : Est impedimentum inductum a Jure Canonico, quo quis directe impeditur etiam post pœnitentiam ab exercitio Ordinis, in quo est, & a receptione superioris.

Divisio Irregularitatis : Alia est ex delicto, alia ex defectu animæ, vel corporis, vel natalium. Alia est totalis, quæ inhabilitat ad omnem Ordinem, alia partialis, quæ ad superiores tantum, non vero ad inferiores inhabilitat:

Divisio Irregularitatis ex delicto : Prima ex infamia, per Jus civile, aut canonicum, aut communem hominum existimationem inducta. Secunda ex publica pœnitentia. Tertia ex reiteratione Sacramenti Baptismi. Quarta ex Ordine male suscepto, vel ministrato. Quinta ex crimine enormi, quod in Jure punitur depositione. Sexta ex defectu lenitatis, ratione cujus, quis occidit, vel mutilat, vel deformat hominem.

Divisio Irregularitatis ex defectu : Prima, ex defectu

 ani-

animæ, quæ uſum rationis expeditum non habet; ſecunda, ex defectu corporis notabiliter deformis propter abundantiam, vel carentiam, vel deformationem alicujus partis patentis, tertia, ex defectu natalium, quia quis ex legitimo Matrimonio natus non eſt, vel eſt natus ſervus legalis; quarta, ex defectu Sacramenti Matrimonii non repræſentantis perfectam unionem Chriſti cum Eccleſia; quinta, ex defectu ætatis, quia quis non pervenit ad ætatem requiſitam a Jure pro Ordinibus valide ſuſcipiendis.

INDEX PROPOSITIONUM DAMNATARUM.

Centum quadraginta tres propositiones usque ad annum præsentem damnatæ sunt a S. Sede Apostolica:

Quarum quadraginta quinque damnatæ fuerunt ab Alexandro VII.
Aliæ sexaginta quinque ab Innocentio XI.
Reliquæ triginta tres ab Alexandro VIII. fel. record.

Propositiones damnatæ

AB ALEXANDRO VII.

Fel. Record.

1 HOMO nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet esse Petrum hæreti-

reticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam post legendam, in qua ad venerem incitat; non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7 Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est: Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem

rem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio a S. Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam collativam, aut quidvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, & inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; adeoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem: non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debe opinio

opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

29 In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemc nas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui B. ficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium i chale satisfacit præcepto.

35 Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39 Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concu-

concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo:* dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42 Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44 Quoad forum conscientiæ, non correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Sequuntur aliæ sexaginta quinque Propositiones Damnatæ.

AB INNOCENTIO XI.

1 NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3 Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est; ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc

7 Tunc solum obligat, quando tenetur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8 Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum; omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus invenies: etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16 Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17 Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18 Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum, consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19 Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium.

20 Hinc potest quis prudenter repudiare assensum; quem habebat supernaturalem.

21 Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem,

tem, stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

22 Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.

24 Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25 Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26 Si quis vel solus, sive coram aliis; sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum revera non mentitur, nec est perjurus.

27 Causa justa utendi his amphibologiis, est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est; poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentiones exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30 Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, si post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31 Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32 Non solum licitum est defendere defensione occisiva,

sivas, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se totaliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram; vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumvis sit magna summa totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40 Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43 Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem

tem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44 Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia; quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46 Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris existimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat

metu

metu notabilis detrimenti, puta; ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes; potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens Confessio & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium; qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali, nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negli-

negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysteriorum Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65 Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Sequuntur aliæ triginta tres Propositiones Damnatæ.

AB ALEXANDRO VIII.

1 Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

2 Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

3 In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & libertate Adami peccantis.

4 Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

5 Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

6 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo; non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

7 Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum:

adeoque hinc recte inferes illis esse voluntatem, nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

8 Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere; A gratia sufficienti libera nos Domine.

9 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi, si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

10 Necesse est infidelem in omni opere peccare.

11 Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

12 Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

13 Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

14 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiam si videantur credere, non est fides divina, sed humana.

15 Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

16 Timor gehennæ non est supernaturalis.

17 Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

18 Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

19 Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.

20 Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

21 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

22 Con-

22 Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

23 Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

24 Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

25 Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

26 Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

27 Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

28 Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

29 Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In Nomine Patris, &c.* prætermissis illis verbis: *Ego te baptizo.*

30 Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observet, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.

31 Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

32 Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

33 Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

P. Paginam significat, N. Numerum.

Cam-

C

D

E

Eucha-

Men-

N

O

P

Q

R

S

T

V

F I N I S.

APPARATUS
UNIVERSÆ
THEOLOGIÆ MORALIS
Pro examine ad audiendas Confessiones.

AUCTORE P. D.

THOMA FRANCISCO
ROTARIO.

PARS QUARTA

Continens

HISTORIAM
POENITENTIÆ PUBLICÆ
Notis et animadversionibus
illustratam.

De Pœnitentia DEUS præstet, ut nullis fidelibus necessaria sit. *Pacianus Epis. Barcinon. Epist. I. ad Sympronianum.*

Æternitatem cogita, quisquis sapis;
Deum amare, dein juvare proximos:
Ecclesiam protegere, proterere hæreses:
Hic finis esto, hæc meta studiorum omnium.

APPROBATIO.

Libellum hunc, seu *Historiam de Pœnitentia publica* varia eruditione suis e fontibus hausta refertum, nihil, quod cum Orthodoxa nostra fide pugnet, continere, plura vero confundendis Novatoribus idonea complecti hisce attestor.

In S. Galli 23. *Maij Anno* 1752.

P. Antoninus Ruttimann, J. U. D. Reverendiss. & Celsissimi S. R. I. Principis, & Abb. Monast. S. Galli Officialis in Spiritualibus Generalis.

Præsens Lucubratio: *Historia Pœnitentiæ Publicæ &c.* Opera *R. P. Geraldi Zurcher*, olim S. Theologiæ, & nunc J. U. Professoris, conscripta, tantum abest, ut Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus quidquam adversum contineat, ut veteris Ecclesiæ disciplinam perspicuæ proponat, & Hæreticorum calumnias solide retundat. Legi accurate singula, atque perspexi in illis mirum selectæ eruditionis studium, & indefessum Auctoris in evolvendis veterum monumentis industriam. Quare Opusculum solidæ eruditionis cupidis utilissimum, & luce publica dignissimum censeo.

In S. Galli 5. *April. Anno* 1752.

P. Yso VValser, J. U. D. ibidem S. Theolog. Prof. Ord.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Paolo Zapparella* Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *Thomæ Francisci Rotarii Apparatus universæ Theologiæ Moralis pro Examine ad audiendas Confessiones: cui nunc primum adjecta est Pars Quarta, quæ Historiam Pœnitentiæ publicæ complectitur*: non v'essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. April. 1759.

(Gio: Emo Proc. e Rif.
(Alvise Mocenigo 2. Rif.
(

Registrato in Libro a c. 5. al n. 24.

Gio: Girolamo Zuccato Segr.

Registrato nel Magistr. Eccell. degli Esecutori contro la Bestemmia li 12. Maggio 1759.

Gio: Pietro Dolfin Segr.

DIS-

DISSERTATIO PRÆVIA

DE

PRÆSTANTIA ERUDITIONIS,

Et ſcopo Opuſculi

AD NEO-THEOLOGOS.

§. I.

NON diu, nec ancipiti conſilii lance penſitandum mihi fuit, quid potiſſimum poſt abſoluta Trieteridis ſacræ ſtudia Religioſis Auditoribus meis memoriæ loco relinquerem. Satis mihi compertus erat eruditionis amor, ad cujus notitiam ſingulorum mentes concordia mirabili propendebant. Velificandum proin votis tam ardentibus eſſe æquum arbitrabar, ea præcipue ratione ductus, cum quod perpolito hoc ſæculo turpe ſit, eruditionem omnino ignorare; tum ut oſtendatur, quam impudenti mendacio Antonius Charlas Orbem literarium decipere attentaverit, dum in ſua *Parænesi* indiſcriminatim ſcribit, quod Theologia, in Monaſteriis tradita, longe ab eruditione Eccleſiaſtica diſtare ſoleat, multique Theologiæ Profeſſores in Eccleſiaſticæ Antiquitatis ſtudio peregrinos ſeſe demonſtrent.

Dum vero de præſtantia eruditionis diſſertationem hanc præmitto, eruditionis nomine *ſacram* intelligo, in qua

in qua Theologos omnes, si non ad plenum exercitatos, ea generatim tamen imbutos esse velim. Quanti momenti res hæc sit, id enimvero demonstrandum jam suscipio.

§. II.

PRius tamen innuere paucis licebit, quam eruditionem sacram Neo-Theologo addiscendam ego existimem. Potest enim eruditionis sacræ nomine intelligi vel studium Scripturæ divinæ, vel lectio Patrum, vel notitia Conciliorum, vel denique notitia Historiæ Ecclesiasticæ. Et quidem Scripturæ Sacræ studium Theologo necessarium esse, nemo, qui sapit, ambigere potest. In quo enim se fundat Theologus, nisi in fide, quam saluberrimam in aliis gignere, nutrire, & defendere ut præcipuum, ita proprium solius Theologiæ officium est? Fides autem cui innititur, in quo solidatur, nisi in divina revelatione? Et hæc quid aliud est quam Verbum DEI scriptum, vel traditum? ut adeo qui neglecta notitia Scripturæ vel Traditionum Theologiam vel docere, vel discere tentat, structuram sine fundamento moliri videatur. Præclarum hac in re laudatissimi Cornelii a Lapide monitum est; *Ille*, inquit Præfat. in Pentateuchum, *qui Scholasticam* (Theologiam) *a Sacræ Scripturæ seria commemoratione divellere se posse putat, prolem sine matre, domum sine fundamentis, & ad instar terræ* (globi terraquei) *pensilem, aquæductus sine scaturigine, segetem sine semine, conclusionem sine principiis uti desultoria, ita delusoria levitate frustra sperat, vel expectat.* Edit. Parif. 1637. fol. 2. colum. 1. D.) Sed de necessitate studii Scripturarum alii disserant; Sufficiat Neo-Theologis unum textum notasse ex S. Augustino, qui in (a) epistola ad Sixtum Presbyterum Romanum ita circa finem loquitur: „ Hæreticorum, inquit . . . . inquietudine ut Scri-

(a) *Est inter epistolas D. August. vet. edit. ordin.* 105.

Scripturas VIGILANTIUS perscrutemur, unde, ne ovile Christi noceant, EIS POSSIT OCCURRI, tanquam de somno ignaviæ nostræ excitatur industria.,,

De SS. vero Patrum lectione, etsi Neo-Theologis ob penuriam temporis, vel Auctorum eosdem pervolvere haud liceat, sequentia tamen notabo, sedulo monens, ut, dum adoleverint, & vel temporis vel librorum copia iisdem fuerit, eorum lectionem minime prætermittant.

1. Enim, cum S. Scriptura difficilis intellectu sit, ejus autem (a) *interpretatio proprio sermone non fiat*, multo minus privato spiritu (ut tamen volunt Novatores) hinc eorundem SS. PP. sedula lectio ad intelligenda Scripturæ Mysteria non potest non esse proficua.

2. Ex SS. Patribus optime innotescit, quæ antiquæ Ecclesiæ Doctrina fuerit, & Disciplina. Hinc

3. Etsi 1.) Lutherus impudenter asseveraverit: (b) *OMNES Patres in fide errasse, & , si ante mortis articulum conversi non fuerint, æternum periisse*, ejus tamen Sectatores Patrum auctoritate sibi opus fore existimantes, eorum doctrinam suis favere novitatibus aggressi sunt demonstrare. En extremam Prædicantium Lutheranorum temeritatem, & audaciam!

Samuel Deyling Lutheranus Superintendens Islebiensis Anno 1717. librum evulgavit Lipsiæ, cui Titulus: *Irenæus, Veritatis Evangelicæ Testis*; quo dicendi genere innuit, Irenæum adstipulari falsis Lutheranorum dogmatibus. Quam belle vero Irenæus cum Lutheranis concordet, patebit ejus libros legenti, in quibus aperte docet: Traditiones retinendas, & sequendas esse: Ecclesiam Romanam Matrem cæterarum esse atque Magistram: In dubiis, & controversiis standum esse Judicio Romanæ Sedis: ab ea deficientes reputandos esse superbos, Apostatas, Hæreticos, &c. Videatur Irenæus tersis oculis, liberoque a passionibus, & præjudiciis animo *l.* 2. *cap.* 47. *l.* 3.

(a) *II. Petri I.* 30.

(b) *Tomo* 2. *Wittemberg. fol.* 434. *edit.* 1551.

l. 3. *c.* 3. *&* *lib.* 4. *cap.* 43. *&* 63. Concludant Luthericolæ, an Irenæus cum ipsis sentiat, & qui sint judicio ejusdem Irenæi, superbi nimirum, Apostatæ, & Hæretici, cum nimis apertum sit, ipsos a Romana Ecclesia defecisse. Cæterum Irenæus Episcopus Lugdunensis, sæculo II. sanctitatis, & doctrinæ laude floruit.

Joannes Fridericus Mayer, Lutheranus Superintendens Generalis, qui anno 1712. subitanea morte e vivis sublatus est, Anno 1680. adversus R. P. Georgium Heidelbergerum S. J. librum compilavit, edidit-que *Grimmæ* sequenti titulo: « *D. Chrysostomus* Lutheranus, Orthodoxæ Veritatis adversus decreta Concilii Tridentini Assertor, *Georgij Heidelbergeri* Lojolitæ *Chrysostomo* Papistæ è diametro oppositus. „ Sed facile Chrysostomus a Lutheranismo vendicatur; tractat enim de cultu Reliquiarum, venerationeque Sanctorum: de necessitate bonorum operum: deque multis aliis, quorum infensissimi hostes Lutherani sunt: speciatim quoque regiæ celsitudini potestatem sacerdotalem præfert (Vide infra cap. 8. num. 32.) quam miseri Prædicantes Luthericolæ laicis Superioribus suis subjiciunt; neque id mirum: laici enim, & ipsi Prædicantes sunt, neque plus quoad potestatem Sacerdotalem possunt quam Diabolus, & ipsius Mater, docente id ipsum ipsorum Sectæ conditore Luthero. Tomo namque VI. ipsius operum Jen. Germ. fol. 105. edit. A. 1557. postquam dixisset, *si Dæmon in virum aut Parochum transfiguratus Missam celebrasset, absolvisset, aliaque Sacramenta administrasset, credendum tamen fore, Sacramenta fuisse valida; validum Baptisma, validam Absolutionem, validum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi nos ab eo accepisse*, hac subjungit: *Fides enim nostra, & Sacramenta personæ alliganda non sunt, sive ea bona vel mala sit, consecrata, vel non consecrata, vocata, aut secus*, DIABOLUS AUT EJUS MATER. (*a*)

Hæc

(a) *Ob hunc textum serio perpensum, A.* 1732. *D. Joannes Gast, Argentinens. Luther. antea undeviginti annis Præco,* Ca-

Hæc Lutherus loc. citato; qui alibi omnem baptizatum de sacerdotali potestate gloriari posse asserit, his formalibus: *Omnis, qui baptizatus est, gloriari potest, quod jam Sacerdos, Episcopus, & Papa consecratus sit*. Tomo I. Germ. Jen. edit. A. 1555. fol. 321. Mirari jam desino, cur potestatem Sacerdotalem Laicis subjiciant Prædicantes: baptizati enim sutores, sartores, infantes, pueri, fœminæ, qui secundum Evangelium Lutheri Sacerdotes, Episcopi, quin & summi sunt Póntifices, merito laicæ potestati subduntur.

Antonius Reiser, Lutherani Evangelii Hamburgi Præco, Francofurti A. 1677. librum imprimi curavit, cui titulum præfixit; « S. Augustinus veritatis (*a*) Evangelico-Catholicæ in potioribus fidei controversiis Testis, & Confessor. „ Sed quam bonus Lutheranus Augustinus fuerit, ejus libros vel obiter evolventi innotescet. Asserit enim Purgatorium dari; pro vita functis orandum esse; B. V. M. sine peccato vitam traduxisse, eandemque invocandam; DEUM intueri merita, & intercessiones Sanctorum, iisque moveri; Reliquias SS. cultu religioso prosequendas esse (non vero a nobis *adorari*, ut ad invidiam usque in nos fingunt Adversarii.) Dari arbitrium non solum a coactione, sed ab omni liberum necessitate; hæc & plura alia Catholicorum dogmata, quæ Augustinus adversum heterodoxos acerrime propugnat, sufficienter ipsum liberant a calumnia, eidem abs Reisero impacta, quasi S. hic Doctor Lutheranorum fidei Patronus esset.

Anno 1715. Typis Lipsiensibus liber evulgatus est cum titulo; „ Gregorius Magnus Papa Lutheranus „ Authore Joanne Petro Stute, Magistro Lutherano. Quis hic non juste succenseat ob extremam hujus Lutherani impudentiam? Lippis, & tonsoribus notum est, Gregorium M. strenuissimum Religionis Catholicæ, & vin-

---

Cathol. fidem amplexus est, ut pluribus refert Clariss. D. Weislinger Parte II. Responsionis Solidæ *pag.* 229.

(*a*) *Vult dicere: Lutheranæ.*

& vindicem fuisse, & propagatorem; asseruisse merita bonorum operum; probasse invocationem Sanctorum; instituisse Litanias, & Processiones; ritus Sacrificii Missæ auxisse; fidelibus defunctis Missas prodesse, & sexcenta alia professum fuisse, quæ Lutherani refugiunt, & tanquam superstitiosa aut enormiter ignorantes, aut studiose malitiosi condemnant.

Sed necdum finis imposturæ Prædicantium. Georgius Henricos Goz, Lutheranus olim Annabergæ Superintendens, Anno 1701. Dresdæ edidit *De Lutheranismo D. Bernardi Schediasma Theologicum*, ut titulus libelli sonat. Anno vero 1656. Joannes Georgius Dorscheus Præco Lutheranus Argentorati scriptum publicavit cum titulo: *Thomas Aquinas, dictus Doctor Angelicus, exhibitus Confessor veritatis Evangelicæ Augustana confessione repetitæ*. Denique Leopoldus Dorn a nobis ad Lutheri castra transfugiens, Scotum, Doctorem subtilem, & apprime Catholicum, Lutheri placitis adstipulari asseruit in scripto, cui nomen dedit: *Scotus Evangelicus*. Bernardus, ille Mariæ cultor devotissimus, Romanæ Ecclesiæ, ejusque dogmatum, ac in primis Primatus Romanæ Sedis defensor acerrimus: Thomas item Aquin. & Scotus, DD. Ecclesiæ Rom. addictissimi, Lutherani sunt; risum teneatis amici!

Quinti Evangelii Præconibus, atque Poetis
Falsum scribendi semper fuit æqua potestas.

Si quæras erudite Lector! quid per hujusmodi libros, apertis scatentes erroribus atque mendaciis, Ministri Lutherani intendant, cum tamen eorundem Majores, & (a) Lu-

(a) Quanto plus lego in PP. libris, eo magis scandalizor, *inique ait Lutherus in Colloq. Mens. Isleb. edit. A.* 1567. *f.* 476. *Ibid. f.* 487. *ait* S. Hierony. Hæreticus fuit. *Item ib. f.* 474. S. Basilius omnino nihil prodest. *Nec mirare, quod hæc asseruit, nam de DEO ipso ita Lutherus loquitur impiissime:* DEUS Hæreticus est, & hoc tam verum, *lege & horresce*, est, quam verum est, celebrem Universitatem Ingolstadiensem doctam esse. *T.* 2. *Jen. f.* 452. *edit.* 1558.

Lutherus cumprimis, Auctoritatem SS. PP. exsufflare omnibus nervis contenderint? Respondeo: Prædicantes probe agnoscere inanitatem fundamenti fidei suæ. Dum enim è SOLIS Bibliis (quæ secundum criterium privati spiritus Lutheranus quisque, sartoribus etiam, & sutoribus non exceptis, dilucidat, ut adeo tot sententiæ sint, quot capita) prætensam suæ sectæ veritatem Luthericolæ conantur demonstrare, meliore fundamento non gaudent, quam Calvinistæ, Sociniani, Ariani, Anabaptistæ, similisve farinæ Sectarii: cum quod insistendo suis principiis in æternum Lutherani ostensuri non sint, se verum, & incorruptum DEI VERBUM, verumque ejus sensum habere; tum etiam, quia Sectarii, & præcipue Sacramentarii, quos Lutherani vatiniano odio prosequuntur, quique teste Luthero (a) *Indiabolatum, perdiabolatum, & superdiabolatum cor habent*, æque ac Lutherani ad Biblia provocant, suosque errores ex iisdem se demonstrare jactitant. E solis ergo Bibliis, nec Sectæ suæ prætensam veritatem defendere, nec adversantes Sectas erroris redarguere Lutherani possunt. Quid ergo? Patrocinium novitatum Lutheranarum quæritandum fuit, nec melius occurrebat, quam si per insignem calumniam antiquis Ecclesiæ Patribus affingerent, eosdem Cultores, Testes etiam, & Confessores, Sectæ Lutheranæ fuisse. Sed per hoc ipsum aliud nil effecere, quam quod Religionem suam (si tamen est aliqua) prostituerint, quam utpote apertis hisce mendaciis per summam impudentiam ausi sunt sustentare; omniumque insuper eruditorum, cum Catholicorum, tum & Augustanæ Confessioni adhærentium risui, & justæ indignationi se se exposuerint.

Ex modo dictis sat, superque colligere licebit, quanti intersit, lectionem SS. Patrum non negligere, ad intelligendum videlicet, quis genuinus Scripturæ sit sensus; quæ antiquæ Ecclesiæ doctrina fuerit,

---

(b) *T. 8. Jen. A.* 1550. *f.* 195 *T. 2. VVittenb. Germ. A.* 1548. *fol. CCL.*

rit, & disciplina; adque obstruendum iniqua loquentium ora, qui SS. PP. summe Catholicos, per impudentiam singularem Lutherizare cogunt, quorum tamen lucubrationes ipsorum Sectæ conditor, Martinus (a) Luder, non tanti, ac Æsopi Fabulas æstimavit: *Post Biblia*, inquit Lutherus (b) *MELIORES non dantur libri, quam Catonis Scripta, & FABULÆ ÆSOPI*. Meliores ergo Lutheri judicio Æsopi Fabulæ sunt, quam libri SS. PP. Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Gregorii, & cæterorum: erubescant hic, si possunt, Lutheri Sectatores.

Anno 1530. die 22. April. ad Philippum Melanchtonem Augustam Lutherus epistolam (c) direxit, in qua inter alia ita scribit: *Pervenimus tandem in nostrum Sinaj, charissime Philippe, sed faciamus* Zion *ex ista Sinaj, ædificabimusque ibi tria tabernacula Psalterio unum, Prophetis unum, & ÆSOPO unum*. Talem Patrem, ut Æsopus est, Ecclesiæ Lutheranæ non invidemus. Cæterum erudite Lector! si tibi ad manus non sunt Scripta, & Libri PP. volve, & revolve Jodoci Coccij, ad nostram fidem conversi, inæstimabilem, & rarissimum librum, qui inscribitur: *Thesaurus Catholicus*, & deprehendes, quam male Novatores cum doctrina Patrum concordent. Ausim dicere, si omnes Libri Polemici a nostris conscripti, simul perirent, ex solo Coccij *Thesauro Catholico* refutari abunde possent adversa nobis Heterodoxorum dogmata.

§. III.

Quod attinet Concilia, eorum saltem notitiam exactam Theologiæ Candidatus comparare studeat, quæ OEcumenica sunt, & a Summo Pontifice approbata,

(a) *Sic scribit Mathesius infra in Nota citandus*.
(b) *In Colloquiis Mensal. Germ.* Islebii *editis An.* 1566. Dresda *An.* 1723. *fol.* 715.
(c) *Jo. Franc. Buddeus in suppl. Epist. Lutheri epist.* 112. *ut cit. a Cl. VVeisling. in* Armamentario Cathol. *f.* 571. *edit. Argentinens. An.* 1749.

bata, Particularium enim singulorum, cum plurima sint, accurata notitia opus haud esse existimo: quisque tamen Diœcesis suæ in qua habitat, Synodos Particulares exacte norit oportet, quas utpote ceu statuta ac saluberrimas leges summo in pretio habere, ac venerari decet, & quarum transgressio excusationem vix admittit.

Conciliorum Generalium Summam exhibet R. P. Josephus Biner S. J. in libro suo eruditissimo, quem inscripsit: *Apparatus Eruditionis ad Jurisprudentiam; præsertim Ecclesiasticam &c.* quinque Oeniponti Anno 1747. typis excusus prodiit. Optandum esset, ut quilibet Neo-Theologus, cui ampli Conciliorum Tomi ad manus non sunt, eo libro provisus notitiam Conciliorum Generalium exactam perdisceret, sic enim clare intelligeret, Heterodoxorum placita omni retro venerandæ Antiquitati contraria esse: detegeret eorundem fraudes, interpolationes, corruptionesque: verum denique a falso, aurum a scoria facillime discerneret. Quantum enim præjudicium falsitatis novitias Sectas pati necessarium est, quando doctrinam illam, quæ Apostolorum ætate, & antiquæ Ecclesiæ temporibus jam tum floruit, in sola Religione Romano-Catholica etiamnum vigere ex Conciliorum actis perspicere cuivis licet, illasque opiniones plerasque, quibus hodiedum Novatores adhærent, jam inde in illis prædamnatas fuisse nemo non aperte cognoscet.

§. IV.

IDem dicendum arbitror de notitia Historiæ Ecclesiasticæ, qua Sectarii ad errores suos magis stabiliendos passim abutuntur. „ Vidi ego, inquit Gisbert, (*a*) qui non admodum senui, vidi ipse.. .... cum Calvinistam inter, nuperis suis scriptis contra Fidei perpetuitatem tota Gallia famosum, & nonnullos Catholicos disputatio de Fide haberetur coram viris primariis, vidi inquam, & sensi premi Hæreticum: in easque redigi angu-

(a) *In* vera Idea Theologiæ *pag.* 19. *edit. Graciens.* 1731.

angustias responsionum, quæ ne suis quidem placere possent. Verum rem alio callide detorquens eo perfugit, ut diceret, Concilium Oecumenicum errare posse, & de facto errasse, quod nominabat Concilium Ariminense in causa Arianorum. Hic vero, quod eam, credo, partem Historiæ non satis teneret Catholicus disputator, persequi adversarium noluit per avia, & ignota loca, & victoriam, quam in manibus habebat, misere dimisit. Mihi quidem: quanquam nec satis Historia instructus eram, nec satis decebat per ætatem, loqui juniorem in multitudine Præsbyterorum, subibat tamen animum pugnæ succedere, & ut loquar cum Hieronymo (Ep. 84.) *extorquere gladium de manibus hostium, ac Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare*; sed continui metum, ut debui; ex eo tamen invasit me vehemens ardor studia ista non negligendi, invaluitque ea cupiditas superioribus annis, cum toties abuti viderem Historia Ecclesiastica Hæreticos ad fovendum errorem suum, dolerentque omnes boni, sæpe unum hominem multis imponere, & uni, in arte mentiendi exercitato, multos credere. „ Hactenus Joannes Gisbert, S. J. Theologus, & à morum integritate, & a sacratiori literatura, laudatissimus.

Quis justo mœrori hic indulgens, illis non succenseat, qui notitiam Historiæ Ecclesiasticæ otiosorum hominum negotium esse, dicere non erubescunt? Vacent hi Zelantes speculationibus suis, impallescant chartis, capitaque sua defatigent, quantum velint: ausim dicere, vix unum, alterumve aliquanto doctiorem Sectarium avitæ Fidei solo speculationum adjumento restituent.

§. V.

QUantum è contra emolumentum veræ DEI Ecclesiæ nullo non tempore ij præstiterint, quotque a Fide devios in viam salutis, DEO dante, reduxerint, qui eruditione præclari ex antiquæ Ecclesiæ monumentis falsitatem Sectarum noviter emergen-

tium

tium demonstrarunt, neminem peritorum latere arbitror. Quam enim adversarii objectionem minus sustinent, minusque resorbere valent, quàm si doctrina ipsorum novitatis arguatur, & toti Antiquitati asseratur contraria? Quot libros non conficiunt, ut hanc a se objectionem amoliantur? Repetitis vicibus jam hæc, jam illa Concilia citant: modo antiquos Patres pro se laudant, modo Historias veteres recitant: quis hæc nubila speculatione sicca, & sola dispellet? Unde innotescet, quæ Concilia legitima sint, & quæ apocrypha sine notitia Historæ Ecclesiasticæ? Quis fraudes, & corruptiones sine illius ope advertet? Quis sensum, mentemquæ antiquæ Ecclesiæ absque Historiæ usu assequetur? Nimium certa hæc sunt, quam ut ampliori confirmatione indigeant.

§. VI.

QUanquam ego minime per hec intendam speculationes tollere, aut Theologum *Quæstionibus* duntaxat *Facti*, Historiæ nimirum soli addictum esse velim. Hanc enimvero meam esse sententiam pronuntio, ANTE OMNIA operam dandam esse *Quæstionibus Juris*, ut ut speculativis; hæ enim fundamentum sunt, cui illæ innituntur. Illud autem addo: *Oportet unum facere, & alterum non omittere*: Oportet Theologum scire dogmata fidei, eadem explanare, in aliis gignere, contraque adversantes defendere: hæc vero qui fieri possunt sine notitia Quæstionum Juris, etsi speculationis asperitatem in se contineant? Oportet autem, & alterum non omittere. Addendæ sunt Quæstionibus Juris Quæstiones Facti, quæ solidioris Theologiæ cultoribus fructum, ut quidem reor, amplissimum sunt allaturæ.

Accedit, ejusmodi exercitationem Theologo non proficuam modo, sed omnino necessariam esse ad partes suas perfecte explendas. Quis enim militi, ut expedite pugnet, familiaria, & usitata esse debere arma negabit? Et quæ præter Scripturam, & sententias Patrum, Conciliorumque definitiones alia arma

arma sunt, quibus pugnat Theologus, nisi mens, & sensus antiquæ Ecclesiæ? Ergo ut expedite pugnet, illorum usum debet habere familiarem. Iisdem enim armis abutuntur Novatores, & unde nos firmamenta causæ nostræ ducimus, errorem illi suum confirmant.

Errores sane non paucos (male id quidem) Pontificibus Sectarii tribuunt; Zephyrinum scribunt Montanizasse: Liberium incidisse in hæresim Arii, idem de Felice II. sentiunt. Conantur persuadere, Vigilium Eutychianis favisse, Honorium Monothelitis: Joannem XXII. negasse immortalitatem animæ, Calvinus (a) effutiit. Hæc & similia plura ad Quæstiones facti pertinent; magni autem momenti est, hic non vinci Catholicum, cum vel ex uno ejusmodi factorum Ecclesiæ causa ita pendeat, ut quidquid ratione, & Auctoritate probatum fuerit, sæpe unius facti interjectu enervetur. Qui autem sine armis Catholicus vincet, notitia videlicet Ecclesiasticæ Historiæ destitutus?

§. VII.

Satis ex his liquet, qui fructus ex notitia eruditionis sacræ delibari queant, ac interesse permagni, ne a Theologo frugi Quæstiones facti omnino ignorentur. Quodsi etiam privatam cujusque voluptatem attendamus, eam sane ingentem hæc notitia procreabit. ".Juvat aliquando, inquit supra laudatus Gisbert (loc. cit. pag. 11.) juvat post debellatum hostem in ejus castra excurrere, lustrare oculis, ut se vallo muniit, ut disposuit aciem, ut restitit, ut fugit, ut accisæ reliquiæ consederunt. Dulce est designare manu illic raptas Aquilas, hic turbatum equitem, hic peditem inclinatum succubuisse. Num & Theologo pariter jucundum erit ex contentiosa disputatione respirare identidem post refutatum, v. gr.

(a) *Lib. 4. Institut. c. 7.*

v. g. dogma Arii, assertamque FILIO DEI Divinitatem, excurrere in Orientem, & monstrare digito: Hic Arius Alexandriæ Presbyter, primus in Filium Dei rebellavit, favente in primis Eusebio Nicomediensi, illo Ecclesiarum adultero. Ibidem adversus fidei hostes clarissima tuba bellum cecinit Alexander Alexandriæ Episcopus. Illic vero Nicææ in Bythinia per trecentos, & octodecim Patres, quasi per totidem Abrahami vernaculos, fides in Urbe victoriæ triumphavit, pugnante præsertim Magno Athanasio. Dulce erit exinde digredi ad conventicula Arianorum, ubi præsidebat comes, spiculator apparebat, cædes vel exilia Episcopis, non fidei definitiones scribebantur, tum ubi Liberius lapsus est, ubi cecidit Magnus Osius: quomodo post Ariminensem Synodum Nicænæ fidei conclamata damnatio, totusque ingemuit Orbis, & Arianum se esse miratus est. Hæc, & alia pericula, quæ præsentia terrebant olim, nunc præterita voluptatem habent. „

§. VIII.

Quæ cum ita sint, « neutiquam probari possunt hi, inquit eruditissimus Gravesonius (in præfat Hist. Eccles. pag. 2. edit. Augustanæ 1726.) qui in literaria Palæstra tot, tamque egregiis virorum doctorum Operibus abunde locupletata, adhuc barbariem mordicus retinere, siccis quæstionibus indulgere, & in Antiquitatis totius ignoratione versari volunt; digni profecto qui Tullianis verbis arguantur, veluti qui *perverse post inventas fruges glande vesci perseverant*. Sane negare haud possunt illi, qui abstractis quæstionibus velut deliciis unice delectantur, Theologum, ut suis omnibus numeris absolutus sit, præsidiis instructum esse oportere, hisque armis uti debere, quibus Ecclesiæ inservire, & fidei hostes retundere, ac vincere possit. Jam vero hæc arma, hæc præsidia potissimum petenda sunt ex S. Scripturis, ex Divinis, Apostolicisque Traditionibus, quæ Summorum Pontificum Decretis, SS. Patrum

Operibus, Conciliorum, Historiæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ monumentis continentur. Quo pacto autem ejusmodi arma tractare, eorumque vim penitus introspicere poterit Theologus, qui Antiquitatem cum sacram, tum Ecclesiasticam ne primoribus quidem labris prægustaverit? „ Notent hoc sibi Gravesonii dictum eruditionis osores.

Dices: Discipulis Historiæ incumbere haud possibile est, utpote alias Theologia sat occupatis. Dein nec tradi omnia iis poterunt, cum Historia Ecclesiastica diffusa nimium sit. Præstat ergo Theologiæ speculativæ omni nisu incumbere, quam Historiam obiter duntaxat attingere, & velut canes e Nilo.

Resp. Certe discipulis quibuscunque, nisi trunci sint, & stipites, aut in Stoicorum palæstra educati. speculationum asperitas eruditionis amœnitate temperabitur; ut sileam, quantam iisdem utilitatem eruditio illa sit allatura. Quod additur, responsione dignum non est. Discipuli omnia exhaurire non possunt, ergo nihil omnino ipsis propinandum est. Quæ sequela? Non uno momento fabri, nec uno docti fimus. Quam difficulter ea discunt viri, quorum in juvenili ætate notitiam nullam, aut forte nec nomen perceperunt. Discenda igitur discipulis sunt generalia saltem Historiæ sacræ principia: tradenda iisdem Synopsis Conciliorum generalium: præcipuæ Hæreses exponendæ cum circumstantiis nobilioribus Personarum, temporum, locorum, Pontificum, &c. sic, ut credo, Theologiæ speculativæ tractatio & utilis erit, & jucunda.

§. IX.

QUem hæc rationum momenta non convincunt; legat is P. Joannis Mabillonii Benedictini, quem sacræ Antiquitatis bono natum doctissimi quique profitentur, librum vere aureum *de Monasticis studiis*, *qui*, ut Graveson loc cit. ait, *sanioris Theologiæ Magistris, & cultoribus regiam plane viam sternit, cui maxima cum Theologici nominis commendatione utiliter insistant.*

Stet

Stet ergo, quod demonstrandum erat, eam esse veram, perfectamque Theologiam, quæ utrasque Juris, & facti quæstiones sapienter complectatur. Qui enim speculationibus intentus, Quæstiones facti, ex Historia Ecclesiastica petitas, omnino prætermiserit, Theologiam is quidem dabit solidam, & nervosam, sed sine succo, & sanguine, nimis quoque frigidam, nimis duram, & aridam; qui vero solam Historiam omissis quæstionibus Juris tractaverit, Theologiam is tradet succosam quidem, sed sine ossibus, & nervis, nec bene cohærentem. Sed qui utrasque & juris, & facti quæstiones feliciter sociarit, solidam ille, nervosam, bene habentem, succi plenam, jucundam, venustamque Theologiam repræsentabit.

§. X.

HÆc sufficiant de præstantia Eruditionis, ad cujus amorem; studiumque Neo-Theologos amice exhortor, unum superest, ut rationem, scopumque Opusculi paucis declarem. Continet id *Historiam Pœnitentiæ Publicæ*, quem si Lectoribus meis non utilem, non tamen injucundam fore confido. Ex ea innotescet.

I. Ecclesiam severe admodum in peccatores olim animadvertisse; eandem tamen, ut piam Matrem, in sinum suum vere pœnitentes denuo recepisse.

II. Intolerabile jugum id non fuisse, cum plurimi in primis sponte sua eas pœnitentias libenti animo in se susciperent; tum etiam, quia pœnitentia publica publicis tantum, & scandalosis peccatoribus, eaque non quibuslibet, sed trium duntaxat criminum reis (a) dictata fuit.

III. Hanc pœnitentiam in desuetudinem demum venisse, introducta in Ecclesiam sæculo circiter nono pœnitentiarum commutatione, de qua legendum est cap. 9.

IV. Aper-

(a) *Vide infra cap.* 4.

IV. Aperte ex disciplina illorum temporum, quo Pœnitentia publica viguit, necnon ex doctrina SS. PP. qui tum floruerunt, cognoscetur, quid sentiendum sit de Confessione secreta, seu, ut vocant, auriculari, an videlicet in antiqua Ecclesia viguerit, an vero per tyrannidem Antichristi Romani, quemadmodum urbane Novatores quidam loquuntur, invecta in Ecclesiam fuerit.

V. Confessariis ex hac Historia ea erit utilitas, ut nimirum illis pœnitentibus, qui ob injunctas pœnitentias paulo severiores nimium se oneratos existimant, disciplinam antiquæ Ecclesiæ ab oculos ponant; quod & utiliter fiet a Parochis, si id ipsum in Concionibus aut Catechesibus crebro inculcare studuerint. Sed de his plura inferius.

Quod attinet Concilia, Patres item, & Auctores a me laudatos, me eosdem sedulo volvisse moneo; dulcius enim, & purius ex ipso fonte potari aquas satis compertum est. Inde factum, ut ubi operæ pretium fore arbitrabar, editionis locus, & annus additus a me fuerit. Cæterum si qui errores, lapsusque in hoc deprehendentur Opusculo, ut eosdem imbecillitati meæ, & humanæ infirmitati Lector imputet, & benevole excuset, ut in simili causa etiam sibi fieri peroptaret, humaniter rogo: Homo enim sum, humani a me nihil alienum puto. Cæterum non pro doctis, sed tyronibus duntaxat, hæc Historia compilata fuit: & hæc sunt, de quibus benignum Lectorem in ipso limine monere institui.

N O T A.

Numero II. 1.) Martinus Lutherus natus est Islebii, ditionis Mansfaldicæ in Saxonia oppido, Anno 1483. 10. Novemb. Patre Joanne Luder, (a) Matre

(a) *Ita hoc nomen: Luder, exprimit Mathesius. Luthero coævus ejusque sectator, in Concionibus suis, Nurimbergæ impressis, Anno 1566. p. 1*

tre Margaretha Lindenmannin. Ætatis anno decimoquarto, Christi 1497. literis operam dedit Magdeburgi, & anno insequente Isenaci; utroque in loco panem ostiatim mendicando, & cantando obtinuit. Erfordiæ in Thuringia Philosophiam absolvit, ibique Anno 1505. fulminis ictu non procul ab ipso vibrati terrefactus, apud PP. Eremitas Ordinis S. Pr Augustini Religiosum induit. Anno 1508. VVittenbergæ *(a)* Philosophiam, & altero mox anno S. Scripturam exposuit; ibidemque anno 1512. 4. Octobris creatur Licentiatus, & 19. Octobris ejusdem anni Promotore Andrea Bodenstein, seu ut vulgo dicebatur, Carolstadio, Theologiæ Doctor inauguratur. *(b)* Anno 1517. contra Indulgentias insolenti dicendi genere altum intonuit, hortatore Staupizio, Ordinis Augustiniani per Germaniam Vicario Generali. Staupizius tamen in se reversus, post severissimam peractam pœnitentiam in Monasterio S. Petri PP. Benedictinorum Salisburgi, in Abbatem ejusdem Asce-

(a) *Academia VVittenbergensis fundata est abs Friderico III. Saxoniæ Electore Anno.* 1502.

(b) *Historiam inaugurationis ita refert Albert. Fabricius, Præco Lutheranus Hamburgi* Centifolii Lutherani *p.* 38. .. 18. *Octob.* ... *R. P. F. Martin. LUDER. Ord. FF. Eremit. S. August. S. Theologiæ Licentiat. hora prima pomeridiana secundum formam statutorum a Magistro nostro exim. D. Archi-Diacono Oo. Sanct. Andrea Bodenstein ex Carolstadt vesperatus est* .... *Sequenti die ad pulsum majoris campanæ congregatio* ... *Patribus, & Hospitibus: Idem Pater a Præfato Magist. nostro Andrea doctoralibus insigniis in S. Theologia secundum formam Statutorum est insignitus.* ,, *De suo Doctoratu hæc habet Lutherus:* Ego Doctor Martinus præter alios adhuc vivo, qui in Schola Papæ, & ASINORUM STABULO educatus, factus fui Doctor Theologiæ. *Tom. 7. VVittenb. Germ. fol.* 607. *edit.* 1554. *Ex his patet, qualis Doctor Lutherus fuerit.*

Asceterii electus fuit, ibique in professione Catholicæ fidei pientissime obiit Anno 1527. Lutherus in contumacia perseveravit; quare quadraginta quinque Propositiones tum impias, tum hæreticas, ex ejus libris decerptas, damnavit Leo X. Pont. Max. Anno 1520. per Bullam EXURGE DOMINE, intentato simul anathemate, ni sexaginta intra dies easdem retractaret. Sed quod remedium esse debebat, oleum fuit flammæ additum: tum enim Lutherus ira effervescens, Bullam hanc, ipsumque Jus Canonicum publice flammis tradidit 10. Decemb. anni prædicti.

Sub hæc in Comitiis Imperii, VVormatiæ habitis, tanquam rebellis, & contumax Hæreticus die 8. Maii Anno 1521. Banno Imperiali subjectus fuit, Imperii terras intra 21. dierum spatium purgare jussus. Sed is transvestitus sub nomine *Funcker Georg* in arce munitissima, quam *VVartburgum* nominant, ipse vero Pathmum vocitabat, ultra novem Menses securus delituit, variis libellis, qui in rem suam facere eidem videbantur, ibidem exaratis. Anno 1525. 27. Junii sacrilegas nuptias cum (*a*) Catharina de Bore, Moniale ex Nimptsch; publice celebravit, stupente ad insolitum hoc facinus Orbe Catholico, suisque fautoribus ipsis necquidquam monentibus, ut NON HANC, sed ALIAM acciperet, ut fatetur Lutherus ipse (In Colloq. Mens. Isleb. Germ. fol. 412. edit. Anno 1566.) Inter hæc libros conscripsit spurcitiis, blasphemiis in Deum, & Sanctos, contumeliis in Principes, absonisque dictis refertissimos. Nemo mihi credat, sed legat quivis, cui placet, Lutheri libros, qui Jenæ, Francofurti, Islebii, alibique ex Officinis Protestantium in lucem evulgati sunt, & eorum, quæ dixi, veritatem deprehendet: in horum defectu legendi Cochlæus, Nas, Pistorius, Vetterus, VVeislingerus, alii. Scenam denique vitæ Luthe-

(a) *Ea a Luthero sæpe vocabatur*: *MEUS DOMINUS KETHA*. *Vide epist. Lutheri* 214. 219. *&c.*

Lutherus finiit Anno 1546. 18. Feb. hora tertia matutina, annos natus sexaginta tres. Testamenti loco suis reliquit (a) ODIUM IN PAPAM. Cadaver ejus splendida pompa sepultum (b) est VVitenbergæ in templo Omnium Sanctorum 22. Feb. quod templum Lutherus vocitare solebat *domum omnium diabolorum*. (Tom. III. Jen. Germ. f. 339. 340. edit. Anno 1556.) Ex his concludet Lector eruditus, quo in loco secundum verba sua Germaniæ Propheta sepultus jaceat.

CAPUT I.

Quid sit publica Pœnitentia, deque ejus Origine.

§. I.

(c) „ QUamdiu in Ecclesia sanguis Christi recens fervebat, neque adeo populus Christianus erat prolatatus, multa Christianis Ecclesia indicebat, quæ deinde multitudine crebrescente, eodemque sanguine tepefacto cessaverunt; inter quæ fuit publica, & solemnis pœnitentia. „ In eos namque, qui post susceptum Baptisma in aliquod grave, & publicum delictum erant prolapsi, severa disciplina animadvertebat eadem pia alioquin Mater Ecclesia, illos in ordinem pœnitentium redigebat, diutinis

(a) *Mathes. loc. cit. p.* 130. *b.*

(b) *De sepulcro Christi, quod gloriosum fore prædictum est Isaiæ Cap. XI. hæc habet impius Lutherus:* Sepulcrum, *inquit*, in quo Christus jacuit, & quod Saraceni possident, Deus non magis curat, quam omnes Vaccas Helveticas, *Tom.* 2. *Jen. Germ. fol.* 46. *edit. Anno* 1555.

(c) *Dom. Soto in* 4. *Sent. dist.* 19. *Q.* 2. *Art.* 5. *p.* 534. *edit. Lovan.* 1573.

tinis in pane, & aqua jejuniis, orationum frequentia, crebris vigiliis, aliisque id genus asperitatibus exercebat. Nuptias convivia, balnea, & hominum congressus ipsis vetabat, neque ipsis arma deferre, aut militare permittebat, nec eis pacem, aut reconciliationem indulgebat, donec quatuor celebres illas stationes, de quibus infra, fuissent emensi.

Tyrannidis non semel, & inclementiæ Romanam Ecclesiam Novatores insimulant, quæ populo Christiano, in libertatem a Filio DEI asserto, onera gravia, & importabilia alliget; Confessionem auricularem, carnificinam illam terribilissimam præcipiat, præscriptis diebus a quibusdam cibis abstinere jubeat, & sexcenta alia, a quibus ipsi per Beatum, ut ajunt, Reformationis Grande Opus liberati penitus fuerint, Triuni DEO immortales gratias eapropter se debere confitentes.

Quod si relaxata veteris disciplinæ austeritate in mitem hanc, modernam videlicet, gubernandi rationem mordaci lingua invehuntur, quid dicturi essent, si vetus ille rigor delicato hoc ævo adhucdum vigeret? Ridiculi profecto homines; ex iis enim sagaciores quinque primis saltem, duobus nempe, ut tribus, quatuor alii, vel quinque seculis Ecclesiam illibatam permansisse profitentur, recteque circa fidem, & morum disciplinam sensisse; proinde ad subruenda Fidei nostræ dogmata plurium Conciliorum canones laudant, textus e SS. Patribus adversum nos depromunt: sin autem ex iis Patribus, aut ex iisdem Conciliis, quibus usi sunt ipsi, aperte, & ut dici solet, ad oculum Fidem nostram demonstremus, & quantum illi ab antiquis semitis procul aberrent, palam faciamus, illico Concilia errare potuisse, Sanctosque Patres homines fuisse lapsui obnoxios, inclamant, contendentes: credendorum regulam e solo DEI scripto verbo desumendam esse.

Solemne id fuit omnium temporum Novatoribus, sua figmenta e Scripturis deprompta esse asserere; nec ulla unquam tam absona fuit Hæresis, quæ non

sibi

sibi de armis e DEI verbo petitis prospexerit: sed & hoc nostro sæculo, quo tot Sectæ vigent, novæque identidem procuduntur, omnibus diversissima sentienbus, eadem credendorum norma est (ut quidem opinantur,) Verbum DEI scriptum.

Ad convincendos ergo alios Sectarios nequaquam Novatoribus sufficere potest Verbum DEI scriptum; sed quæ veteris Ecclesiæ fides, quis Conciliorum, Patrumque sensus fuerit, solerter investigandum. Proinde dum ii veteris Ecclesiæ auctoritate aut nos Catholicos redarguere, aut Sectarios sibi contrarios convincere volunt Novatores, victas oportet ipsi dent manus, si fidem, quam nos Catholici modo profitemur, & antiquitus jam apud veteres obtinuisse probaverimus. *Quod quis enim in alterum statuit, eodem jure & ipse utatur.*

Hæc præmonuisse oportuit, antequam ipsam Historiam publicæ Pœnitentiæ aggrederemur. Ex ea siquidem non obscure colligere licebit, occultam, seu, ut vocant, auricularem confessionem jam tum in usu fuisse, & non primum (in 1.) Concilio Generali Lateranensi IV. Anno 1215. celebrato abs Innocentio III. invectam in Ecclesiam fuisse, ut Sectarii falso deblaterant. Quanquam is minime scopus præfixus mihi sit, ut in Sectarios animadvertam; ubi tamen se occasio incidenter obtulerit, Fidem avitam ab eorundem calumniis vindicandi, eam minime prætermittam. Historiæ filum jam prosequimur.

II. Pœnitentiæ publicæ nomine ea intelligitur, *quæ agitur in conspectu populi, & in Ecclesiæ conventu*, pro qualicunque crimine agenda sit, quod minime spectat ad publicæ Pœnitentiæ naturam, sed ad causam, judiciique rationem. Utrum autem ea tantum *publica* pœnitentia dicenda sit, quæ pro delictis *publicis* olim imponebatur, ut (a) Sirmondus autumat, ea vero, quæ pro occultis criminibus peragebatur, publica nominari non possit, res est parvi momenti, ac

(a) *Tomo V. col. 484. edit. novæ.*

ac fere de nomine. Inferius enim docebimus, quosdam, etsi occultissimos peccatores, aut sponte, aut suadente Confessario se se palam Canonicis sanctionibus subjecisse, atque in conspectu populi pœnitentiam egisse; quod nos dicimus esse agere pœnitentiam *publicam*: quanquam fatendum sit, publicam pœnitentiam *primario & per se ad diluenda peccata publica* olim *injunctam fuisse*, & ob id præcipue publicam nominatam; pro occultis vero delictis per se non impositam, immo Episcopis prohibitum fuisse, eam pro illis dictare; licet ergo quidam sua sponte eandem susceperint, pro iis tamen sancita no fuit, sed pro publicis duntaxat peccatoribus. En hac ratione utramque sententiam conciliari posse opinamur.

§. III. Pœnitentiam publicam Apostolicis temporibus, & proxime subsecutis obtinuisse pro certo tenendum est. Æquum enim, & rationi consentaneum est, ut is, qui publice delinquendo alios provocavit ad culpam, eosdem vitæ emendatione revocet ad morum probitatem. Sic (a) legimus l. Ecclesiæ sæculo, Apostolum Paulum Corinthium quendam incestuosum, & publice infamatum, pœnitentiæ publicæ addixisse. De sæculis proxime subsequentibus qui dubitat, legere poterit Irenæum, Tertullianum, & Cyprianum, in quibus plura publicæ pœnitentiæ exempla occurrent. Ei vero satisfactioni publicæ nullum certum tempus præfixum tum erat, sed prudentia, & consilio presbyterorum non certis præscriptionibus canonum pœnitentia injuncta fuit. Quod demonstrant Auctores ex facto S. Apostoli Pauli, qui Corinthium illum incestuosum anno pœnitentiæ necdum expleto restituit: itemque (b) S. Apostoli Joannis, qui juvenem a se primo institutum, tum coryphæum latronum effectum, ad pœnitentiam adduxit, brevique temporis intervallo Ecclesiæ reconcilia-

(a) 1. *Cor.* 5.
(b) *Eusеb. L.* 3. *c.* 25.

ciliavit. Vide Eusebium Histor. Ecclesiast. L. 5. cap. ultimo, ubi aliud exemplum celeris restitutionis recenset.

Quanquam vero initio nascentis Ecclesiæ mitior erat pœnitentium disciplina, occasione tamen (2) Montanistarum, qui circa annum Æræ Vulgaris 157. Ecclesiam vexare cœperunt, usque ad hæresim Novatianam, (3.) sæculo tertio grassantem, paulo severius cum pœnitentibus agere tunc cœpit Ecclesia. Id aperte insinuat S. Cyprianus toto fere Tractatu *de lapsis*; Hi enim cum pœnarum metu fidem negassent, thusque Idolis obtulissent, nulla, vel levissima duntaxat peracta pœnitentia, contendebant sibi restitui debere pacem, & communionem Ecclesiæ propter *libellos*, seu commendatitias Martyrum litteras, quibus muniti erant. Cum his ergo, ut dicebam, paulo severius egit Ecclesia, ne videlicet Montanistis, ac Novatianis occasionem daret, incusandi ut illi solebant, nimiam Catholicorum in concedenda lapsis venia indulgentiam, & facilitatem, necnon ad continendos Catholicos, ne furente Deciana persecutione prætextu facilioris indulgentiæ fidem desererent.

§. IV. Distinctio tamen hic observanda est inter lapsos. (*a*) Quidam dicti sunt *libellatici*, alii vero *sacrificati*, vel *Thurificati*. *Libellatici* ii fuerunt, qui consenserant, ut sacrificasse dicerentur, ut se nimirum, suaque a persecutionis furore subtraherent, atque ita etiam *libellis* se sacrificaturos profitebantur. *Sacrificati* vero erant, qui ad sacrificium nefandum accesserant. *Libellaticis* dandam esse pacem asserit S. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum; *sacrificatis* vero interim pœnitentiam, & in exitu reconciliationem quoque donandam ibidem affirmat. Idem decrevit Concilium Africanum, ut constat ex (*b*) Epist. 54. S. Cy-

(a) *Operum D. Cypriani T. 1. Edit. Antverp. 1541. pag. 172. NB. In hac veteri editione Opera D. Cypriani aliter disposita sunt, quam in nova.*

(b) *In edit. Antverp. T. 1. de anno 1541. est IL.*

S. Cypriani. « Statueramus, inquiunt Patres, . . . participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversariis, & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. (a)

Ajunt vero: *statueramus*; quoniam excitata iterum persecutione statim lapsis omnibus pacem dare satius existimarunt, ut ad prælium, quod imminebat, instruerentur, & armarentur, ut legitur in præcitata epistola 54. Ex quibus omnibus liquet, 1. Severius tum Ecclesiam egisse cum pœnitentibus. 2. Nullum certum tempus peragendæ pœnitentiæ fuisse præscriptum. 3. In articulo mortis etiam Idololatris pœnitentibus reconciliationem denegatam non fuisse.

§. V. Hujus autem indulgentiæ gratia, & quod non transacto primum plurium annorum curriculo (ut factum est postea pœnitentes, mœchi præcipue, ad reconciliationem admitterentur, Tertullianus (4) ad Montanistas defecit. Cum enim Zephyrinus Papa decretum promulgasset, ut *pœnitentia functis* dimitterentur etiam mœchiæ, & fornicationis delicta, Tertullianus de Pudicitia c. 1. vellicans Zephyrini decretum, « Audio, (b) inquit, edictum esse propositum, & quidem peremptorium; Pontifex scil. Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit; Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adscribi non poterit: Bonum factum! „ Ii ergo, quibus Tertullianus adhæserat, negabant reconciliationem concedendam esse fornicariis.

§. VI. Si vero (5) Cyprianus pœnitentia functis, etiam mœchis dandam esse pacem, probat epist. citata 52. ad Antonianum, ubi inter cætera sic

(a) *Cit. edit. pag.* 5.
(b) *Edit. Rothomag. anni* 1662. *pag.* 999.

sic habet: (*a*) Miror autem quosdam sic obstinato esse, ut dandam non putent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam. „ Ait deinde, a se etiam *mœchis* concedi *pœnitentiam*, *&* *pacem*. Recte autem Cyprianum egisse, probat ipse ex pluribus Scripturæ divinæ testimoniis DEUM videl. indulgentiam singulis pœnitentibus polliceri; (*b*) debere Episcopos DEI pietatem imitari: & idcirco a se iis tantum denegari spem communicationis, & pacis, qui pœnitentiam non agunt, nec dolorem delictorum suorum toto corde testantur, & quos ad veniam rogandam non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit. De his enim suspicari Cyprianus poterat, eos ita affectos esse, ut nisi mori deberent, vitam in melius non emendarent, quæ pœnitentia falsa est, & hypocrita; atque de istis Cyprianum debere intelligi, satis convincimur ex eo, quod serio pœnitentibus veniam ipse non denegaverit, ut satis hactenus demonstratum a nobis est.

Non ergo audiendi sunt ii, qui Cyprianum pristinam Ecclesiæ disciplinam violasse dicunt, dum lapsis, & pœnitentibus veniam, pacemque dedit. Apostolorum enim ætate nulli pœnitentium pax negabatur; deinde, quando Cyprianus reconciliationem concessit fornicariis, fecit id, quod statuerat Zephyrinus, & quod a multis in Africa Antecessorum suorum ætate servabatur. Alias quoque ex Irenæo, Clemente Alexandrino, ex libro Pastoris, aliisque Martenius atque Tournelius exempla proferunt concessæ pœnitentibus indulgentiæ. Non ergo universim verum est, quod (*c*) Sirmondus asserit; *trium criminum veniam olim* pœnitentibus *negatam*. Tria autem illa crimina fuere Idololatria, adulterium, & homicidium, de quibus infra dicturi sumus.

NO-

(a) *Edit. Antverp. Tom.* 1. *pag.* 176.
(b) *Edit. Antverp. Tom.* 1. *pag.* 178.
(c) *Tom. V. col.* 479. *&* *seq.*

N O T Æ.

Numero I. 1.) Concilium Lateranense IV. celebratum est Sæculo XIII. anno 1215. Romæ in Basilica Lateranensi. Ei præfuit Innocentius III. Pont. Max. interfueruntque duodecim supra quadringentos Episcopi; Patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; cæteri duo, Antiochenus videlicet, & Alexandrinus suos Legatos miserant. Primates, & Metropolitani erant septuaginta septem, Abbates, & Priores ultra octingentos, absentium Prælatorum, & Capitulorum Procuratores innumeri; adfuerunt etiam (ut testatur Urspergensis hujus temporis Scriptor) Imperatoris Constantinopolitani, qui Latinus tum erat, & Imperatoris Occidentis, Regumque Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, Siciliæ, Cypri, aliorumque Principum, Magatum, & Civitatum Legati. Convocatum id est ad recuperandam Terram Sanctam, corrigendos excessus, & reformandos mores, ad eliminandas hæreses, roborandam fidem, sopiendas discordias, &c. veluti habetur in Bulla indictionis anno 1213. XIII. Kalendas Maij emanata.

Canones ab isto Concilio (non vero abs solo Innocentio III. ut perperam sentit Elias Dupinus, Doctor Parisiensis, in libro *de antiqua Ecclesiæ Disciplina* Dissertat. 7. §. 4.) editi sunt sexaginta; ex quibus octavus decimus inter alia jubet, ut semel saltem in anno Confessionem quilibet fidelis, dum ad annos discretionis pervenerit, suo proprio Sacerdoti faciat. Ex hoc Canone Sectarij inferunt, Confessionem peccatorum Sacerdoti faciendam, primitus in hoc Concilio statutam fuisse. Sed cum illis rem habebimus capit. 4. in Notis.

Numero III. 2.) Montanistæ a Montano, Pryge natione, in vico quodam, cui Ardaba nomen, orto, dicti sunt, a quo etiam Cataphryges, seu Cataprygii appellati, eoquod eorum dux, Montanus videlicet, e Prygia oriundus esset. Errores Montanistarum

ſtarum fuere ſequentes: 1. Mortuos baptizabant. 2. Primas nuptias admiſerunt, ſecundas damnarunt. 3. Pœnitentiæ virtutem ſuſtulerunt, dicentes, eos, qui ſemel lapſi ſunt, nunquam poſtea conſequi poſſe remiſſionem, quantumlibet pœniteant. Hinc eorum invectivæ, & calumniæ in Catholicos, qui lapſos ad pœnitentiam, & pacem recipiebant. 4. Docuerunt, Prophetas fuiſſe arreptitios, non intelligentes ea, de quibus loquebantur, aut affirmabant. Plura de Montaniſtis vide apud Euſebium L. V. c. 15. & 18. & apud Nicephorum L. IV. c. 23. Montaniſtæ etiam dicti ſunt Montani. Prateolus de Vitis Hæreticor, p. 335. edit. Colonienſ. Anno 1569.

Numero eodem 3.) Novatiani a Novato Romanæ Eccleſiæ Presbytero ſunt nuncupati. Exorti ſunt Galli, & Voluſiani Imp. & Cornelii Papæ temporibus, circa annum Domini 855. Alio nomine Cathari, i. e. mundi, ſunt dicti, ob eam, qua ſe ſuperbiſſime efferebant, munditiem, atque puritatem. Hi in peccatum prolapſis, & ſincere etiam pœnitentibus, divinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia, & ſubſidia claudebant. Nullam ergo Novatus ſalutis ſpem reliquam docebat eis, qui perſecutionum temporibus lapſi eſſent, quamvis omnia, quæ ad legitimam, & veram pertinent converſionem, & confeſſionem perfeciſſent. In pluribus Conciliis Novati dogma damnatum eſt. Leges plura de eo apud Cyprianum in epiſt. contra Novat. Nicephorum L. VI. c. 3. qui Novatum graphice depingit. Vide etiam Prateolum loco cit. p. 355.

Numero V. 4.) Quinctus Septimius Florens Tertullianus, initio Catholicus ardentiſſimi Zeli, deinceps in Montani hæreſim prolapſus, contra Eccleſiam non pauca ſcripſit. Audiamus D. Hieronymum, in Catalogo Scriptor. Eccleſiaſt. ita de eo diſſerentem (Tom. IV. ed. Par. 1706. Parte 2. p. 115.) " Tertullianus, inquit, Presbyter ... Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginenſis, Patre centurione Proconſulari. Hic acris, & vehementis ingenij, ſub Severo Principe, & Antonino Caracalla maxime floruit, multaque ſcripſit vo-

volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, Romæ vidisse diceret; referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse, ac sibi crebro dicere: Da Magistrum; Tertullianum videlicet significans. Hic usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansit; invidia postea, & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus in multis libris novæ Prophetiæ meminit, specialiter autem adversum Ecclesiam texuit volumina: de Pudicitia, de Persecutione, de jejuniis, de monogamia, de Ecstasi sex, & septimum, quem adversum Apollonium composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exstant, opuscula condidisse. „ Hæc de eo Hieronymus. Plura qui velit, ejus legat Vitam editam a Jacobo Pamelio, Archi-Diacono Audomaropolitano, quæ præfixa est Tertulliani Operibus vulgatis ab eodem Pamelio cum Argumentis, & Annotationibus. In edit. Rothomagensi anni 1662. qua utor, vita habetur pag. 21. & seqq.

Numero VI. 5.) " Cyprianus Afer, inquit S. Hieronymus loc. cit. pag. 119. primum gloriose Rhetoricam docuit: exinde suadente Presbytero Cecilio, a quo & cognomentum sortitus est, Christianus factus, omnem substantiam suam pauperibus erogavit; ac post non multum temporis electus in Presbyterum, etiam Episcopus Carthaginensis constitutus est. Hujus ingenii superfluum est indicem texere, quum sole clariora sint ejus opera. Passus est sub Valeriano, & Galieno Principibus, persecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno. „ Stylus certe elegans, clarus, & fluidus in Cypriani operibus reperitur, cum econtra Tertullianus non tam eloquens, & clarus esse videatur. Quæ genuina sint D. Cypriani opera, vide apud Bellarminum *de Script. Ecclesiasticis* edit. Coloniens. 1613. p. 90. & seqq.

C A-

CAPUT II.

A quo, & quomodo Pœnitentia publica olim imposita fuerit.

VII. DOminicus Soto, Publicus apud Salmanticenses Professor egregius, & Carolo V. Imperatori olim a Confessionibus, in quartum Sententiarum distinct. 19. quæst. 2. Articulo 5. *edit. Lovan.* 1573. *p.* 534. triplex distinguit pœnitentiæ genus. *Una*, inquit loc. cit. *est publica & solemnis, alia vero publica sine solemnitate, sed alia privata, & secreta...*(*a*) *De privata, & secreta erant crebri canones pœnitentiales, quibus Sacerdotes erant alligati ad injungendas pænitentias. Enim vero pro quocunque criminali vitio, ut habetur C. Hoc ipsum, 33. q. 2. imponebantur septem anni pœnitentiæ, quæ erat una annorum hebdomada exemplo* (*b*) *Davidis, qui pro homicidio, & adulterio septem diebus jejunavit, & jacuit super terram. Dixerim, pro qualicunque criminali vitio.... quale est perjurium, homicidium, adulterium, & similia; quia non erat usus tot annos imponere pro quocunque peccato mortali: quandoquidem multi erant Canones, in quibus non imponebantur nisi quadraginta dies, & quandoque tres quadragesimæ .... in quibus* (canonibus) *enarrandis nulla est utilitas, postquam non sunt in usu.* (1.)

De pœnitentia publica non solemni hæc habet Soto: (*c*) *Secundus*, inquit, *gradus pænitentiæ.. erat sine solemnitate: nempe quando imponebantur peregrinationes: quæ etiam cum baculo cubitali fieri solebant, & inclusiones in Monasteria. Et istæ pænitentiæ poterant a Presbytero imponi, & pænitentes per ipsum reconciliari. Sed non poterat imponi nisi pro delicto gravi, & pu-*

(a) *Pag.* 535.
(b) 2. *Reg.* 12.
(c) *Pag.* 535. *col.* 1.

& publico, licet non esset scandalosum; sicut illud, quod requirebatur ad pœnitentiam solemnem . . . Nisi forsan sua sponte vellet, qui gravi se peccato onustum sentiebat, eandem pœnitentiam publicam acceptare. Sed tunc sic erat imponenda pœnitentia publica, ut peccatum non proderetur. Nam poterat homo peregrinari, & flagellis publice cædi, aut pondera bajulare, licet non constaret, utrum pro suis peccatis, an alienis, an vero ex devotione faceret, sicut modo etiam fiunt. Post pauca interjecta sic concludit: *Sed neque*, inquit, *istæ pœnitentiæ publicæ modo sunt in usu, nisi sub aliquo moderamine. Solent enim nonnunquam imponi pœnitentiæ publicæ, dummodo persona non se prodat, ut in Cœna Domini laminam ferream humeris bajulet, aut publice vicatim vapulet.* (2.) *Sunt autem pœnitentiæ, quæ rarissime imponendæ sunt, & cum prudentia. Peregrinationes autem, quia secretius fieri possunt, consultius imponuntur.*

Quæ observari solita olim fuerint in pœnitentia publica, Soto recenset loc. cit. p. 534. col. 2. *Publica*, inquit, *& solemnis* (Pœnitentia) *est illa, quæ describitur* Can. In capite distinct. L. *Cujus solemnitas ex multis Cæremoniis constabat. In primis enim non poterat illam imponere, nisi Episcopus, vel de ejus mandato, ut inibi denotatur, &* C. Statuimus de maledicis. *Neque vero poterant postea* pœnitentes) *nisi per Episcopum, aut ejus Vicarium reconciliari, ut* Can. Aurelius 26. q. 6. *habetur.*

Idem statutum legimus in Synodo II. Carthaginensi Canone 3. qui sic habet: (*a*) Ut *chrismatis confessio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant, vel reconciliare quenquam in publica Missa Presbytero non liceat.* Synodi III. Carthaginensis Canon trigesimus primus præscribit, « (*b*) Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora discernantur. „

Sæculo IX. Restitutam reipsa revocatamque in usum

(a) *Concil. Regior. Tom.* 3. *fol.* 468.
(b) *Ibidem fol.* 490.

usum tunc fuisse publicam pœnitentiam ; temporum illorum plures historiæ loquuntur. Hincmarus Remensis Archiepiscopus eo tempore vivens, Capitula XII. evulgavit, in quorum primo Presbyteris Diœcesis suæ injungit, ut publicam pœnitentiam imponere non præsumant, sed si a quoquam *publicum homicidium, aut adulterium, sive perjurium* vel quodcunque criminale peccatum publice perpetratum fuerit, talis (3.) *infra quindecim dies*, sunt verba Hincmari, *ad nostram præsentiam, si intra nostram* (a) *parochiam fuerimus, veniat, & juxta traditionem Canonicam publicam pænitentiam cum manus impositione accipiat*. Post pauca sic Hincmarus prosequitur: *Hoc tamen*, inquit, *omnimodis ab omnibus caveatur, ut nemo pænitens, & cum devotione petens, ultima pænitentia, vel ultimo viatico defraudetur, ea convenientia, ut si convaluerit, secundum Ecclesiasticas regulas pænitentiam agat, & reconciliationem, quantus Deus sibi concesserit, in ordine pænitentium expetat, & expectet.*

VIII. Ex dictis liquet, pœnitentiam solemnem ab Episcopo fuisse impositam, & relaxatam ; superest, ut paucis describamus, quomodo seu quibus ritibus ea pœnitentia injuncta fuerit. (*b*) Cum itaque Episcopali judicio aliquis publicam pœnitentiam accipiebat, conspersus cinere caput, & cilicio coopertus sistebat sese ante Ecclesiæ Præsulem spectante Clero, populoque universo astante, quod communiter fiebat in capite jejunii, seu, ut nos vocamus, die cinerum. Cilicii autem nomine lugubris, & sordidata vestis intelligitur. Cilicio accedebat conspersio cinerum, quibus capiti pœnitentium impositis, hi iisdem verbis extra Ecclesiam eiiciebantur, quibus Adam e Paradiso, videl. *In sudore vultus tui &c.*

Hoc pœnitentiæ genus omnino abolevit ab usu ; de eo tamen hoc solum vestigium relictum est in Ecclesia, quod in capite jejunii cinere capita con-

(a) *Hoc est: Diœcesin.*
(b) *Vide* Can. In Cap ta distinct. 15.

conspergimur, ut ait Hugo l. 2. de Sacrament. parte 9. c. 3.

N O T Æ.

Numero VIII. 1.) Soto dicit, in Canonibus pœnitentialibus enarrandis nullam nunc esse utilitatem, eoquod amplius in usu non sint: aliter tamen sensit Sanctissimus S. R. E. Card. Carolus Borromæus, in sua *Instructione*, seu *Monitis ad Confessarios*, quam Instructionem additis ad calcem canonibus pœnitentialibus, necnon Sanctionibus Concil. Trident. de Sacramento Pœnitentiæ Eminentissimus Cardinalis Dominicus Passionei novissimis typis Tugii Anno 1726. imprimi curavit, dum eo tempore Nuntii Apostolici ad Helvetios munere fungeretur. In citata ergo Instructione S. Carolus Confessarios ita alloquitur: " (a) Confessarius canones pœnitentiales ad unguem sciat oportet: nam quamvis illi possint, & debeant secundum prudentis, & morati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, utilissimum tamen est semper ipsos canones præ oculis habere, adque eos tanquam adamussim respicere, quantum conveniens erit: & quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta Mater Ecclesia cum pœnitentibus observat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur." Hucusque verba Sapientissimi Cardinalis, cui in omnibus subscribo, & addo, utinam Parochi sæpius in concione, vel Catechesi eosdem Canones explanarent, & distin-

(a) *Pag.* 63. *edit. Tugiens.* 1726.

distincte traderent! Nam Confessariis plerumque tale otium non suppetit ob multitudinem pœnitentium.

Numero eodem. 2.) In Cœna Domini publice laminam ferream humeris bajulare, aut vicatim cædi apud nos non est in usu: forsan est moris Hispanici; nam Soto, qui hæc scribit, Hispanus fuit, Patria Segobiensis.

Numero eodem. 3.) Etsi omnino asserendum sit; tempore Hincmari pœnitentiam publicam viguisse, tamen quoad omnes veteres Cæremonias non videtur fuisse observatam; cum enim antiquitus in capite jejunii pœnitentia dictata fuerit, Hincmarus ad hoc non attendit, sed decimo quinto die criminis canonici reum ad se adduci præcepit, cui tunc statim pœnitentiam indixit.

CAPUT III.

De gradibus Pænitentiæ.

IX. Celebres quatuor pœnitentium stationes primum grassante Novatiana hæresi, quam sæculo III. emersisse supra diximus, institutas fuisse, constat ex silentio præcedentium Scriptorum, apud quos nullum de iis vestigium reperitur. Earum vero meminit S. Gregorius Neo-Cæsareæ in Ponto Episcopus, cognomento Taumaturgus, auditor Origenis, & qui interfuit Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum, (1.) Anno 264. celebrato; is in Epistola Canonica describit quatuor pœnitentium gradus, *Fletum* nempe, *Audientiam*, *Substrationem*, & *Consistentiam*. De singulis sequentibus quatuor Paragraphis pauca dicturi sumus.

§. I.

Primus Pænitentiæ gradus, Fletus.

X. Prima itaque pœnitentium statio erat extra Ecclesiam, eaque statio primus erat pœnitentiæ gradus.

Eum

Eum describit, quem laudavimus S. Gregorius Thaumaturgus, Canone XI. Epistolæ suæ Canonicæ, (a) *Fletus*, inquit, *est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se precentur*. Hi ergo pœnitentes lugubri habitu induti, cilicio ac cinere sorditati in hoc uno intenti erant, ut Fidelium ingredientium, & egredientium vota captarent, eorumque preces apud Ecclesiam pro se postularent. Tertullianus de Pœnitentia c. 9. ait, eos, qui peccarunt, " (b) plerumque jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum, Presbyteris advolvi; & caris DEI adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. ,, Hoc loco videtur fecisse mentionem primi pœnitentium gradus. Quidquid sit, ejus aperte meminit D. Hieronymus Epist. 84. ad Oceanum, in qua Fabiolam nobilem fœminam laudat, quod post lapsum ad Christum conversa, sanctissimam, vereque Christianam egerit vitam. De pœnitentia Fabiolæ sic habet. " (c) Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clasum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysis separata consedit; ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transivit fluenta lacrymarum. Sedit super carbones ignis. Hi ei fuere in adjutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. ,, Satis liquet, Fabiolam e numero pœnitentium fuisse: non enim ingressa est Ecclesiam, flevit, ornamenta fugiebat, gemmas, & linteamina vide-

(a) *Edit. Paris. anno* 1622. *p.* 41.
(b) *Edit. Rothomag.* 1662. *p.* 169.
(c) *Tom.* 4. *part. II. p.* 659. *edit. Paris.* 1706.

videre non poterat. Id quod illi faciebant, qui primum pœnitentiæ gradum implere conabantur.

§. II.

Secundus Pœnitentiæ gradus, Auditio.

XI. (*a*) *Auditio*, ait Canon laudatus S. Gregorii, *est intra portam in porticu .... ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim Scripturas, & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur*. Hoc igitur unum pœnitentibus in statione audientium positis licitum erat, conciones scilicet sacras, lectionem Scripturæ, Psalmorumque cantus audire. Consistebant autem pœnitentes eo in loco, quo (2.) Catechumeni, qui una cum pœnitentibus monente Diacono apud offertorium exire tenebantur.

§. III.

Tertius Pœnitentiæ gradus, Substratio.

XII. *Substratio* statio erat, in qua pœnitentes substrati, & genuflexi, variis pœnitentiis, macerationibus carnis exercebantur, ac castigabantur. Transacto *audientiæ* tempore, quod Episcopi arbitrio pro conditione, & qualitate pœnitentis contrahi, aut prolongari poterat, ad hanc stationem pœnitentes transibant, quæ severissima omnium fuit, unde, & absolute *pœnitentia* apud Veteres vocabatur. Stabant autem illi intra templi ambitum, a portis Ecclesiæ usque ad ambonem, hoc est, locum illum, ex quo Epistola, & Evangelium legebantur. Erat ambo locus superior, quem modo dicimus *Pulpitum*, sed ambabus ex partibus instructus gradibus, prout hodie Romæ conspicitur in templo S. Laurentii extra muros, & quibusdam aliis.

Hoc

(a) *Loc. cit. p.* 41.

Hoc etiam in loco pœnitentibus ab Episcopo, & Clericis manus imponebantur; post quem pœnitentiæ ritum peractum catechumenis abeuntibus, substrati quoque e templo ante oblationem egrediebantur.

§. IV.

Quartus Pœnitentiæ gradus, Consistentiæ.

XIII. *Consistentia est*, ait supra laudatus Gregorius loc. cit. *ut cum fidelibus consistant* (pœnitentes) *neque cum Catechumenis egrediantur*. Quia igitur in quarta hac statione pœnitentes cum aliis fidelibus Divinis, & sacris mysteriis adstabant, ideo gradus ille dicebatur *Consistentia*. Etsi autem toti Sacrificio pœnitentes hi interessent, licitum tamen ipsis non erat sacrificanda (3.) offerre, nec de oblatione, scil. de Eucharistia, ex oblatis muneribus consecrata, participare; ipsorum quoque nomina ad altare non recitabantur.

Locus ipsis assignatus erat ab ambone usque ad sanctuarium: participes fiebant precum, sed non, uti mox dicebam, communionis sacræ. Olim dum humilitas, & pœnitentiæ amor magis quam nunc, Christianis cordi fuit, multi non raro libere ac sponte in ea statione versabantur. Cum denique injunctam pœnitentiam implessent, diuque inter ambonem ac Presbyterium constitissent, ad sacra mysteria accedebant.

N O T Æ.

Numero IX.) (*a*) Paulus Samosatenus, natione Syrus, Episcopus Antiochenus, asseruit hæretice: Christum non semper fuisse, nec ante Mariam Virginem extitisse, ac proinde non DEUM, sed purum plerumque hominem esse. Ab eo nomen sortiti sunt ei ad-

(a) *Vide Nicephor. L. 6. c. 27.*

ei adhærentes, dictique *Paulianistæ*, seu *Paulitani*, quos relicta Hæresi ad Ecclesiam revertentes iterum baptizari debere sanxit Concilium Nicænum primum, eo quod in nomine Trinitatis minime baptizarent. Qua vero baptismi forma usi fuerint, memoriæ proditum non est. Contra Paulum coactum est Concilium Antiochenum anno 264. Sed Postquam in isto Concilio palam pollicitus fuisset, se mutaturum sententiam, deceptis per simulationem Firmiliano Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, Concilii Præside, aliisque Episcopis, Paulus Samosatenus indemnis evasit. Verum datam fidem violans, altero in Concilio, Antiochiæ celebrato anno 265. seu, ut alii, 270. depositus est.

Numero XI. 1.) Catechumenorum olim tres erant classes. Prima eorum erat, qui ad audiendum verbum DEI admittebantur in eam Ecclesiæ partem, quam hodie *navim* appellamus, & in qua certum est, olim habitas fuisse conciones. Quare idem locus, in quo Catechumeni consistebant, Κατ' ἀκουμένων, id est, *Auditorum* dictus est, ipsique Catechumeni *Audientes*.

Expleto Catechumenatus, seu Audientiæ tempore, quo durante in fide orthodoxa imbuebantur, dicti sunt *Competentes*, iique secundam Classem constituebant. *Competens*, inquit Isidorus, *vocatur*, *qui post instructionem fidei competit gratiam Christi* (idest, qui ad baptismi gratiam admitti postulat) *Inde a petendo competens vocatur*. Hi Competentes omni conatu se præparabant ad gratiam regenerationis digne percipiendam. Ecclesia e contra omnem adhibebat diligentiam, ne indigni admitterentur, instituto eapropter super mores competentium severo examine, quod appellabant *Scrutinium*. Septem vero ex Ordine Romano Scrutinia habebantur a tertia hebdomada quadragesimæ usque ad Sabbatum sanctum, & si quis indignus inventus fuisset, rejectus est ad Classem *Audientium*.

Nisi prioribus scrutiniis *Competentes* inventi fuissent indigni, illis *Symbolum* tradebatur in die Palma-

 rum

rum (quæ idcirco *Pascha Competentium* vocabatur) & dicebantur *Electi*, qui tertiam Catechumenorum classem constituunt. Reddebant Catechumeni Symbolum in Ecclesia Romana Sabbato sancto paulo ante baptismum. Est autem *reddere Symbolum*, illud memoriter recitare, & Christianam fidem ante susceptionem baptismatis profiteri. Una cum Symbolo tradebatur Catechumenis *Oratio Dominica*, quam tamen proximo primum Paschali festo reddebant.

Numero XIII. 3.) Vetus in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut qui ad Missas celebrandas conveniebant, Sacrum Epulum percepturi, suam unusquisque sacrificii partem adferret. Innumera hujus rei exempla produci possent: sufficiat nobis Canon IV. Concilii II. Matisconensis, in quo statutum legimus; (a) « ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus offeratur tam panis, quam vini; ut per has Immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes. » Hæc consuetudo apud Leonices ex parte adhuc observatur. Sirmondus in *Disquisitione de Azymo* Cap. 1. testis oculatus hæc scribit: « Vidimus, inquit, (b) aliquando ipsi, non injucundo spectaculo in Armoricis apud Leonices antiqui moris imaginem referentes Matronas aliquot: quæ die festo communicaturæ cum in Dominicum venissent, adstantique ad Altare celebraturo Sacerdoti suam singulæ oblatam, sed puram, & azymam, vel domo allatam, vel e sacrario petitam obtulissent; ubi peracta consecratione ad communionem ventum est, ita omnes communicarunt, ut mutuas inter se hostias participarent, nec culpari ulla posset, si de alterius, ut Cyprianus loquitur, sacrificio sumeret, cum suam ipsa vicissim alteri concederet. »

CA-

(a) *Tom. XIII. Concil. Reg. fol.* 77. & 78.
(b) *Tom. V. pag.* 516.

CAPUT V.

Ob quæ crimina imposita olim fuerit publica Pœnitentia?

XIV. DE Gentibus noviter ad Christum conversis hæc in Synodo Hierosolymitana statuerunt Apostoli : « Visum est, inquiunt, Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria : Ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. „ *Act.* XV. *v.* 28. & 29. Quæ S. Cyprianus Lib. 3. ad Quirinum circa finem (edit. Antverp. Anno 1542. pag. 94. Tom. 2. Oper. D. Cypriani) ita reddit. : « Visum est Sancto Spiritui, & nobis nullam imponere sarcinam, quam istam, quæ ex necessitate est, abstinere vos ab Idololatriis, & sanguinis effusione (intellige: illicita) & fornicatione. „ *Hæc* nimirum, ut (a) Pacianus ait : *novi Testamenti tota conclusio*. Ideo hæc tria, idololatriam, homicidium, & fornicationem, tanquam capitalia vitia sic omni cura vitabant fideles, ut in his offenderet nemo, aut qui offenderet, indignum illum Ecclesiæ societate judicarent.

Neque hac solum animadversione contenti erant; sed trium illorum criminum, Idololatriæ videlicet, Homicidii, & Adulterii seu fornicationis publice convictum, publicæ pœnitentiæ subdebant. Res hæc apud omnes certa est, & explorata, nec a quoquam in dubium vocari potest, nisi eo ipso in antiquitatis Disciplinam peregrinum sese demonstret. (b) Iis tamen supradictis tribus criminibus, quæ, quod publica pœnitentia juxta Canones castigabantur, *canonica* apud Veteres dicta sunt, successu temporis nonnulla addita fuere, quæ publice expiari oportebat.

Ve-

(a) *Epist. I. ad Sympron.*
(b) *Vide Tertullian. Ll. de Pœnit. & Pudicitia.*

Vehementer autem ii falluntur; qui quævis peccata mortalia indiscriminatim publice castigata fuisse opinantur. Nec enim Veteres Scriptores, qui sæculo tertio floruerunt (quo maxime pœnitentia publica viguit) Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus, alia peccata præter tria gravissima, Idololatriam, homicidium, & adulterium, eorumque species manifestas publicæ addicunt pœnitentiæ.

Sic maleficia, & divinationes, de quibus Illiberitana Synodus (1.) Canone 6., continentur sub Idololatria, & juxta hunc canonem pœnitentiæ publicæ subiiciuntur. Sic falsum testimonium, & occultorum criminum delatio Eliberitano can. 73. & 74. homicidii mulctis expiabantur, &c.

XV. Infirmum, dices, argumentandi genus est, si quod probandum est, solo Scriptorum silentio evincatur. Porro cum probandum esset, non omnia peccata mortifera legi pœnitentiæ publicæ fuisse subjecta, id ex argumento negativo demonstratum solummodo fuit.

Respondeo inprimis, argumentum negativum ex silentio Scriptorum, & maxime synchronorum deductum, minime semper infirmum esse, sed subinde robustissimum. Nec enim fortiori argumento fabulæ, & figmenta exploduntur, nisi demonstratione, quod nullus Scriptorum coævorum, aut proxime subsequentium illa eo tempore actitata referat, quæ recentior quispiam finxit. Certe decantata illa Fabula Joannæ Papissæ hac præsertim ratione refellitur, quod Scriptores synchroni, aut proxime subsequentes, Græci præcipue, Romanæ Ecclesiæ tum infensissimi, Joannæ illius fictitiæ mentionem nullam faciant, sed primum a posterioris ævi Scriptoribus, iisque ex parte lividis intrusa fuerit. Cum ergo nullus sæculi tertii Scriptor, quo tamen, ut mox dicebam, & superius Cap. 1. monui, severitas pœnitentiæ publicæ observata fuit vel maxime, aliorum peccatorum *canonicorum* mentionem faciat præterquam eorum, quæ diximus, consequens est, ut iis magis assentiamur, quam morosis quibusdam & heri natis criticis.

Resp. II.

Resp. II. Assertionem nostram probari quoque posse positive, & quidem sequentibus rationum momentis.

1. S. Basilius Ep. ad Amphilochium (*a*) Can. 14. avaros hortatur, ut pravum affectum deponant, de pœnitentia iis injungenda nec verbo meminit. Asserit quinimmo, eos sepofito avaritiæ studio ad Sacerdotium promoveri posse: quod certe signum est, avaros pœnitentiæ publicæ subjectos non fuisse, cum publice pœnitentes ad sacros Ordines admissi non fuerint. Vide Not. ad numer. 19.

2. Gregorius Nyssenus S. Basilii M. frater Epist. ad Letojum affirmat, avaritiam absque severiore punitione fuisse a Patribus prætermissam.

3. S. Augustinus Ep. 64. ad Aurelium ait, commessationes, & ebrietates, quæ tunc temporis in honorem beatissimorum Martyrum celebrabantur, quamvis essent flagitiosæ, non tamen severius fuisse punitas. En ejus verba: (*b*) Cubilia, & impudicitiæ tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculaverit. Et recte omnino. Sed quare solum? Commessationes enim, & ebrietates ita concessæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatissimorum Martyrum non solum per dies solemnes, quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis inspicit, sed etiam quotidie celebrentur. Quam fœditatem si tantum flagitiosa, & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerantiæ viribus sustentandam putaremus.

4. Secreta confessio regula olim fuit imponendæ pœnitentiæ, sive publicæ, sive secretæ, ex judicio videlicet prudentis Sacerdotis, cujus erat discernere inter peccata, quæ publicæ, quæ privatim expiari oporteret: ex quo sequitur, non omnia peccata mortalia indiscriminatim publice punita fuisse. Origenes, qui sæculo III. floruit, ita de re ista differit:

(a) *Edit. Operum D. Basil. M. Parif. A.* 1566. *f.* 773.
(b) *Pag.* 357. *edit. Lugd. A.* 1561. *Tom.* 7. *part. II.*

rit: (a) « Circumspice, inquit, diligentius, cui debeas CONFITERI PECCATUM TUUM: Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere. Si quid consilii dederit, facias, & sequaris. Si intellexerit, & viderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis, & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, & satis periti illius Medici consilio procurandum est.

5. Probatur id ex facto, quod narrant Sozomenus L. 3. Hist. c. 16. & Socrates L. 5. cap. 19. « Mulier quædam, ait Socrates, ad Presbyterum Pœnitentiarium accedens, delicta post baptismum a se perpetrata (b) SIGILLATIM CONFESSA ERAT, (+2), Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus vacaret. »

Narrat exinde Historicus, mulierem illam occasione pœnitentiæ persolvendæ diutius in Ecclesia commoratam, cum Diacono peccasse; quo facinore in aurem Sacerdotis primum deposito, tum ex immaturo, & imprudenti zelo publice declarato, scandalum ingens in Ecclesia subortum est, ipsaque mulier ex consilio Sacerdotis Pœnitentiarii publicam pœnitentiam subiit. Ille enim ex secreta confessione judicabat, & quæ & quanta pœna pro delictis imponenda foret. (c) *Ille* (Pœnitentiarius) *pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, panæ loco indicebat.*

6 Denique constat ex Can. 4. Concilii Neocæsariensis An. 314. celebrati, quod pro peccatis, sola cogitatione commissis, etsi lethiferis, pœnitentia publica dictata non fuerit. Vide Tom. II. Concil. Regior. fol. 78. & 79.

XVI. Ex modo dictis satis constare, arbitror, non

(a) *Homilia 2. in Psal. 37. fol. 529. edit. Basileens. anno* 1557.

(b) *En confessionem secretam.*

(c) *Sozomenus l. cit.*

non omnia indiscriminatim peccata lethifera; sed atrociora tantum, Idololatriam videl. Homicidium, & fornicationem, eorumque species manifestas, primis Ecclesiæ sæculis publicæ pœnitentiæ subjecta fuisse. Pro aliis tamen criminibus certi erant præscripti canones, (a) secundum quos Sacerdotes pœnitentiam injungere oportebat. Diu illi in Ecclesia perseverarunt, donec frigescente fidelium charitate in desuetudinem abjere. De iis ita discurrit suo more perquam erudite Sanctissimus, qui modo Ecclesiæ præest, Pontifex Benedictus XIV. ((b) Tomo XII. suorum Operum edit. Romanæ Anni 1748. L. VII. c. 62. pag. 529.) " Tanta, inquit, diligentia Majores nostri disquirebant, quæ unicuique peccato esset imponenda pœnitentia, ut si enorme aliquod audiretur perpetratum crimen, quod vel ratione sui, vel ratione adjectæ circumstantiæ, quandam peculiarem, & graviorem redoleret nequitiam, & turpitudinem, simul statim convenirent Episcopi ad deliberandum, quo pœnitentiæ genere esset illud expiandum, reque mature discussa, ac tandem deliberata, singuli pa œciis suis, quod communi consensu statutum fuerat, significabant: . . . tanti præterea momenti negotium æstimabatur, ut peccatores dignam, suoque reatui æquam subirent pœnitentiam, ut interdum Romani Pontificis ea de re exquireretur sententia, & quandoque ad eundem ipse reus remitteretur dijudicandus, qua & quanta pœnitentia, a DEO, atque ab Ecclesia reconciliationem consequi mereretur. „ Post horum probationem ita subjungit laudatus Pontifex. „ (c) Quam autem aut Episcopi, aut Pontifices Maximi certo crimini semel imponendam statuerant, pœnitentia, in codicem referebatur, qui *Liber Pœnitentialis* est nuncupatus, ut deinceps regula esset, ad quam inferiores Sacerdotes se conformarent: & ne quisquam

(a) *V. de supra Cap. II.*

(b) *Tom. 12. agit de Synodo Diœces.*

(c) *Tom. 2. pag. 530. n. 3.*

quam ab ea recederet, Episcopus in sua Synodo; atque in diœcesis visitatione, id potissimum investigabat, an quilibet Presbyter librum haberet Pœnitentialem, suæ diœcesis proprium, & an secundum quod ibi præscriptum erat, pro modo culpæ pœnitentiam injungeret. „ Hæc probat ex Burchardo, atque ex Reginone, qui in sua canonum collectione c. 98. docet, in visitatione Ecclesiarum hanc singulis Presbyteris ab Episcopo, aut Archi-Diacono interrogationem fuisse propositam: *Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro Episcopo, vel a Venerab. Presbytero Beda editum, ut secundum quod ibi scriptum est, interroget confitentes, & confessis modum pœnitentiæ imponat*.

(*a*) Antonius Augustinus, pergit eruditus, quem laudavimus, Pontifex ad suam Juris Canonici epitomam antiquum attexuit Pœnitentiale Romanum, in novem titulos distributum, in quibus varia recensentur criminum genera, atque ex Conciliis, summorum Pontificum epistolis, ac Patrum sententiis, pœnitentiæ describuntur, pro singulis imponendæ . . . . . . Post Gratiani Decretum in editione Romana habentur canones Pœnitentiales desumpti ex Summa Astensi, eosdemque canones a mendis purgatos, qui librariorum incuria in eos irrepserant, laudatus Antonius Augustinus adjecit libris Pœnitentialibus, Romano, Bedæ, & Rabani, opportunis, & eruditis notis a se exornatis. Alios antiquos libros Pœnitentiales in lucem protulit Morinus *in append. ad tract. de Pœnit.* Alios evulgavit Martene *tom. 2. de antiquis Ecclesiæ ritibus*. Librum de remedio peccatorum Venerab. Bedæ, & Capitulare Theodulfi Archiep. Aurelianensis, publici juris fecit Baluzius *tom. 7. miscellanor. p.* 21. Muratorius binos Pœnitentiales ex Italicis deprompsit bibliothecis, alterum scil. ex MS. Capituli Canonicorum Veronensium, alterum ex Codicibus MSS. Monasterii Bobiensis, at-

que

(*b*) *Loc. cit. pag.* 530. *n.* 3.

que ambos edidit *tom.* 5. *Antiq. Ital. med. ævi dissert.* 68. S. Carolus Borromæus, non solum vulgatos canones Pœnitentiales, sed innumeros alios ex antiquis Conciliis, aliisque libris Pœnitentialibus in unum collegit, per decem distribuit Decalogi præcepta, eorumque lectionem summopere Sacerdotibus (*a*) commendavit.

Docet exinde Sapientissimus Pontifex, non prudenter facturum Episcopum illum, qui in Synodo Diœcesana antiquos canones Pœnitentiales renovaret, suisque Constitutionibus annecteret, animo inducendi Confessarios ad pœnitentias imponendas, quæ pro unoquoque crimine sunt in illis præscriptæ: hac enim ratione non solum rigidissimæ Ethices sectatorem se ostenderet, sed rem plane impossibilem attentaret.

« At, subjungit idem loco cit. pag. 531. n. 5. Si Episcopis suis Synodalibus Constitutionibus canones inserat Pœnitentiales, vel eorundem studium, & cognitionem Sacerdotibus suadeat, aut etiam præcipiat, non ut illos, jam a multis sæculis obsoletos ad usum revocet, sed dumtaxat, ut eorundem notitia Confessariis prodesse queat, ad aliqualem proportionem servandam inter diversas peccatorum species, & pœnitentiam pro singulis imponendam; Ac præterea, ut iidem Confessarii inde argumentum desumant ad aperiendum Pœnitentibus admissorum scelerum gravitatem, quæ tam longa, tam aspera, tamque formidanda vindicta, etiam in hac vita, ab Ecclesia coercebantur, si, inquam, hoc tantum consilio id ab Episcopo fiat, statim Constitutiones Synodales inclamare, turbas ciere, Clerum, & populum adversum eas concitare, quod aliquando factum scimus, res plane intolerabilis est, atque a nullo cordato viro ferenda. „

Confirmat dicta doctissimus Pontifex plurium Synodorum

(a) *Vide supra in Notis ad Caput* 2.

dorum testimoniis, quæ in Sacerdote canonum pœnitentialium notitiam requirunt. Ex. gr. in Synodo Pragensi habita 1605. & jussu Cardinalis Episcopi de Harrach recusa 1650. *Tit. de Pœnit.* dicitur: *Confessarii canones Pœnitentiales memoriæ mandent, ut singulis criminibus congruam Satisfactionem injungant*. Sed id utique intelligendum est secundum discretam Doctoris Angelici doctrinam, qui *Quodlib.* 3. *q.* 13. *art.* 1. ita sapienter discurrit: " Videtur satis conveniens, quod Sacerdos NON ONERET POENITENTEM GRAVI PONDERE SATISFACTIONIS: quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur, ita posset contingere, quod parvus affectus Contritionis in pœnitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante. Unde melius est, quod Sacerdos pœnitenti indicet, quanta pœnitentia esset sibi pro peccatis injungenda, & injungat sibi nihilominus aliquid, quod Pœnitens tolerabiliter ferat, ex cujus impletione assuefiat, ut majora impleat, quæ etiam Sacerdos injungere non attentasset, & hæc, quæ præter injunctionem facit, accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illa generali injunctione, qua Sacerdos dicit: Quidquid boni feceris, sit tibi in remissionem peccatorum. ,,

Ex his a S. Doctore disputatis patet 1. illam Orationem post absolutionem super pœnitentes dici solitam, & quæ incipit: *Passio Domini N. J. C. &c.* non esse omittendam, etiam in concursu populi; quia juxta mentem ejusdem Doctoris opera pœnitentis accipiunt majorem vim ex hac generali Sacerdotis injunctione: 2. Non bene procedere Confessarios illos, qui rigidis suis, & ad annum aut ultra protractis pœnitentiis, suos filios spirituales pene mactant, saltem tam pusillanimes faciunt, ut ad emendationem vix perveniant. Has enim pœnitentias aut obliviscuntur, aut non persolvunt, sicque cum grandibus pœnitentiis eunt ad infernum. Satius igitur est (per se loquendo; nam circumstantiæ attendendæ) cum minore, & moderata pœnitentia mittere peccatores

tores ad purgatorium, quam cum grandi, & vix non importabili ad infernum.

N O T Æ.

Numero XIV. 1.) Illiberitanum quod alii Eliberitanum, alii Eliberinum vocant, Concilium habitum est Sæculo IV. apud Hispanos in provincia Bœtica prope Granatam (a) anno incerto a novemdecim Episcopis, quos inter eminebat Osius Cordubensis. Plurimi sæviente persecutione Diocletiana eandem Synodum convocatam fuisse asserunt. Octoginta sunt legitimi Canones istius Concilii, de quibus videatur Cardinal. Aguirre in Notitia Concil. Hispaniæ. Inter canones illos celebris est 36. (non vero 38. ut mendose habet editio Gravesonii Augustana de anno 1726. *tom.* 1. *pagin.* 80. *col.*) In quo asseritur: (b) *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Hoc canone mire gloriantur nostri temporis Hæretici Iconomachi. Sed refutantur in primis ex eo, quia eo tempore atrox furebat Diocletiani persecutio, & grave ingruebat periculum, (c) ne imminente persecutione imagines in templis relictæ, cum transportari non possint, ludibrio fierent Paganis; Quia imagines in parietibus depictæ venustatem amittunt, & decrustato pariete fœdantur. Unde teste Vasquesio *l.* 2. *de Adorat. disp.* 5. *c.* 2. *n.* 132. Hispania, ubi, uti diximus, Concilium illud celebratum fuit, paucis in Ecclesiis reperiuntur imagines pictæ in parietibus, præsertim S. Christophori, sed pleræque in tabulis, aut statuis ligneis inauratis, quamvis jam etiam illic a Concilii illius constitutione decessum fuerit. 3. Al-

basp-

(a) *Aguirre in Notit. Conc. Hisp. p.* 26. *edit. Salmant.* 1686. *ait, id esse coactum Anno* 300. *vel* 305. *vel* 324.

(b) *Tom.* 1. *Concil. Regior. edit. Paris.* 1644. *p.* 648.

(c) *Cursus Theol. S. Galli Tom.* 7. *p.* 116. & 117.

baspinæus hanc rationem profert in Commentario ad hunc Concilii Illiberitani canonem: Vetant, inquit, Patres Illiberitani Deum in parietibus depingi, ne scil. quem gentilibus, & Catechumenis Immensum, Omnipotentem, Invisibilem, Æternum, incomprehensibilem, Spiritualem corporis, & materiæ expertem, & immunem prædicabant, eum ipsi Gentiles, & Catechumeni in ipsorum Ecclesiis lineis, & coloribus circumscriptum, & comprehensum cernerent. Ne igitur Divini Numinis Majestas minueretur, & aliud de DEO depingeretur, quam prædicarent, & quem supra homines extollerent; humana specie oculis depictum objicerent; vetant, ne in Ecclesia imagines DEI suspendantur. Hæc Albaspinæus.

Numero XV. 2.) Confessionem auricularem seu secretam primitus Sæculo 13. adinventam fuisse, adeoque antiquitus non viguisse Novatores pronuntiant, sed quam imperite, ne quid gravius dicam, constabit e mox dicendis.

Ut sileam S. Scripturæ textus satis evidentes, & e quibus nostri solidissime necessitatem confessionis deducunt, sed quos Novatores in suam sententiam per capillos trahunt, videamus, quæ mens antiquorum PP. adeoque Veteris Ecclesiæ fuerit. In primis Tertullianus, qui ad initium Sæculi III. tempore Severi Imp. floruit, *Libro de Pænitentia cap. 8. & 9.* sic inter alia habet: (a) *Tantum*, inquit, *relaxat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ .... Satisfactio confessione disponitur; pænitentia nascitur, confessione pænitentia Deus mitigatur.*

2. S. Cyprianus *Tractatu de lapsis*, (b) *Quoniam*, inquit,

(a) *Edit. Rothomag. cit. p.* 169.

(b) *Edit. Antverp. p.* 345. *sed nota, pro* tò apud *in ea editione a me citata, positum esse* tò quod *quæ particula longe alium sensum facit. Nec mirum: Erasmus enim Roterdam. eam edit. adornavit. Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmizat, vetus adagium*

inquit, *de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum APUD SACERDOTES DEI dolenter & simpliciter confitentes*, (c) *exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt*. Vixit Cyprianus sæculo itidem tertio, passus martyrium sub Valeriano, & Gallieno Imp. Vide Hieronymum de Script. Ecclesiasticis.

§ 3. S. Gregorius Nyssenus Homil. in eos qui acerbius judicant, loquens de ministro Ecclesiæ, (a) *Audacter*, inquit, (b) *ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera, medico retege, ipse honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit*. (c) Floruit S. iste Gregorius sæculo IV.; vivebat adhuc, & scribebat anno 14. Theodosii. Interfuit Concilio I. Constantinopolitano, & scripsit Symbolum fidei in eo editum, ut habet Nicephorus l. 12. Hist. c. 13. Homilia tota meretur legi: ea enim probat confessionis necessitatam contra Hæreticos, & corripit rigidos confessarios.

4. S. Ambrosius, Sæculo itidem quarto, sub Gratiano, & Theodosio Imp. scribens; *Lib. 2. de Pœnit. c. 6. Si vis*, inquit, *justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum*. Libro integro esset opus, si, quæ veneranda Antiquitas de necessitate confessionis peccatorum faciendæ sensit, congerere vellem; unum adhuc testimonium proferre licebit, ex quo sæculo VIII. tempore S. Othmari, Abbatis Monasterii nostri S. Galli, adeoque quingentis ferme ante Concilium Lateranense IV. annis peccatorum confessionem viguisse luculenter demonstrabimus. In perantiquo ergo Codice pergameno Bibliothecæ nostræ, qui sæculo VIII., aut

sub

gium est. Clarissimus tamen VVeislingerus ab omni suspicione Lutheranismi Erasmum absolvit in Armament. Cathol.

(a) *Erasmus:* Confiteutur.

(b) *Edit. Paris. anni 1573. pag. seu col. 619.*

(c) *Alloquitur peccatorem.*

(d) *Hieron. de Script. Eccles.*

sub initium noni exaratus jam est, ut demonstrat characterum forma, ita habetur:

" Othmarus ad Discipulos. "

(a) *Quando volueris confessionem facere, noli erubescere, quia inde venit indulgentia, quia SINE CONFESSIONE NON EST INDULGENTIA. In primis prosterne te humiliter in conspectu DEI in terra ad orationem; & roga Dominum Deum Omnipotentem, & B. Mariam, cum sanctis Apostolis, & Martyribus, & Confessoribus, ut ipsi intercedant pro te; ut Dominus Omnipotens dignetur tibi dare sapientiam perfectam, & intelligentiam veram ad confitendum peccata tua. Et postea surge cum fiducia, & vera credulitate dic illo servo Dei, quem confessus es, Domino Deo Omnipotenti confessus sum . . . & sanctis suis, & tibi DEI misso, quae feci: ex quo sapere incipi, in verbo, & in cogitatione, & in opere, aut in juramentis & perjuriis, aut maledictis, & detractionibus, aut otiosis sermonibus, & per odium vel iram, aut per invidiam, & concupiscentiam gulae, aut per somnolentiam, aut in sordidis cogitationibus, aut in concupiscentia oculorum, aut per voluptuosam aurium delectationem, aut pro asperitate pauperum, & tarde Christum in carcere visitavi, & peregrinos negligenter excepi, & secundum promissionem nostram baptismo hospitibus pedes lavare neglexi, & infirmos tardius, quam oportet visitavi; . . . & Ecclesia jejunante prandire volui . . . Quod aut psallendo aut orando aliquotiens aliud, quam oportet cogitavi, & in conviviis meis non ea semper quae sancta sunt, sed aliquotiens, quae luxuriosa, vel detractiones locutus fui: & confessus sum tibi incredulitatem meam, quod fui sacrilegus, quod furavi, quod in sacro altare juravi, quod homicidium feci, & raptus fui; & falsum testimonium dixi, & in malis, & in membris meis in concupiscentiam*

(a) *Haec S. Othmari allocutio conscripta est pro more ejus aevi stylo barbaro, satis tamen intelligibili.*

tiam malorum fantasmatum . . . . me coinquinavi , & quod cum oculis meis vidi , quod mihi licitum non fuit , & quod cum auribus meis audivi , quod mihi licitum non fuit , aut audire neglexi , quod praeceptum est , aut ore locutus fui , quod licitum non fuit , aut silui , quod loqui debui . . . . & quod volens aut nolens aut sciens aut insciens contra DEI voluntatem cogitavi , aut locutus fui , vel operatus ; omnia fiant in pura confessione . Domino DEO Omnipotenti confessus sum , & tibi DEI amico , & Sacerdote , & rogo te cum humilitate , ut digneris orare pro me infelice , & indigno , ut mihi dignetur pro sua misericordia Dominus dare indulgentiam peccatorum meorum . Ita Codex de verbo ad verbum.

Ex hac peccatorum Tabula, quam suis discipulis (a) Othmarus proposuit, patet 1. Confessionem non soli DEO, ut volunt Sectarii, sed Sacerdotibus factam fuisse jam antiquitus. 2. Confessioni subiici oportere peccata, etiam sola cogitatione perpetrata. 3. Hallucinari novatores, dum imperitum vulgus edocent, per tyrannidem Innocentii III. Pont. Romani sæculo 13. confessionem Sacerdoti faciendam tanquam intolerabilem carnificinam; & jugum gravissimum Christianis impositam fuisse.

Necessitati denique confessionis *accedit nova ratio*, ut inquit Soto in 4. Sent. dist. 18. q. 1. art. 1. *ex utilitate videl. maxima, & usu qui inde nobis provenit .... Fac , confessionem sacramentalem non esse necessariam , sed satis esse , soli DEO confiteri , profecto tota Respublica plena esset occultis vitiis , quæ non possent non in publicum prodire : verecundia enim confitendi vehementissime homines a perversis moribus arcet .* Confirmat id ipsum memorabili exemplo, cujus ipse testis

(a) *S. Othmarus Abbas Monasterii S. Galli vixit Sæculo VIII. Ob defensionem Jurium Monasterii sui raptatus ad carcerem in eo ærumnis confectus obiit an. Chr. 760. miraculis in hodiernum usque diem conspicuus.*

testis erat ; & quod hoc loco dignum est memorari. (a) " Ex inclyta, inquit loco cit. Norimberga Civitate missa est ad Cæsarem (b) legatio, per quam Cives illi petebant, vt Cæsar Imperatorio jure Confessionem auricularem indiceret. Ajebant enim, se usu, & more intellexisse, rempublicam suam, postquam confessio cessaverat, vitiis contra justitiam, & alias virtutes scatere, quæ illis antea fuerant incognita." NB. Risum tamen eadem legatio movit; nam cum fateri omnino renuerent, per absolutionem Sacerdotis culpas remitti, & Divino jussu teneri homines vera fateri, quomodo plebs convinci posset Cæsarea lege, occulta sua scelera secreto confiteri? Nam qui non confiteretur, cum id prætor cognoscere non posset, quomodo pœnarum minis cogi posset? Adde, quod nisi tantus esset fructus confessionis, quantus est absolutio peccatorum, ad tantumque Sacerdos secretum divina lege teneretur, intolerabilis lex esset, quæ homines sceleratissima sua crimina in aurem Sacerdotis exponere compelleret. „ Hactenus Soto. Cæterum de confessione auriculari plura vide infra CIX.

CAPUT V.

An pro occultis criminibus Pœnitentia publica injuncta olim fuerit?

XVII. Acriter hic inter se decertant eruditi Auctores, quibusdam absolute negantibus, aliis econtra affirmantibus, pœnitentiam publicam olim pro occultis etiam delictis per sex priora Ecclesiæ sæcula peccatoribus fuisse injunctam. Perpensis rationum momentis, quibus persuasus opinioni quisque inhæret suæ.

Dicimus I. Pœnitentiam publicam, ut est publica pecca-

(a) *Pag.* 463. *col.* 2.
(b) *Carolum V.*

peccatorum punitio, illis non esse injunctam, in quibus publicæ pœnitentiæ actio potuisset occulti criminis suspicionem inducere. Hoc enim vetabat, & vetat etiamnum lex sigilli arctissima, atque inviolabilis. Nec ejusmodi punitio quidpiam contulisset ad finem pœnitentiæ publicæ, qui fuit satisfactio Ecclesiæ exhibenda ob datum scandalum, & fidelium ædificatio. Accedit Testimonium veterum Ecclesiæ Patrum & Conciliorum. S. Augustinus Homilia L. *Nos*, (a) inquit, *a communione probibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut aliquo sive Sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum, atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator, & Judex?* Judex publicæ pœnitentiæ solus est Episcopus, ut supra innui, accusator ergo idem esse non potest.

Idem S. Pater, quid hoc in genere præstare soleret, narrat ipse Homil. XIV. de Verb. Dom. c. 8. *Novit* (b) inquit, *nescio quem bomicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum PUBLICE corripere, & tu quæris inscribere. Prorsus non prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos DEI judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam.*

Quid hac in re præstiterit D. Ambrosius, narrat vitæ ejus scriptor Paulinus: *Quotiescunque*, ait, *illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos* (c) *confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas criminum, quas illi confitebantur, NULLI, nisi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum sint magis, quam accusatores apud homines.*

XVIII. Vasensis Synodi prioris in Gallia anno 442. cele-

(a) *Tom.* 10. *p.* 207. *col.* 1. *A. edit. Paris. A.* 1586.
(b) *Tom.* 10. *p.* 29. *edit. cit.*
(c) *En confessionem secretam!*

celebratæ; Canon VIII. sic habet: (a) « Quod si se tantum Episcopus alieni sceleris conscium novit, quandiu probare non potest, nihil proferat: sed cum ipso ad compunctionem ejus (peccatoris) secretis correptionibus elaboret. Quodsi correptus pertinacior fuerit, & se Communioni publicæ ingesserit, etiamsi Episcopus in redarguendo illo, quem reum judicat, probationibus deficiat, indemnatus licet, ab his, qui nihil sciunt, sedere jubeatur, illo, quamdiu probari nihil potest, in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permanente.,, Quodsi ergo juxta hunc canonem Vasensis Synodi occultus peccator in communione omnium, præterquam ejus, qui eum reum judicat, permaneat, ergo publica pœnitentia non plectebatur, certum enim est, publice pœnitentem omnium communione privatum fuisse.

Sæculo IX. quo pœnitentiam publicam viguisse supra (b) innuimus, Hincmarus Remensis in suis capitulis non alios pœnitentiæ publicæ addici volebat, nisi publicos peccatores. Si PUBLICUM, inquit Capitulo I. *homicidium, aut adulterium, sive perjurium, vel quodcunque criminale peccatum PUBLICE perpetratum fuerit, &c.*

Concilium Arelatense VI. eos solummodo publice vult castigari, *qui publice convicti sunt*; & Concilium Cabilonense II. pariter eos, *qui publice peccavint*. Omitto, ne longus sim, plura aliorum testimonia; ex his enim mox prolatis sat superque constare poterit, publicam pœnitentiam pro publicis duntaxat peccatis decretam olim in Ecclesia fuisse.

XIX. Dicimus II. Publicam pœnitentiam de occultis interdum susceptam fuisse a nonnullis, aut ultro aut ex consilio Confessarii, sed caute, & circumspecte.

Probatur ex S. Augustino, qui serm. 144. de Peni-

(a) *Collect. Sur. Tom. 2. edit. Venet. 1585. p. 20.*
(b) *C. 2. n. 7.*

Tempore sic habet: *Aliqui ipsi pœnitentiæ locum sibi petierunt; alii excommunicati a nobis in pœnitentiæ locum redacti sunt*. Illud vero notandum est, illos, qui sponte pœnitentiam publicam peragebant, proprie pœnitentes dictos non fuisse: ii enim soli proprie pœnitentes appellati sunt, qui publici criminis causa ab Episcopo excommunicati fuerant, publicamque pœnitentiam agere jussi. *Agunt*, inquit (a) Augustinus, *homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui proprie appellantur*. Alii vero, quorum occulta erant delicta, quique pœnitentiam publicam sponte expetebant, pœnitentium nomine non censebantur; (1:) erant enim immunes a probro, & infamia usque adeo, ut Clericis quoque, quibus publicam subire pœnitentiam non licuit salvo illorum gradu & honore, concederetur. Patet id evidenter ex Canone IV. Concilii I. Arausicani, quo asseritur: (b) *Pœnitentiam desiderantibus etiam Clericis non negandam*. Hæc enim pœnitentia sponte suscepta sicut non impediebat laicum, quo minus Clericus fieret, ita Clerico non officiebat, cum gradum, & honorem propterea non amitteret. Confirmatur id ex Toletana Synodo XIII. quæ de Episcopo, qui morti proximus pœnitentiam acceperat, & recepta post valetudine, an Episcopatum retinere, aut eo fungi posset, ambigebat, Canone X. respondit, fraudi hoc illi esse non posse, si nullum crimen sit confessus. Ac ne ambigua in posterum res foret, ita constituit: *Sancta Synodus definivit ... ut quicunque Pontificum, vel Sacerdotum deinceps per manus impositionem pœnitentiæ donum exceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retinendi regiminis non amittant, sed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more suscepta, solita compleant ordinis sui officia, vel cætera* mystc-

(a) *Epist.* 108. *ad Seleucianam*.
(b) *Tom.* 2. *collect. Sur. p.* 16.

mysteriorum sibi credita Sacramenta. (*a*) Si vero professi seu publice confessi criminis pœnitentiam egisset hic Episcopus, id certe de eo judicassent Patres Toletani, quod paucis ante annis statuerant de Theodosio Arelatensi Episcopo Cabilonenses, Episcopalem nempe Cathedram illum nec tenere, nec regere posse. (2.)

Quod vero caute, & circumspecte ex consilio Sacerdotis pro occultis criminibus pœnitentia imposita fuerit publica, patet ex Epistola Canonica S. Basilii ad Amphilochium, qua docet, (*b*) uxores adulteras non esse pœnitentiis publicis nisi admodum cautè subjiciendas, ne videlicet earum mariti venirent in notitiam patrati adulterii, aut ne convictis præberetur causa mortis. Hoc autem utique intelligi debet de quocunque alio scelere, unde infamia, dedecus, maximumque incommodum poterat provenire. Vix autem in suspicionem sceleris, quale cujusque foret (nisi esset publicum, de quo hic non loquimur) deveniri poterat: peccatores enim diversorum criminum rei in eodem gradu degebant, & insuper multi sponte ac ultro illorum numero addicebantur: hinc ex fletibus, substrationibus, lugubri habitu pœnitentium nulla oriebatur dedecoris nota, sed optima eorundem existimatio; quemadmodum moderno sæculo ex frequenti aliorum confessione, carnis maceratione, aliisque pœnitentiæ operibus non arguimus vitæ anteactæ flagitia, sed eorum, qui hæc agunt, pietatem potius, vitæque honestatem commendamus.

N O T Æ.

Numero XIX. 1.) Laici publice pœnitentes antiquo jure fiebant irregulares, ut habetur 26. q. 6. *Can. ult.* & in-

(a) *Tom. 17. Concil. Reg. fol. 36.*
(b) *Canone 34. fol. 779. edit. Paris. A. 1596.*

& infames, *Can. Infames, 6. q. 1.* (*a*) Plura alia iis vetabantur, ut adire convivia, nuptias, balnea, deferre arma, militare, sed ante omnia interdicta ipsis erat sanctissimi Sacramenti Altaris sumptio, donec reconciliationem acciperent, qua de infra c. 7. De conjugatis pœnitentibus hæc statuit Concilium Vormatiense Cap. 37. (*b*) *Illi* inquit, *qui pro diversis erratibus, vel quibuscunque piaculis pœnitentiæ jugo summissi fuerint, legitimo nullatenus matrimonio separentur, ne in fornicationis voragine demergantur, & dum ad alta sublevari sperantur, corruant in cœno.* Concilium VVormatiense, seu ut scribit Surius, Vormatiense habitum est A. D. 868. sub Adriano II. Papa, & Ludovico II. Imp.

Numero eodem 2.) Concilium Cabilonense coactum est teste Surio Anno D. 658. Epistola porro PP. Cabilonensium ad Theodusium Arelatensem Episcopum est hujusmodi:

(*c*) " Domino semper peculiari suo Theodosio Cœtus Episcoporum, qui nuper est in Cabilone urbe cum Christi gratia adunatus. Omnibus veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignorasse, quod gloriosus Dominus Clodoveus Rex in suprascripta urbe Cabilone VIII. Kalend. Novembris synodale præcepit esse Concilium, ubi omnibus nobis, qui in Basilica D. Vincentii pariter residentes, vestrum adventum dum vos in propinquo etiam in ipsa urbe esse audivimus) omnimodis præstolati sumus, ut daretis intelligere, pro qua re vos in ipso Concilio noluistis adesse, dum multa adversum vos, & de indecenti vita, & de excessu canonum (quod maxime condolemus) pervulgata narrantur. Nam & scripta, qualiter vos constitit pœnitentiam fuisse professos, vestra manu, & comprovincialium vestrorum videmus manibus roborata. Unde vos credi-

(*a*) *Vide Cyprian.* Tract. de lapsis.
(*b*) *Tom. 3. Collect. Surii. p.* 982.
(*c*) *Tom. 3. Collect. Surii p.* 210.

credimus jam legisse, nec nos pœnitentiam ignoremus, quod qui PUBLICE pœnitentiam profitetur, Episcopalem cathedram nec tenere, nec regere potest. Propterea salutantes beatitudinem vestram honorifice, judicamus, ut usque ad aliam Synodum de Arelatensi sede, ubi vos constat pontificalem cathedram tenuisse, debeatis omnimodis abstinere, & de facultate ipsius Ecclesiæ nihil ad vestram dominationem, donec in audientia ante fratres conveneritis, penitus præsumatis. „

CAPUT VI.

An Clerici majores Pœnitentiam publicam subire debuerint aliquando?

XX. TRibus saltem prioribus Ecclesiæ sæculis Clericos omnes, etiam majoribus Ordinibus initiatos, publicæ pœnitentiæ fuisse addictos, probare conantur peritissimi, & magni nominis Critici, speciatim Morinus, & Natalis Alexander. Hic tamen peculiarem ab aliis sententiam tradit: etsi enim pœnitentiam publicam Clericis lapsis decretam fuisse asserat, ipsis tamen manus non fuisse impositas ait, de qua *manuum* super pœnitentium capita *impositione* proximo c. dicturi sumus. Rationes porro; quæ prædictos Auctores ad amplectendam præfatam sententiam permoverunt, aliis, ut mihi quidem videtur, longe firmioribus enervantur, diluique congruis responsionibus possunt.

XXI. Dicimus ergo, nullo unquam tempore Clericis majoribus pro expiandis ipsorum delictis publicam pœnitentiam fuisse dictatam. Rationum momenta sunt hæc:

I. Canone XI. Concilii Carthaginensis V. celebrati anno 398. legitur: (a) " Confirmandum est, ut, si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori

(a) *Concil. Regior. edit. Paris.* 1644. *T.* 3. *fol.* 561.

viori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit removere, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.,,

II. Leo M. Rom. Pontifex Epist. 90. ad Rusticum ita anno 443. scribebat: (a) " Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit.,, Hujusmodi vero lapsis privatam secessionem ac pœnitentiam SUFFICERE, ait ibidem S. Leo.

III. Synodus Ancyrana Anno 314. habita Can. 1. & 2. Presbyteris, & Diaconis, qui Idolis Sacrificaverant, pœnitentia ductis, honoris quidem nomen servat, verum absque ulla functione, & exercitio Ordinis. En Canones prædictæ Synodi ex interpretatione Dionysii Exigui: Canon I. " Presbyteros immolantes, & iterum luctamen adeuntes, si hoc non per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerint, ut iterum teneri viderentur, aut tormentis subjici, quo facinus pati viderentur inviti: hos ergo placuit HONOREM QUIDEM SEDIS RETINERE; offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi non liceat." Canon II. " Diaconi similiter, qui immolaverunt (intellige: Idolis) HONOREM QUIDEM HABEANT, cessare vero ab omni sacro Ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo, vel prædicando, &c. debeant.,, Vide Tom. II. Conc. Reg. edit. Paris. 1644. fol. 51. Ex his manifeste colligitur, Clericis pœnitentiam publicam non fuisse impositam, cum honoris nomen publice pœnitentibus servatum nunquam fuerit. Vide supra in Not. ad n. 19.

Dices 1. Hæc tantum probant, quod Sæculo IV. & subsequentibus Clericis majoribus pœnitentia publica

(a) *Surius volum. seu T. 2. Concil. p. 104. col. 2.*

blica dictata non fuerit, non autem, quod ea disciplina prioribus tribus sæculis non viguerit.

Resp. Ex Concilio Carthaginensi quinto cit. & ex Leonis M. Epistola satis probari, quod nec primis Ecclesiæ temporibus ea prætensa disciplina in more fuerit. Illo namque Concilii laudato canone non inducitur *nova* disciplina, sed *confirmatur antiqua*. Ajunt enim PP. CONFIRMANDUM est: nihil autem confirmari potest, quod prius non fuit.

Verba Leonis Papæ aperte nobis favent, ut opus non sit, pluribus eadem explanare.

Dices 2. Verum quidem esse, Clericos manus impositioni, ab Episcopo, & toto clero factæ, obnoxios non fuisse, non tamen fuisse a subeunda pœnitentia publica immunes. Porro Concilium laudatum Carthaginense, & verba ex epistola S. Leonis excerpta, tantum probant Clericos immunes fuisse ab impositione manuum, non vero a pœnitentia publica.

Resp. Inane hoc effugium esse. Ut quid enim ab ista manuum impositione immunes fuissent Clerici, & non a pœnitentia publica? Quid dedecoris, & verecundiæ, aut inhonestatis hæc impositio continebat, ut Clericis applicari non posset? Certe qui asserit, pœnitentiæ publicæ subjectos fuisse Clericos, consequenter fateri cogitur, etiam manus impositioni illos fuisse obnoxios, hæc enim pœnitentiæ publicæ pars erat vulgatissima. Pœnitentiæ nomine *substrationem* veteres propriissime intelligebant, porro negari non potest, pœnitentes in hoc tertio gradu lugubri habitu indutos variis laboribus, & castigationibus, speciatim vero crebræ manus impositioni Episcoporum, & reliqui Cleri fuisse subjectos. Si quis ergo affirmet, Clericos pœnitentiam quidem publicam subire debuisse, immunes tamen fuisse ab impositione manus, exemptionem hanc probare debet, quam certe non probat Concilium citatum, nec Leo Pontifex, immo nobiscum sentire assero. Nam Concilium ait, Presbyteris, & Diaconis peccantibus manus non esse imponendas, tanquam POENITENTIBUS; ergo supponit Concilium, Clericos pœnitentiam

tiam publicam subire non debuisse. Qui diceret: Laicis peccantibus indicuntur pœnitentiæ, & ipsis pœnitentibus imponuntur manus; Clericis autem peccantibus manus imponi non debent, cum ipsi sicut laici pœnitentes pœnitentia publica non plectantur.

Idem volunt S. Leonis verba; Pontifex namque alienum ait esse a consuetudine Ecclesiastica, ut Presbyteri, & Diaconi remedium pœnitendi per manus impositionem suscipiant; aperte innuens, quisquis pœnitentiam publicam subire debuit, manus quoque illi impositas fuisse. Cum ergo Leo dicit, alienum esse a consuetudine Ecclesiarum, ut Clericis manus imponantur, & per impositionem manuum ii pœniteant, satis indicat, Clericos immunes fuisse a subeunda pœnitentia publica. Solis enim pœnitentiam publicam, non vero privatam obeuntibus manus olim sunt impositæ. Vide infra Cap. seq. n. 23.

Assertio nostra probatur IV. S. Optatus Milevitanus Episcopus, qui Sæculo IV. circa annum 365. floruit, septemque egregios libros adversus (1.) Donatistas edidit, L. 2. eosdem graviter redarguit, eoquod lapsos Episcopos ac Presbyteros pœnitentiæ publicæ subjecissent, quod novum esse, & insolitum ait, ac a nullo unquam factum. " A vobis, inquit, l. cit. (a) occisi sunt in honoribus DEI Sacerdotes. Multis notum est, & probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos inertia a confessione nominis DEI delapsos thurificasse; & tamen nullus eorum, (b) qui evaserunt (h. e. qui lapsi non sunt, aut persecutionem evitarunt) aut manum lapsis imposuit, aut ut genua (2.) figerent, imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod a NULLO factum est post thurificationem.,,

Dices: Concilium Eliberitanum Can. 76. de Diacono

(a) *Biblioth. TP. Tom. IV. pag. 351. col. 2. G. edit. Lugud. A. 1677.*

(b) *Intellige: Episcoporum; hi enim pœnitentiam dictabant publicam, ut supra diximus Cap. 2.*

cono sic decernit: (*a*) " Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit eum, acta pœnitentia legitima, post triennium accipere communionem. Quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere. " Ex hoc Canone AA. inferunt, Diaconis saltem pœnitentiam publicam olim injunctam fuisse.

Resp. Canonem non exprimere, an illa pœnitentia, Diacono lapso injungenda, publica sit, an secreta. Ex positis ergo a me rationibus assero, pœnitentiam illam aut secretam fuisse, aut impositam tunc dumtaxat, postquam Diaconus ille a gradu, & privilegio Diaconatus dejectus, ad laicorum sortem, & communionem amandatus fuerat. Alii sic explicant: Canonem loqui de Diacono irregulariter, & cum reatu capitalis criminis ordinato, & hinc mandare, ut abjiciatur a Clero, abstineatque aliquo etiam tempore a communione.

XXII. Ad solvendas objectiones alias notari hic debent tria. Primum est, quod juxta S. Basilium (*a*) can. 51. in Clericos lapsos *unicum supplicium* debeat decerni; in illis autem supplicium illud est, *a sacris ministeriis amoveri*, ut Basilius asserit. Sic autem amoti, inter plebem redacti Clerici laica tantum communione antiquitus donabantur. Secundum est, Aliquos Clericos sponte aliquando subiisse pœnitentiam publicam, quod demonstratum est supra nu. 19. Tertium est, non omnem pœnitentiam publicam fuisse canonicam; canonica siquidem ea erat, quæ juxta præscripta, & auctoritatem canonum infligebatur, publica autem illa erat, quæ coram populo, & in conspectu Ecclesiæ peragebatur, sive postea esset inflicta juxta Canones, sive a quibusdam piis, & timoratis spon-

(a) *Concil. Reg. Tom.* 1. *pag.* 655.
(b) *Edit. Paris.* 1566. *fol.* 783.

sponte suscepta. Ex his præsuppositis solvi possunt plurima, & vix non omnia, quæ Adversarii in contrarium nobis objiciunt. Quod si quis ergo nobis opponat ex Epistolis S. Cypriani 19. 52. 59. 64. & 68. in quibus recenseatur pœnitentia Felicis, Trophini, Victoris, Fortuniani, ac Basilidis, sacrorum Ordinum charactere insignitorum; respondemus, Cyprianum nuspiam asserere, Presbyteris aut aliis Clericis majoribus eandem cum laicis pœnitentiam esse subeundam, sed vel ad communionem laicam, vel ad deponendum gradum eosdem adactos fuisse asserit. Vel si pœnitentiam aliquorum Clericorum in Cypriano legimus, fatendum id est: pœnitentiam nos legere quidem Clericorum, sed ritum, quo pœnitentia illa peracta sit, non deprehendere. Verbo dicam; ex Cypriano, qui plurima tamen de pœnitentia nobis reliquit, probari nunquam poterit, Clericos majores pœnitentiæ publicæ legibus primis Ecclesiæ sæculis fuisse subjectos.

N O T Æ.

Numero XXI. 1.) Schisma Donatistarum seu Donatianorum emersit sæculo Ecclesiæ IV. Anno circiter 311. De eo videri potest Optatus Milevitanus Episcopus in libb. adversus Parmenianum Donatistam, itemque S. Augustinus pluribus in locis; extant denique in nova collectione Conciliorum acta Collationis Carthaginensis, in qua Cæcilianus, & Felix se purgarunt ab objectis criminationibus.

Paucis rem delineo. Defuncto Mensurio Carthaginensi Episcopo totius populi suffragio suffectus est Cæcilianus, & a Felice Aptungitano Episcopo ordinatus. Electioni resistebant Bostrus, & Celeusius, qui Episcopatum ambierant; eoque demum res devenit, ut coacto Conciliabulo aliquot Episcoporum (quos inter erat Donatus a Casis nigris, Donatistarum antesignanus) Cæcilianum non comparentem Episcopi ii damnaverint duo ei objicientes crimina; Primum, quod a *Traditoribus* fuisset ordinatus. (*Traditores*

tores ii sunt dicti, qui in persecutione suppliciis fracti, aut pœnarum metu deterriti libros, & sacra vasa paganis tradiderunt) Alterum, quod, cum esset Diaconus, victum afferri Martyribus in carcere positis, prohibuisset. Post hæc *Majorinum* in locum Cæciliani subrogarunt. Sed Orthodoxi Episcopi Itali cum aliis quibusdam favente Constantino M. Romæ in domo Faustæ in Laterano anno 313. congregati Cæcilianum absolverunt, & Donatistas una cum eorum Principe Donato damnavere.

Donatistarum errores fuere sequentes: Asserebant I. diffusam toto orbe Ecclesiam, eoquod cum Cæciliano communicaret, corruptam defecisse, veramque Ecclesiam remansisse in sola Africæ Donati parte: hinc Sponsam dicere: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Cant. I. 6.* Africa enim situm obtinet versus Meridiem. II. Verum baptisma solum superesse in sua Ecclesia ideoque Catholicos ad eorum sectam transeuntes novo tingebant baptismate. III. S. Eucharistiam ceu rem profanam pedibus conculcabant, canibus eandem proiicientes. IV. Sacrum Chrisma effundebant, atque (V.) consecrationes, unctiones, & ordinationes factas a Catholicis, quos spurios meretricis Ecclesiæ ministros vocitabant, nullas, & invalidas esse contendebant. VI. Catholicorum Altaria evertebant; eorum calices confringebant; solos bonos in Ecclesia esse affirmabant, non vero malos. Denique Monachorum instituti hostes erant infensissimi: *Merito*, inquit S. Augustin. in Psal. 132: *illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum Fratribus, sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.*

Numero eodem 2.) Quando Optatus ait, nullum ex Episcopis imperasse, ut lapsis Clerici genua figerent, indicare vult morem antiquum *Substrationis*, quæ fuit tertius olim gradus pœnitentiæ publicæ, quemadmodum diximus supra Cap. 3.

CAPUT VII.

De impositione manuum, & solemni pœnitentium reconciliatione.

XXIII. (a) "INter omnes Ecclesiæ ritus, qui in sacris mysteriis adhiberi solent, clara in primis, & frequenti usu notissima est manuum impositio. Nam & gentilibus manus imponitur, ut Christiani fiant, & fidelibus baptizatis ut Spiritum sanctum accipiant, & Clericis, cum ad sacros Ordines initiantur, & ab hæresi conversis, ut Catholicæ Ecclesiæ copulentur, & aliis non paucis. At in publicis pœnitentibus non una, sed triplex fuit impositio manuum.,,

Primo itaque imponebatur lapsis manus; quando ab Episcopo ad pœnitentiam agendam admittebantur; atque hæc impositio manuum erat pœnitentiæ publicæ veluti janua. De ea loquitur S. Leo Pontifex in Ep. ad Rusticum supra laudata n. 21. Concilium item Agathense ea de re sic habet Can. 15. (a) *Pœnitentes*, inquit, *tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput a Sacerdote, sicut ubique constitutum consequuntur. Si autem* (1) *comam non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, & nisi digne pœnituerint, non recipiuntur.*

Secunda impositio manuum non simplex aut una fuit, sed multiplex & diuturna, tandiu nempe durans, quandiu pœnitentes a fidelium Missa excludebantur. De ea loquuntur Patres Toletanæ Synodi tertiæ (2.) Canone XI. dum statuunt, (b) " Ut secundum formam canonum antiquorum dentur pœnitentiæ: hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti, a communione suspensum faciant inter reliquos pœ-

(a) *Sirmond. T. 5. col.* 496
(b) *Concil. Regior. edit. Parif.* 1644. *T. X. f.* 376.

pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere: expleto autem satisfactionis tempore communioni restituant: „ quod ad tertiam spectat manuum impositionem. Ad secundam autem referendum est, quod habet Synodus IV. Carthaginensis Can. 80. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a Sacerdote imponatur.*

Manuum impositionis ab Episcopo, & Clero faciendæ meminit quoque D. Cyprianus; objurgans enim Epistola X. (olim 14. Libri 3.) Presbyteros, & Diaconos suos, quod citra conscientiam, sive consensum Episcoporum temere pacem lapsis dedissent, ita inter alia habet: (*a*) " Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi, & Cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace ad communicationem admittuntur; & nomen eorum, & nondum pœnitentia facta, nondum exomologesi finita, NONDUM MANU EIS AB EPISCOPO AUT CLERO IMPOSITA Eucharistia illis datur.

Et Epistola XII. (alias 16. lib. 3.) hæc habet: (*b*) " Audio, inquit Cyprianus, quosdam . . . . . de Presbyteris; nec Evangelii memores, neque quid ad nos Martyres scripserant, cogitantes, neque Episcopo honorem Sacerdotii sui, & Cathedræ servantes jam cum lapsis communicare cœpisse, offerre pro illis, & Eucharistiam dare, cum oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam cum in minoribns delictis, quæ non in DEUM committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita, quanto ma-

(a) *Tom. 2. Collect. Sur. pag. 865.*
(b) *Edit. Antverp. pag. 143. T. 1.*
Ibidem pag. 147.

magis in his graviſſimis, & extremis delictis caute omnia, & moderate ſecundum diſciplinam Domini obſervari oportet. „

Tertia & poſtrema hæc fuit, quando pœnitentes decurſis rite pœnitentiæ ſtationibus reconciliationem conſequebantur, unde reconciliatoria impoſitio manuum dicebatur. De ea in Concilii Arauſicani I. Canone III. ita ſtatuitur: (*a*) « Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatione eis communicari: quod morientis ſufficit conſolationi (*b*) ſecundum definitionem Patrum, qui hujuſmodi communionem Viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant. „ Concilium Carthaginenſe IV. Canone 78. id habet: « Pœnitentes inquit, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint; non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint. „ (Tomo 3. Concil. Reg. fol. 547.)

XXIV. Per hanc igitur poſtremam manus impoſitionem lapſis pœnitentibus omne jus reſtituetur ad oblationes, & ad ſacroſancta myſteria, ſumptionem videl. Euchariſtiæ, unde hæc impoſitio abſolute *reconciliatio* appellabatur. Notandum porro, duplicem fuiſſe olim reconciliationem, unam *Sacramentalem Canonicam* alteram, *& ſolemnem*, quod ex proxime citatis Conciliis Arauſicano I. & Carthaginenſi advertere licet: dum enim Patres aſſerunt, moribundos ſine reconciliatoria manus impoſitione communionem, id eſt Euchariſtiam accipere poſſe, aperte loquuntur de reconciliatione Canonica ſolemni ac Cæremoniali, non vero de Sacramentali; morientibus enim data non fuiſſet ſacra communio abſque reconciliatione ſeu abſolutione Sacramentali. Quod au-

(a) *Tom. 2. Collect. Sur. pag.* 16.
(b) *Alii legunt: reconciliationi.*

autem & alia fuerit reconciliatio videl. sacramentalis, patet ex eo, quia lapsi pœnitentes exacto pœnitentiæ tempore ad S. Eucharistiæ participationem admissi sunt, ad quam sine absolutione sacramentali accedere nefas fuisset.

XXV. Quod tempus spectat, quo reconciliatio publica peracta fuit, non una omnium Ecclesiarum fuit consuetudo, ut bene advertit Sirmondus. (a) Romæ in Cœna Domini publicos pœnitentes reconciliari olim mos fuit. Patet id ex Epistola Innocentii I. ad Decentium. " De pœnitentibus, inquit, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis dimittendum Ecclesiæ Romanæ consuetudo demonstrat. Cæterum in pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut adtendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubeat dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Quam autem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem vocat, non omnium videlicet hanc fuisse significat. Quod item de Episcopi judicio subjungit Innocentius, argumento est, non omnes prorsus absolutos tunc fuisse, sed illos tantum, qui satisfecisse videbantur, cæteris dilatis.

Cæterum in pluribus aliis Occidentis Ecclesiis id, quod Romæ, tempus reconciliationis observatum fuit. Patet id in primis ex Canone 47. Concilii II. Cabilonensis, celebrati anno 813. " In Cœna, inquit, Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur. Quæ quoniam eodem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eodem die ad percipienda corporis, & sanguinis Dominici sacramenta reconciliat. ,, (b)

XXVI. Præ-

(a) *Tom. V. pag.* 502.
(b) *Concil. Reg. Tom.* 20. *f. l.* 408.

XXVI. Præterea id patet ex Herardi Archiepiscopi Turonensis Capitulis. Sæculo IX. Anno C. 858. Herardus Turonensis Episcopus ad restaurandam collapsam Ecclesiæ disciplinam Presbyteris suis in Synodo congregatis Capitula centum quadraginta ex corpore SS. Canonum excerpta tradidit, quæ extant inter Baluzii Capitularia Tom. II. Capitulo XIV. sic habet Herardus: « Ut tempore opportuno publica crimina ad notitiam Episcopi deducantur, maximeque in die magno Cœnæ reconciliandi, vel adhuc suspendendi, per proprium Presbyterum, vel per legatum ipsius, eundemque Presbyterum, cui causa ipsius criminis bene habeatur cognita, ad præsentiam Episcopi deferantur, ne anima fratris negligentia vel otio Sacerdotis, absque reconciliatione permanens, ejus periculo pereat. „

« Maneat hodieque, ait, Sirmondus Tom. 5. colum. 504. multis locis in Gallia prisci hujus moris exemplum in illis, qui oppressis per incuriam parvulis suis publicæ pœnitentiæ addicuntur, ejectique ex Ecclesia die Cinerum, eidem in Cœna Domini restituuntur. Quos quidem, ut pœnitentia publica re ipsa fungentes, in hoc ordine habendos ambigat nemo. Alia vero nostrum omnium est ratio, cum recepto tota Ecclesia nunc more, sacris cineribus primo jejuniorum die capita submittimus, Episcopique absolutionem adventante Cœna Domini suscipimus. Quanquam enim publice fit utrumque, & ex publicæ pœnitentiæ ritibus profluxisse utrumque; & imaginem ejus aliquam referre perspicuum sit, certum est tamen ad pœnitentiam publicam, de qua hic sermo est, neutrum pertinere. „ Hæc Sirmondus.

XXVII. Auctor Sermonis *de Unctione Chrismatis* inter opera D. Cypriani (a) loquens de die Cænæ Domini (ut patet totum sermonem legenti) ita habet: « Passus

(a) *Oper. D. Cyprian. Tom. 2. pag. 312, edit. Antverp. 1542.*

" Passus est Rex illudi, & vita occidi, descendensque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit, hoc Ecclesiæ suæ hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in Ecclesia ABSOLUTIO PECCATORUM, & hæreditati redderentur ejecti, & præcedentibus beneficiis .... libertate donarentur pœnitentes, qui secundum merita, nisi gratia subveniret, fuerant condemnati. Et omnino convenit, ut eo tempore, quo Christus captivos eduxit ab inferis, RECONCILIATI PECCATORES AD ECCLESIAM REDUCANTUR."

Hæc autem reconciliatio a solo Episcopo, ut supra innuimus capite secundo, & necessitate aliqua urgente a Presbytero, cui Episcopus id muneris demandasset, peragi poterat juxta cap. *Presbyter inconsulto*, 26. q. 6. Hujus reconciliationis ritus describitur in pluribus antiquis libris *Pænitentialibus*, atque a Sozomeno l. 7. Hist. Eccles. c. 16. Reconciliati sordidis vestibus, barba, crinibusque depositis ornabantur cultioribus vestimentis, exemplo Joseph, quem ad imperium Regis e carcere educentes *totonderunt*, *& veste mutata obtulerunt ei* (Regi videlicet) *Genes.* 41. *v.* 14.

N O T Æ.

Numero XXIII. 1.) Inter alias Cæremonias pœnitentiæ publicæ ea etiam fuit observata, ut videl. pœnitentibus viris coma detonsa fuerit: fœminis vero Capilli non tondebantur; quia, ut ait S. Apostol. Paulus 1. Cor. 11. mulieres decet habere comam.

Numero eodem 2.) Synodus Toletana ordine tertia habita est Anno Domini 589. seu Æra Hispanica 627. Æra enim illa, quæ & Cæsaris dicitur, triginta octo annis Annum Domini antecedit, inchoans ab eo anno, quo Hispaniæ anni formam Julianam acceperunt, qui fuit septimus ordinationis Julianæ, & sextus a cæde Cæsaris. Æra igitur sexcentesima vigesima septima est annus Domini quingentesimus octogesimus nonus. Sic numerandum in aliis Conci-

liis

liis Hispaniensibus, ut videlicet ipsorum Æra semper trigiata octo annis annum Domini antecedat.

CAPUT VIII.

Refutantur censores Pœnitentiæ publicæ; Itemque ii, qui pœnitentes a Sacerdote non solvi, sed solutos declarari asserunt.

XXVIII. AUdiendi jam ii sunt, qui pœnitentiam publicam inconvenientem fuisse autumant. Ajunt enim 1. Fas non esse Sacerdoti peccatum, quod in confessione audivit, extra prodere; per pœnitentiam vero publicam peccatum proditur. 2. Judicium transigi debet secundum conditionem fori; forum autem pœnitentiæ est secretum: ergo secreto debet totum peragi, proinde pœnitentia publicari non poterit. 3. Si pœnitentia publica, & solemnis esset licita, nulla est ratio, cur iterari non posset; peccata enim iterabilia sunt: & tamen pœnitentia publica iterari non permittitur. 4. Pœnitentia omnes defectus revocat ad perfectum, ut ait Ambrosius; sed agentibus solemnem pœnitentiam non est juridicum ad pristinos redire honores.

XXIX. Respondeo. Nihil in contrarium his momentis modo prolatis evinci. Jam enim supra diximus, pœnitentiam publicam pro publicis duntaxat criminibus impositam fuisse, proinde pœnitenti nulla fiebat injuria, cum ad famam ob publicationem delicti jus amplius nullum haberet. Si vero crimen occultum fuit, vel pœnitentia publica pro eo injuncta non fuit, vel si hoc factum est, id fuit ex consilio duntaxat Confessarii; & ita caute ac circumspecte imposita fuit, ut nemo in notitiam criminis devenire potuerit. Vide quæ diximus Capite II. n. 7. & Cap. V. n. 17. & 19. sub finem. Adde, Ecclesiam nunquam non cautissime hic processisse. Solum enim ii, qui publice atque cum scandalo multorum peccaverant, quique insuper apud Judicem Ecclesiasticum delati, & criminis convicti fuerant, aut etiam

sponte sua crimina publice erant confessi, pœnitentiæ solemnis legibus addicebantur. Audiatur ea de re præclarum S. Augustini testimonium, quod habet Homil. L. T. 10. cit. edit. pag. 207. " Plerique, inquit, boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata, quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quædam, non tamen Judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus (quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. „

His præsuppositis Respondetur ad I. cum Soto: Sacerdotem imponendo pœnitentiam publicam non solemnem crimen non detegere, quamvis suspicio inde oriatur, aliquod enorme peccatum pœnitentem commisisse, quia ob alias causas potest illa opera pœnalia subire. Ut enim supra advertimus, c. v. n. 19. multi e Christianis sponte sua pœnitentiæ publicæ opera in se suscipiebant, nullo præcepto Judicis aut Sacerdotis ad hoc adacti, ex quo nulla infamia oriebatur. Præterquam quod, ut ibidem advertimus, caute, & circumspecte pro occultis criminibus pœnitentia publica injuncta fuerit. Lege dicta Cap. 2. n. 7.

Ad II. dicit S. Thomas, quod pœnitentia solemnis, quamvis occulte esset injungenda in foro pœnitentiæ, nihilominus non erat necessarium, ut executio esset occulta, postquam peccatum in civitate scandalum seminaverat. " Sed inquies cur non etiam imponebatur publice? Respondetur, quod non erat imponenda pœnitentia, nisi fieret sacramentalis absolutio a peccatis, & ideo reus confitebatur vel Episcopo, vel cui ipse id commiserat, & inter absolvendum imponebatur illa pœnitentia solemnis. „ Hæc Soto. Hoc tamen ita limitandum est juxta dicta Capitis V. n. 17. ut videlicet tunc solummodo ab Epi-

ab Episcopo pœnitentia publica reo confitenti dictari potuerit, quando crimen fuit publicum, & cum scandalo plurimorum patratum, vel quando reus ipse, non convictus, in pœnitentiam publice peragendam consensum dederat.

Ad III. Respondetur, multiplicem rationem fuisse, quod pœnitentia publica (1.) iterata non fuerit. Primo quidem, ne vilesceret, & timeri desineret. Secundo propter significationem, quia figura erat ejectionis Adæ de Paradiso, quæ non fuit nisi semel facta. Tertio, & præcipue, quia erat solemnis quasi Professio, nunquam in illa peccata relabendi, propter quæ dictata fuerat pœnitentia publica.

Ad IV. facilis est responsio. Dicimus enim, D. Ambrosium loqui de defectibus non quibuscunque, sed spiritualibus duntaxat; hos enim, non alios, revocat ad perfectum pœnitentia, dum hominem revocat in pristinam gratiam.

Objicere quis ulterius poterit, nimium fuisse veteris disciplinæ rigorem, dum tandiu, & publice quidem, pœnitere quis debuit. Sed qui tália dicit, nimii rigoris DEUM accuset oportet, dum Adamum ob unius vetiti fructus comestionem Paradiso ejecit, & nos ejus posteros primæ illius transgressionis effectum sentire hodiedum permittit. Pœnitentia vero Ecclesiæ utut severa, dictata solummodo fuit pro delictis atrocissimis, iisque publicis: jure igitur ille, qui suo facinore aliorum occulos offendit, tali talione dignus fuit. Deinde rationi consentaneum vel maxime fuit, ut per manifestam infamiam cohibitus is fuerit, qui publice crimina perpetrare non erubuit, ne videlicet iterum similia perpetret, & quos suo exemplo in malum induxit, suo etiam supplicio exterreat, ne illum sequantur. Unde adhuc & nostro ævo publice in Ecclesia ii castigantur qui lapis offensionis scelerata sua vita aliis fuerunt. Immo peccat Superior ille, qui post admonitionem notorium peccatorem non emendatum publice non punit. Confessarios autem hac in re cautissimos esse oportet, ne in secreto foro conscientiæ pœnitentias illas

illas dictent, ex quibus alii suspicari facile possunt; pœnitentem deliquisse mortaliter.

XXX. Eos nunc aggredior, qui Ecclesiæ Catholicæ litem movent, asserendo: peccata hominum a Sacerdotibus non solvi, sed soluta esse duntaxat ab iisdem declarari; solum DEUM peccata remittere, adeoque Ministri Ecclesiæ potestatem eam solam esse, ut peccata remissa pronuntiet, ubi DEO pœnitentem satisfecisse perspexerit. Si quæras, quinam ii sint, qui ita sentiant? Respondeo, esse Lutheri asseclas, qui umbram & confessionis & absolutionis retinuere, dum interim Calvinistæ tam confessionem, quam absolutionem sustulerunt, quod & olim Novatianos hæreticos factitasse sæculo Ecclesiæ III. Historia memorat Ecclesiastica.

Non est animus apertis Scripturæ testimoniis adversarios refellere, tum quod Historiam me scribere meminisse debeam; tum & præcipue, quia eadem in suum depravatum sensum vi omni, & nisu trahunt, quæcunque iis deprompsero: solum igitur, quæ venerandæ antiquitatis circa hoc punctum mens fuerit, paucis ostendam.

S. igitur Augustinus, quem Novatores quoque summe æstimant, quique Christianæ & antiquæ Religionis vindex fuit accerrimus, in fine Homiliæ ultimæ sententiam Catholicorum disertis his verbis exprimit: " Quis certus est, inquit, (a) quod Imperator ignoscat? Et tamen pecunia funditur, maria transmeantur, procellarum incerta sulcantur, & pene, ut mors evitetur, mors ipsa suscipitur. Supplicatur deinde per hominem homini. Sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubium, quo fine proveniant. Et tamen certiores sunt claves Ecclesiæ, quam corda Regum, quibus clavibus quodcunque in terra solvitur, etiam in cœlo solutum promittitur, & multo est honestior utilitas, qua se quisque humiliat Ecclesiæ DEI, & labor minor imponitur, & nullo

(a) Tom. 10. fol. 208. edit. Paris. A. 1586.

nullo temporalis mortis periculo mors æterna vitatur. „ Audis Augustinum dicere, per absolutionem, quæ fit in Ecclesia, hominem eripi æternæ morti; tu dicis, Sacerdotem pronunciare tantum, peccata esse remissa, cum DEI solius sit, nodos peccatorum solvere. Id ipsum dicebant & olim Novatiani. Quare quæ in illos disputata sunt, in Lutheranos pariter cuncta conveniunt.

Audiamus igitur, quæ contra Novatianos Pacianus & D. Ambrosius scripta nobis reliquerint.

In primis Pacianus (a.) in epist. ad Sympronianum contra Novatianos hæc habet: " Nunquam Deus, inquit, (a) non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies poterit Deus. Verum est. Sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis, & quæcunque solveritis in terris, soluta erunt & in cœlis? Cur hoc, si ligare hominibus non licebit? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis gentium peccata purgare, quia totum hoc non aliis, quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, vel totum ad nos ex Apostolorum forma, & potestate deductum est, aut nec illud ex decreto relaxatum est. „ Et in ep. 3. " Quaresive baptizamus, inquit, (b) sive ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. "Docet igitur Pacianus, hominem & relaxare peccata, & auctore DEO relaxare. Sacerdos ergo Christi minister, & vicarius est, potestateque subordinata peccata dimittit.

S. vero Ambrosius L. 1. de Pœnitentia c. 7. (c) No-

(a) *Bibl. PP. Tom. IV. edit. Lugd. fol. 306. col. 2. H.*

(b) *Cit. edit. fol. 310. col. 2. H.*

(c) *Edit. Paris. 1569. pag. 173. C.*

Novatianos alloquens, " Cur baptizatis, inquit, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque ministerium est. Sed dicis, quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia; nonne nomen Domini operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis DEI gratiam; ubi vultis, repudiatis. „ Hoc sibi dictum existiment Novatores.

XXXI. Confirmatur amplius veritas fidei nostræ, qua peccata vere a Sacerdote dimitti profitemur, ex S. Cypriano, antiquissimo Ecclesiæ Patre. Crebro is docet contra Novatianos, lapsis vere pœnitentibus pacem dandam esse, per quod aliud non intelligitur, quam ut lapsi pœnitentes per sacerdotes, & Episcopos a peccatis absolvantur, sacraque communione reficiantur. Patet id clarissime ex Concilio Africano, ex quo Patres triginta septem (ut notantur in edit. sæpe cit. Antverp. p. 4.) eorumque Præses Cyprianus ad Cornelium Papam (a) epistolam exararunt, in qua pacem lapsis dandam esse affirmabant. Inter alia ita habent: " Nec enim, inquiunt, fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus, & deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de sæculo recedentes sine communicatione aut pace Domini dimitterentur, cum permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent; solvi autem possent illic, qui hic prius in Ecclesia solverentur. „ Post pauca interjecta Eucharistiam quoque lapsis sed pœnitentibus dandam esse pronuntiant.

In Tractatu *de lapsis* cit. edit. pag. 546. hisce mentem suam iterato aperit Cyprianus: " Confiteantur singuli, inquit, quæso vos fratres delictum suum,

(a) *L. Nova edit. est inter epist. D. Cypriani ordine 54.*

suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & REMISSIO FACTA PER SACERDOTES, apud Dominum grata est. „

Hoc loco minime obscuro Cyprianus a Sacerdote remissionem peccati fieri, eamque DEO gratam esse satis insinuat. Si Novatores dicant, intelligendum esse Cyprianum, Sacerdotem declarare aut annuntiare solum, peccata esse remissa, vim inferunt verbis alioquin clarissimis.

XXXII. Denique præter alios PP. quos longum esset referre, S. Joann. Chrysostomus L. 3. de Sacerdotio c. 5. (a) demonstrat maximam Sacerdotum dignitatem, ex quo Deus optimus ipsis tantum non autem Angelis, aut Archangelis dixerit: *Quæcunque alligaveritis in terra, &c.* ac: *Quæcunque remiseritis peccata, &c.* Unde infert, habere illos ampliorem, quam habeant terrestres Principes, potestatem, quoniam hi solvunt vincula duntaxat corporis; " Id autem, inquit ibidem, quod solvunt Sacerdotes, ipsam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit. „ Sequenti capite demonstrat, quantum Judæorum Sacerdotibus novæ Legis Sacerdotes sint præferendi; cum illis datum solummodo fuerit corporis lepram purgare, immo verius ne purgare quidem, sed purgatos probare; " At vero nostris, inquit, (b) Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. „ Similia docet in c. 20. Joannis, & post eum Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, aliique e Græcis PP.

Ex modo dictis perspicuum est, SS. PP. Græcos æque ac Latinos semper docuisse, Sacerdotes revera peccata dimittere *potestate accepta* a Christo, etsi fatendum sit, Deum *primario, & principaliter* eadem condonare.

NO-

(a) *Tom. V. edit. Paris. A.* 1588. col. 433.
(b) *Cit. edit. columna* 434.

N O T Æ.

Numero XXIX. 1.) Pœnitentia publica una fuit, hoc est, semel tantum imposita: qui vero ea semel perfuncti, in eadem, aut graviora peccata incidebant, eis non penitus spes veniæ denegata fuit, sed toto vitæ suæ tempore a sacræ mensæ sive Eucharistiæ participatione remoti, secreta pœnitentia castigabantur, & in fine tantum veniam obtinebant. Pœnitentiam vero semel tantum fuisse injunctam, patet ex epistola S. Augustini ad Macedonium, ordine 54. " In tantum, inquit, hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant.. Quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ (id est publicæ) non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. „ Et ibidem post pauca: " Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere DEO? Quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? &c.„

Porro quod S. Eucharistia taliter relabentes usque ad vitæ terminum privati fuerint, edocet nos epistola 1. S. Siricii Rom. Pontificis ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 5. ubi ita decernit: " De quibus (intellige post peractam pœnitentiam publicam relabentibus) quia jam non habent suffragium pœnitendi (nempe publice) id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: a dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retra-

retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subvenire. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus. „ S. Syricius Papa vixit sæculo IV. migravit ad Dominum Anno 398.

Numero XXX. 2.) Pacianus Episcopus Barcinonensis vixit sæculo Ecclesiæ IV. circa ann. D. 360. De eo hæc habet D. Hieronymus in Catalogo Script. Ecclesiast. T. 4. edit. Parif. 1706. parte 2. col. 125. " Pacianus, inquit, in Pyrenæis montibus, Barcilonæ Episcopus, castitate, & eloquentia, & tam vita quam sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus est *Cervus*, & contra Novatianos (epistolas tres) Sub Theodosio Principe jam ultima senectute mortuus est. „

CAPUT IX.

De abrogatione Pænitentiæ publicæ.

XXXIII. IN Ecclesia Orientali pœnitentiam publicam sæculo IV. sublatam fuisse, Auctores non pauci asserunt. Moventur ex facto, quod narrant Socrates, & Sozomenus, & nos supra c. 4. retulimus. Rem paucis repeto. Matrona quædam nobilis ob peccata, quæ confessa fuerat, jussa a Presbytero jejunare ac Deum suppliciter exorare; dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, a Diacono se stupratam esse prodidit. Nectarius (a) vero Constantinopolitanus Patriarcha Presbyterum sustulit, qui præpositus erat pœnitentiæ, ob flagitium illud a Diacono perpetratum. Ex hoc igitur Nectarii facto, quod Presbyterum Pœnitentiarium sustulerit, Catholici arguunt, in Oriente tempore Nectarii desiisse pœnitentiam publicam; Hæretici vero & Nova-

(a) *Theophanes in Chronico.*

Novatores pœnitentiam quoque secretam ab eodem Patriarcha abolitam fuisse asserunt. Sed hos falli perspicuum est. Ante enim, & post tempora Nectarii Confessiones secretæ frequentabantur in Ecclesia Orientali. Quod vero Nectarius sustulerit Presbyterum, pœnitentiis præpositum, accipiendum id est de Presbytero, præposito pœnitentiæ PUBLICÆ, cujus officium erat attendere, an juxta canones pœnitentiæ persolverentur. Erant & alia hujus pœnitentiarii munia, invigilare videlicet sanctitati morum censoria quadam, & publica auctoritate; excipere depositiones testium, qui de patrato facinore reum accusabant, reum ad se vocare, cum testibus conferre, &c. denique designare peccata quædam publice castiganda. Præter illum vero Pœnitentiarium Presbyterum alios plures Sacerdotes excipiendis Fidelium confessionibus præfectos fuisse nemo in dubium vocare potest. An enim unus par fuisset excipiendis confessionibus tam numerosæ plebis in Urbe Constantinopolitana? Plures ergo ad confessiones audiendas deputati erant Presbyteri, ex quibus unum advocavit morti proximus Serapion, in persecutione lapsus, dixitque: (a) *Properate quæso, & me quantocius absolvite: Accerse mihi unum ex Presbyteris*. Licet namque per Nectarium submotus fuerit *unus* Presbyter, qui Pœnitentiæ PUBLICÆ præpositus fuit, at quomodo probabunt, quod *alii omnes* Pœnitentiarii ab excipiendis confessionibus prohibiti fuerint? Igitur sublato per Nectarium Presbytero Pœnitentiario extinctus idcirco non fuit usus confessionis secretæ in Ecclesia Constantinopolitana, ut mox ostendam pluribus, immo nec pœnitentiæ publicæ pro delictis gravioribus, ut numero sequente demonstrabimus. Resorbeant ergo Calviniani, quod in nos eorum Magister Calvinus l. 3. Institutionum cap. 4. impudenter effutiit, videl. *Hic, hic aures asini isti arrigant. Si lex DEI erat auricularis confessio, qui ausus esset Nectarius*

(a) *Euseb. l. 6. c. 44.*

Etarius eam refigere, ac convellere? Nusquam probabitur, auricularem confessionem sublatam fuisse a Nectario.

Dices: S. Chrysostomus, qui Proxime post Nectarium Sedem Constantinopolitanam tenuit, Homilia V. *de Incomprehensibili* aperte ait: « Non te in (1.) theatrum conservorum tuorum duco: non te hominibus peccata tua detegere cogo: coram DEO conscientiam tuam explica.„ Idem repetit variis in locis.

Resp. Chrysostomum in iis locis hoc unum velle, peccata videlicet aperienda non esse coram populi multitudine. *Non te hominibus*, inquit, *peccata tua detegere cogo*; nullibi vero dicit; *ne crimen tuum detegas Sacerdoti Ministro Christi*, ad quid enim extulisset ita potestatem Sacerdotalem, ut eam regiæ præferat, ut supra monuimus? « Ille (a) quidem ea, inquit S. hic Doctor Homil. 4. de verbis Isaiæ (b) quæ sunt in terris, sortitus erat administranda, sacerdotii jus e supernis descendit. Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo... Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, sacerdos autem maculas peccatorum.„ Denique cur sui oblitus Homilia 33. in Matthæum scripsisset, omni cura ante communionem a fidelibus recipiendam esse reconciliationem; *atque hujus rei causa in Ecclesia sedere Presbyterum?* (c) Accedit, Chrysostomum sæpius peccatores exhortari ad deponendam verecundiam, qua detinentur, ne sua peccata confiteantur; atque ad id utitur comparatione extremi Judicii, quæ in eo sita est, quod longe major erit erubescentia traduci universo terrarum orbe spectante, quam sit, uni homini scelus detegere, prout habet in Homilia *de Samaritana*. Nomine ergo confessionis DEO factæ Chrysostomus intelligit confessionem factam Sacerdoti *secreto*; juxta

(a) *Loquitur de Ozia Rege.*

(b) *Tom. 5. cit. edit. col.* 1302.

(c) *Tom. 2. cit. edit. col.* 259.

juxta enim Chrysostomi, aliorumque Græcorum crebram phrasin ea, quæ per sacros ministros exercentur, fieri dicuntur a solo DEO, quod passim in eorum operibus deprehendetur. Deinde si Chrysostomus non esset intelligendus eo quo diximus modo, sibi ipsi contradiceret, ut ex hactenus priore, & isto capite dictis consideranti patebit. Falluntur ergo, qui cessasse Constantinopoli privatam confessionem post Nectarium affirmant. Perseverasse namque sæculisque sequentibus stetisse Synodus VI. (2.) comprobat, cujus Canon ultimus Sacerdotum erga pœnitentes, quæ sint partes, & officia, describit. Nec desunt exempla confessionem privatam frequentantium. Unum referam de Platone ex Theodoro (3.) Studita, qui in epitaphio dicti Platonis eundem ita laudat: (a) " Etenim, inquit, pro ludo divinas lectiones, quibus attentus erat, pro theatris, & spectaculis Ecclesias frequentabat, pro inhonestis diversoriis honesta collegia. Quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes, & acta cuidam eorum, qui præerant, sæpius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium, idque cum perfecte facere solitus esset, ei qui confessionem ipsius audiebat, admirationem, & stuporem adferebat. " S. Plato floruit sæculo IX.; anne quæso in Ecclesia Orientali a sæculo IV. confessionem secretam dici potest cessasse?

§. XXXIV. Diximus ergo contra Novatores, pœnitentiam secretam, seu confessionem auricularem sublatam non esse a Nectario; indagandum restat, an publica saltem prohibita ab eo fuerit, dum officium Presbyteri Pœnitentiarii cessare fecit. Sunt, qui affirment, aliis econtra negantibus. Nos breviter dicimus, pœnitentiam canonicam non pro omnibus, scelestissimis præcipue & publicis peccatoribus fuisse abrogatam. Patet id 1. ex Homilia 3. in epist. ad Ephe-

(a) *Surius* 16. *Decemb. in Vit. Sanct. p.* 919. *edit. Colon.* 1575.

Ephesios, & 12. ad Hebræos S. Chrysostomi, Nectarii successoris immediati, ut jam advertimus, 2. patet ex Synodi Trullanæ seu Quini-sextæ (4.) Can. 87. de maritis, uxorem legitimam repudiantibus, & ducentibus aliam, ita statuentis: « A Patribus nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio (a) audiant, triennio substernantur, & septimo cum fidelibus consistant, & sic oblatione digni habeantur. « Errare igitur eos opinor, qui a tempore Nectarii solam *consistentiam* in Oriente fuisse in more asserunt. Quod demum sæculo in Oriente cessarit pœnitentia illa solemnis, incertum est.

XXXV. In Occidentali autem Ecclesia quo tempore desierit pœnitentia publica, æque incertum manet. Post septimum Ecclesiæ sæculum in libris Pœnitentialibus, decretisque summorum Pontificum solemnium illorum graduum nulla amplius mentio rereperitur. Pœnitentiæ tamen publicæ, sine istis gradibus peragendæ, sæculo præsertim nono crebra fit mentio. Successu temporis pœnitentia publica in desuetudinem demum abiit; qua de re suo more perquam erudite discurrit Benedictus XIV. qui modo Ecclesiæ Christi laudatissime præest, Operum suorum Tomo XII. de Synodo Diœcesana L. VII. c. 52. (a) « Cum, inquit, tepescente charitate cœperint homines a . . severis jejuniis, aliisque corporis macerationibus abhorrere, quibus pœnitentes affligebantur, ex singulari quadam Ecclesiæ indulgentia illis concessum fuit, ut prædictas pœnas possent arbitrio suo redimere, atque in eleemosynas commutare: hujus disciplinæ, quam non ante sæculum octavum in Ecclesiam invectam, neque ante nonum propagatam putat Morinus *de Pænit. lib.* 10. *Cap.* 17. monumentum occurrit in Concilio Triburiensi anni 895. *can.* 56. 57. & 58. (*tom.* 6. *par.* 1. *collect. Harduini col.* 457.) quibus in locis venia datur

(a) *Rom. edit.* 1748. *pag.* 475.

tur Pœnitentibus, redimendi quorundam dierum jejunium, in plures annos sibi præscriptum, *uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo*; & magis aperte in Concilio Remensi anni 923. ubi post indictum militibus, qui interfuerant bello Suessionensi, inter Robertum, & Carolum Reges acto, cujuslibet feriæ sextæ, & trium Quadragesimarum per tres annos jejunium, redimendi eleemosynis: *Omnibus his tribus quadragesimis secunda, quarta, & sexta feria, in aqua, pane, & sale abstineant, aut redimant* (*collect. Hard. tom. 6. part. 1. col. 562.*) Neque ea disciplina displicuit Petro Damiano, pristinæ severitatis ceteroquin tenacissimo: Is siquidem commissa sibi a Romano Pontifice Legatione fungens, Guidoni Archiepiscopo Mediolanensi, simoniacis Ordinationibus, aliarumque rerum sacrarum nundinationibus implicato, pœnitentiam injunxit centum annorum, sed simul libertatem dedit illius redimendæ, certa pecuniæ eleemosyna, in annos singulos eroganda, quod ipsemet Damianus scripsit ad Hildebrandum tum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum apud Baronium *ad ann.* 1059. *num.* 55. Eundem vero morem adhuc perseverasse in fine duodecimi, atque initio decimi tertii sæculi, colligitur ex variis libris Pœnitentialibus, ea ætate exaratis, quos producit laudatus Morinus *eodem cap.* 17. *n.* 6. *& seqq.* & evidenter constat ex epistola Innocentii III. *tom.* 1. *epistolarum ex recens. Steph. Baluzii pag.* 517. *l.* 2. *epist.* 270. *Archiepiscopo Magdeburgensi, & Suffraganeis ejus, Abbatibus &c. in Magdeburgensi Ecclesia constitutis* data pro bello sacro, in qua hanc illis, inter ceteras, impertitur facultatem, nimirum: *ut in iis, qui de Bonis suis Terræ Sanctæ voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum, & rerum facultate pensatis, ac considerato nihilominus devotionis affectu, opus injunctæ pœnitentiæ commutare possitis in opus eleemosynæ faciendæ.* Sed posteriori ætate, quemadmodum idem Morinus observat, cum obsoleverint pœnitentiæ canonicæ, consequens fuit, ut obsolesceret etiam earundem re-

dem-

demptio, de qua nullum verbum fecere antiqui Scholastici, etsi de variis speciebus relaxationum pœnitentialium multa disputaverint. „ Hucusque eruditissimus Pontifex, cujus discursui sequentia pauca superaddo.

XXXVI. Primis Ecclesiæ sæculis severe in peccatores animadvertebant Episcopi, ut dicebam initio, tenebanturque pœnitentes illas quatuor, de quibus dictum est capite tertio, stationes emetiri. Processu temporis, sæculo præsertim circiter nono, etsi vestigia Pœnitentiæ publicæ occurrant quam plurima, de illis tamen supra dictis gradibus mentionem nullam etsi tenuem reperire est. Laxata dein Ecclesiæ paulatim disciplina, redemptio seu commutatio Pœnitentiæ usu recepta est, sicque canones ac regulas Pœnitentiæ publicæ aliter ac veteres interpretabantur posteriores. Adultero, exempli causa, viginti annorum pœnitentiam injungebant canones, eamque pro reatuum multitudine non multiplicabant veteres. Posterioribus autem sæculis, undecimo præcipue, si quis quinquaginta adulteria commisisset, mille annorum pœnitentiæ debitor reputabatur, quam pro angustia vitæ cum exsolvere non posset, pœnarum fiebat commutatio, ita ut eam vel ingentibus eleemosynis, vel Psalmorum cantu, & crebra flagellatione suppleret. Ex his autem intelligimus, quid sit mille annorum indulgentia, scilicet pœnæ mox expositæ relaxatio: non absoluta quidem, sed impositis aliis pœnis minoribus, oblatisque DEO in compensationem superabundantibus Sanctorum satisfactionibus, ut ejus misericordia, intuitu & virtute passionum Christi, (a) EX QUIBUS OMNIS NOSTRA SATISFACTIO SUUM VALO-

(a) *Hallucinantur, aut verius, mentiuntur Novatores, dum ajunt, Passionem, & merita Christi a nobis sperni, & conculcari; & spem unicam salutis nos ponere in meritis, & operibus propriis.*

VALOREM TRAHIT; hanc pœnam cum culpa relaxaret.

Insigne Pœnitentiæ exemplum sæculo XI. refert Petrus Damianus de S. Dominico Loricato, inculpatæ, & integerrimæ vitæ Monacho, qui hanc consuetudinem habebat, at vix dies ulla præteriret, quin duo Psalteria modulando, utraque manu scopis armata, nudum corpus allideret. Centum autem annorum pœnitentiam sic explebat. " Cum tria scoparum millia, inquit Damianus, (a) unum regulariter expleant; decem autem Psalmorum modulatio mille scopas admittat, qui igitur centum quinquaginta Psalmos Psalterii sic se flagellando recitabat, quinque annorum pœnitentiam absolvebat: ac consequenter, qui viginti Psalteria cum disciplina decantabat, centum annorum pœnitentiam peragebat. Dominicus autem in eo plerosque superabat, quippe qui utraque manu infatigabiliter corpus percutiebat. Ejusmodi vero pœnitentiam (videlicet centum annorum) sex diebus facile consummabat. „ Ex dictis innotescit unus paulo severior centum annorum pœnitentiam commutandi modus. Sed hæc de abrogatione, & universim de Historia Pœnitentiæ publicæ dicta sint satis.

N O T Æ.

Numero XXXIII. 1.) Theatri nomine, quod hic usurpat Chrysostomus, intelligitur locus publice pœnitentibus designatus. Antiquitus enim his pœnitentibus imperatum fuit, Sozomeno teste apud Sirmond. Tom. 5. col. 500. *Vult in Theatro peccata sua sub plebis in Ecclesia testimonio confiteri.* Hoc ergo noluit Chrysostomus, ut videl. velut in theatro pœnitentes amplius sua peccata publice proferrent; idque haud dubie ob casum illum statuerat, quo fœmina stuprum in Ecclesia sibi illatum imprudenti ex zelo publice coram populo confessa est. Vide dicta superius.

(a) *Lib. 6. Ep.* 30.

rius. Hic ergo Chryſoſtomi textus potius pro nobis quam Novatoribus militat; ex eo enim inferre debemus, ſi conſequenter loqui velimus, Chryſoſtomum, dum ait: *Non te in theatrum conſervorum tuorum duco, non te hominibus peccata tua detegere cogo &c.* loqui de confeſſione publica, ad quam ob verecundiam nimiam neminem cogere intendit.

Eodem Numero 2.) Synodus generalis VI. Conſtantinopoli terminata eſt a. C. 681. ſub Conſtantino Pogonato, Imperatore piiſſimo, & S. Agathone Romano Pontifice. In ea condemnati ſunt Monothelitæ, ſeu, unam in Domino Chriſto voluntatem aſſerentes. Canones quidem hæc Synodus non edidit, ſuppleti tamen ſunt in alia Synodo Conſtantinopoli habita, quæ Trullana, ſeu Quini Sexta dicitur. Et licet hujus Trullanæ Synodi canones non omnes approbatos ſciamus, tamen nec omnes reprobati ſunt. Interim ex ultimo ſeu centeſimo ſecundo ejuſdem Concilii Canone patet, ſæculo VII. Confeſſionem ſecretam adhuc in Eccleſia Orientali in uſu fuiſſe; proinde decipiuntur aut decipiunt Novatores, dum tempore Nectarii ſæculo Eccleſiæ quarto eandem jam deſiiſſe affirmant. Citato porro Canone habetur, Sacerdotem in ſacro tribunali expoſitum *conſiderare* debere *peccati qualitatem, & ejus, qui peccavit, ad converſionem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam: ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus qui laborat, ſalute excidat.* Utrumque extremum cavendum, ne ſcilicet *per deſperationis præcepitia impellat* peccatorem; & *ne ad vitæ diſſolutionem, & contemptum fræna relaxet. Sed una quidem omnino ratione, ſive per acriora, & adſtringentia, ſive per meliora & leviora medicamenta* pravæ *affectioni reſiſtendum, & ad ulceris obductionem adnitendum, fructus pœnitentiæ examinandos, & ſapienter diſpenſandum, & gubernandum hominem, qui ad ſuperiorem illuminationem vocantur.* Utraque ſcire debere Confeſſarium, *Et quæ ſunt ſummi juris, & quæ ſunt conſuetudinis. In iis autem, qui extrema non admittant, ſequi formam traditam, quemadmodum S. nos decet Baſilius.*

Numero XXXIII. 3.) S. Theodorus Studita floruit sæculo IX. circa an. 820. Dimicavit contra hæresim Iconoclastarum, & aliam, quæ defendebat, adulterium posse fieri licitum ex dispensatione, usque ad exilia, carceres, & supplicia varia. Scripsit epistolas plurimas, catecheses, & Homilias, itemque vitam S. Platonis Abbatis, & prædecessoris sui, de quo testimonium ejusdem Studitæ produximus. Vocatur Studites seu Studita, quia Abbas fuit Monasterii in Constantinopolitana civitate, quod *Studium* vocabatur. Migravit ad Dominum an. C. 826. Ejus nomen Martyrologio Romano adscriptum est ad diem 12. Novembris.

Numero 4.) Annis aliquot post VI. Synodum, Justiniano Constantis filio imperante, Synodus Constantinopolim convocata est ob canones condendos ad restaurationem disciplinæ, morumque reformationem. Hanc Synodi causam indicant Episcopi, qui ad illam convenerunt, in sua ad Imperatorem allocutione. *Quoniam autem*, inquiunt, *Sanctæ, & universales duæ Synodi* (V. nimirum & VI.) *sacros canones nequaquam conscripserunt, sicut reliquæ sanctæ quatuor universales Synodi, per quos populi quidem a deteriore, abjectiore vivendi ratione recedant, ad meliorem autem, & altiorem vitam se traducant ..... Propterea ergo tuæ Pietatis jussu in hac DEI observatrice, & imperante Urbe congressi, sacros Canones scripsimus*. Celebrata est hæc Synodus in *Trullo* magni Palatii, id est, sub Regiæ cuppula vel lucerna. Quini-Sexta vocatur, quod velut ad supplementum Synodorum quintæ & sextæ facta sit. Omnes ejus Canones a Romanis Pontificibus approbati non sunt, non omnes tamen reprobati. De eadem Synodo vide plura apud Natal. Alexandrum Hist. Eccles. Sæcul. VII. Dissertatione 3. Edit. Paris. 1680. a pag. 360.

A P.

APPENDIX.

Canones Pœnitentiales.

CUM horum Canonum notitia ex mente S. Caroli Borromæi, Summi Pontificis, modo Ecclesiæ Christi præsidentis, aliorumque complurium Virorum judicio perutilis Confessario sit, non omnes autem forte eos ad manus habeant, ideo ad complementum præsentis opusculi quosdam ex iis Canonibus Pœnitentialibus, quos S. Carolus compilavit (*a*) & in lucem edidit, excerpere visum est, eo servato ordine, quem Sanctus prædictus tenuit.

PRÆCEPTUM I.

Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi a fide Catholica descifcens, intimo, summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem. Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari potest.

Qui vel segetibus faciendis, vel ædibus exstruendis, arboribus conserendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui auguriis & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, pœnitens sit annos septem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos consuluerit, quive domum suam induxe-

(a) *Vide supra Cap. IV. circa medium numeri 26.*

duxerit aliquid arte magica exquirendi causa, in pœnitentia erit annos quinque.

PRÆCEPTUM II.

Non assumes Nomen DEI tui in vanum.

CANONES POENITENTIÆ.

QUicunque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam in testimonium recipiatur, & post hæc communionem percipiat.

Si quis seductus ignorans pejeraverit, & postea cognoscit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadragesimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falsum juret, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos in pœnitentia erit.

Si quis per capillum DEI, aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua & pane septem dies victitet: si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Si quis per Cœlum, aut per aliam aliquam creaturam juraverit; dies itidem quindecim.

Si quis blasphemat, tamdiu pœnitens erit, quamdiu impœnitens permansit.

Si quis DEUM, vel B. Mariam Virginem vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit: pro foribus Ecclesiæ septem diebus Dominicis in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet: ultimoque ex illis die sine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullo modo tunc ingressurus; singulis illis septem diebus Dominicis tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin alia pœnitentia afficiatur: recusans, Ecclesiæ ingressu interdicatur, in obitu Ecclesiastica sepultura careat. Dives a Magistratu mulctetur pœna solidorum quadraginta, alioqui triginta, aut viginti.

PRÆ-

PRÆCEPTUM III.

Sabbata sanctifices.

CANONES POENITENTIÆ.

QUi opus aliquod servile die Dominico Festove fecerit; pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Si quis S. Communionem sumpserit post aliquam vel minimam degustationem; pœnitentiam aget dies decem in pane, & aqua.

Si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis in Ecclesia confabulatur, cum Divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane & aqua.

Si quis jejunium a S. Ecclesia indictum violarit, pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

PRÆCEPTUM IV.

Habeas in honore Parentes.

CANONES POENITENTIÆ.

QUi Parentibus maledixerit; quadraginta dies pœnitens sit in pane & aqua.

Qui Parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui eos percusserit, annos septem.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit; uno in loco, Monasteriove pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ suæ.

Si quis Presbyteri, Parochive sui præcepta irriserit, pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua.

PRÆCEPTUM V.

Non occides

CANONES POENITENTIÆ.

SI quis Sacerdotem voluntarie occiderit, carne & vino abstineat cunctis diebus vitæ suæ: quotidie exceptis Festis Dominicisque diebus jejunet, non equitet, non arma ferat, non Ecclesiam ingrediatur quinque annis, sed pro ejus foribus stet.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam agat annos viginti octo.

Si quis Patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu: abstineat a carne & vino, dum vixerit: jejunet feria II. & IV. & VI. feria.

Si quæ mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: si nolens, quadragesimas tres.

Mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, pœnitens erit annum unum, si vero post quadraginta dies, annos tres; si vero postquam editus est (partus) in lucem, tanquam homicida.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.

Qui mortem sibi consciverit, pro eo nulla in Missa commemoratio fiat, neque cum Psalmis ejus cadaver sepeliatur. NB. *Hic Canon hodieque observatur.*

Si quis sponte hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiat. Si casu necarit, pœnitentiam aget annos septem; ex alterius Canonis præscripto annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut homicida pœnitentia afficiatur.

Alius

Alius Canon de Homicidio Voluntario.

Si quis homicidium sponte commiserit, vel odio vel possidendæ hæreditatis causa, primo jejunet in pane, & aqua, deinde pœnitentiam agat annis septem: primo anno post illos quadraginta dies, a vino, caseo, & pisce abstinebit; in secundo & tertio similiter jejunet; tertiam autem & quintam feriam ac Sabbatum (*a*) redimere potest: reliquis quatuor annis jejunabit in singulis tres Quadragesimas; primam ante Pascha, alteram ante diem S. Joannis Bapt. tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias: sique cicatrix gravis est, ut vulneratum deformem reddat, quadraginta etiam dies pœnitebit in pane & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane & aqua; Clericus autem unius anni & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; soluta medicamenti impensa, si laicus est, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua; si Clericus duas quadragesimas; si Diaconus, septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis fratri suo (id est proximo suo) quem oderit, reconciliari non vult, tandiu in pane & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRÆ-

(a) *Qualiter olim redimi potuerint injunctæ pœnitentiæ, vide supra c. 9. n. 35.*

PRÆCEPTUM VI.

Non machaberis.

Canones Poenitentiæ.

Simplex fornicatio puniebatur olim trium annorum pœnitentia; majore afficiebatur, qui id vitium repetebat.

Solutus cum alterius uxore adulterium committens, pœnitentiam agere debebat annos septem mulier quinque.

Maritus peccans cum ancilla pœnitentiam agebat per integrum annum, itemque explere cogebatur tres quadragesimas, & præterea legitimas ferias tribus mensibus: Ancilla vero consentiens quadragesimas tres, & legitimas ferias. NB. Quid sint *legitimæ feriæ*, infra docebo.

Incestus gravissime puniebatur. Hujus peccati reus uno anno ab ingressu Ecclesiæ prohibitus fuit, quo durante præter festos dies pane solo & aqua uti fas erat: arma ferre, aut Communionem S. accipere non audebat, nisi pro Viatico; sex deinde annis Ecclesiam ingredi poterat, sed carne, vino, & sicera uti non licebat, nisi festis diebus. Postea vero duobus annis, quando carne vescebatur, a potu vini abstinere debuerat; vel si bibisset, carne vesci prohibebatur, exceptis duntaxat Dominicis diebus & præcipuis Festis: deinde usque ad obitum perpetuo (præter festos dies) a carne abstinere debuit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunare, & quadragesimas tres singulis annis legitime custodire adigebatur. Non vacat huic præcepto diutius immorari, proin qui velit, legat ipse pro variis luxuriæ peccatis a canonibus injunctas pœnitentias. Unicum adhuc Canonem pono.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficiatur trium annorum.

PRÆ-

PRÆCEPTUM VII.

Non furaberis.

CANONES POENITENTIÆ.

QUi furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili vel thesauro, quod sustulit, reddet, & tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Si quis vel Ecclesiasticas oblationes rapuerit, vel rapientibus consenserit, quadruplum restituet, & canonice pœnitens erit.

Si quis per necessitatem cibum, vel vestem furatus sit, in pœnitentia erit hebdomadas tres: si reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit nocte alicujus domum, aut aliquid auferet, pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane & aqua: si non reddit, annos duos.

Si quis furtum de re minori semel aut bis fecerit, restituta re pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit (Domino comparenti, aut alias cognito), furtum committit, idcirco tanquam de furto pœnitentiam aget.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Si quis malo studio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incendium commiserit, committive jusserit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit, excommunicabitur; si mortuus erit, Christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarciverit, juretque se imposterum tale facinus nunquam admissurum. Pœnitentia præterea hæc ei constituetur, ut Hierosolymis, aut in Hispania in servitio DEI totum annum permaneat.

PRÆCEPTUM VIII.

Non falsum testimonium dices.

CANONES POENITENTIÆ.

QUi falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Si quis convitium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit, pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falsarius in pane & aqua pœnitentiam agat, quandiu vivit.

PRÆCEPTUM IX.

Non concupisces rem proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

REm alienam nefarie concupiscens, avarusque pœnitens erit annis tribus.

Qui aliena furari concupiscit, furtum est: qui item aliena rapere cupit, rapina est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est; ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu.

PRÆ-

PRÆCEPTUM X.

Non desiderabis uxorem proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis concupiscit fornicari, pœnitens erit annos duos.

DECLARATIONES POENITENTIARUM.

I. NOmine Pœnitentiæ per *legitimas ferias* constitutæ, intelliguntur feria secunda, quarta, & sexta.

II. *Carinæ* jejunium, quod aliquando pœnitentiali Canone cavetur, id appellatur, quod per quadraginta dies in pane & aqua fiebat, ut sæpenumero Burchardus interpretatur: Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

III. Pœnitentia per tres Quadragesimas indicta ita intelligitur, ut cui imponebatur, in anno pane & aqua jejunaret Quadragesimas tres, quarum prima est ante diem Natalem Domini, altera ante Pascha Resurrectionis; tertia, quæ scilicet per dies tredecim ante diem festum sancti Joannis Bapt. agebatur.

U. B. O. G. D.

ELENCUS OPUSCULI.

DISSERTATIO PRÆVIA

De Eruditionis præstantia ad Neo-Theologos.

CA-

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

APPENDIX.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
Ordine Alphabetico digestus.

A

B

C

Non

D

Elibe-

E

F

G

H

I

S. Ire-

L

M

N

O

T

F I N I S.

otto. [illegible]